GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 3, [1] - -

Leibn. Marg.

0, 1

Randnoten von Leibniz

KM.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1 Leibn. Marg. 0,1, Stück 3, [2] - -

CHRISTOPHORI BESOLDI, JC. ET ANTECESSORIS Tübingenſis,

Diſſertatio Politico-Iuridica,

DE

MAJESTATE IN GENERE:

ejusque Juribus ſpecialibus, in tres ſectiones diſtributa.

Accedit

TRACTATIO SINGULARIS,

DE REIPUBLICÆ STATU MIXTO.




ARGENTORATI,

Sumptibus Hæredum LAZARI ZETZNERI.

M. DC. XXV.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 3, [3] - -



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 3, [4] - -

SECTIO PRIMA,

DE

POLITICA MAJESTATE IN GENERE TRACTANS.

CAP. I.

De Etymo Majestatis: ac item de Majestate reali.

GENEROSVM, omníque favore dignum ingenium esse, Socratés olim judicabat, cui disciplinæ Politicæ sunt cordi: dicente Xenophonte, *in Memorabilib.* Et jam ideóque mihi, præcipuum aliquod Politices caput explicanti, nemo, ut spero, litem movebit: cùm præsertim cuncta ex aliorum repetam scitis, paratúsque sim lubens cedere, meliora docenti.

II. Imperium in Republicâ summum, cujus descriptio maxumam Politices absolvit partem; Aristoteles 3. *polit.* 4. Græci κύριον πολέτευμα, αὐτοκρατέιαν, κυρίαν ἀρχὴν, δύναμιν, καθ' ἀρχὴν πολιτικὴν, ἄκραν ἐξουσίαν, vocant. Bodinus 1. *cap.* 8. *à princip.* Tob. Paurmeister. 1. *de Iurisdict. cap.* 3. *num.* 4. Italis *Signoria*, (nam & hæc vox sumitur interdum pro supremo Magistratu) *vocabulario della Crusca.* Gallis *Souveraineté* indigitatur. Hispan. *Mayoría* vocant. Vulgò Interpretibus Juris, est Imperium maxumum, Dd. *ad l.* 3 *ff. de Iurisdict.* A B. Jacobo Patriarchâ, virga seu sceptrum indigitatur. Genes. 49. Joach. Stephan. 1. *de Iurisd.* 7. *nu.* 8. Et certe *Schebet*, pro sceptro authoritatéque regiâ in dicto Geneseos loco sumit, Targum triplex; sumunt ita etiam veteres Thalmudici Hebræi, Rabbiníque perquam multi: indéque frustrà sunt, qui aliter interpretantur. Dominus Buxtorff. *in Lexico.* Unicam tantùm Targumicam interpretationem, Onkeli scilicet adponam. Dominium erit in principio & in fine, magnificabitur regnum de domo Jehudah: quoniam de judicio occisionis, mi fili, animam tuam abstulisti: requiescet & habitabit in fortitudine sicut Leo, & sicut Leæna: neque erit regnum quod

commoveat eum. Non auferetur faciens potestatem de domo Jehudah, & scriba de filiis filiorum ejus usq; in seculum, donec veniat Meschias, cujus est Regnum, & ei obedient populi. Redibit Israël ad civitatem suam, populi ædificabunt templum suum: erunt justi undique in circuitu ejus: & factores legis in doctrina ejus: erit purpura vestimentum ejus: indumentum ejus sericum ex colore carmesino, & variis coloribus. vide Paul. Eagium *in annotat. ad Targum. d. cap. Genes.* Petr. Cunæũ, *de Republic. Iudæor. lib. 1. cap. 9. fol. 80.* Drusium *ad loca Genes. cap. 129.* Commodissimo, nec novo vocabulo (quamvis id innuere videatur Trebellius Pollio, *in Galienis fol. m. 253.*) Majestatem, à magnitudine (ut Festus author est) appellitamus frequentiùs: aut major quòd sit status, seu amplitudo & magnificentia in Republica. *l. 23. de legat. 3. l. 4. l. fin. C. de legib. l 91. de hered. instit.* Alberic. Gentil. *ad L. Iul. Majest. disput. 2. à princ.* Henning Arnisæus, *2. de Majestat. 1.* Bornitius *tract. de Maiestat. cap. 1.* Autor *des antiquit. & recherches de la grandeur des Roys de France 3. cap. 2.* Goldast. *2. de Moiorat. cap. 6. num. 5* Dici etiam potest, Majestatem derivari à Majore: quèmadmodum ab honore honestas: notante Prisciano. Sicque à Majestate, Jovem dixêre Majum. Macrob. *1. Saturnal.* Uxor quoque Vulcani, Majesta vocabatur, quam quidam Majam adpellitabant. Sed tamen illas alloquutiones, *Vestra Maiestas, sua Maiestas &c.* innovatas, notasque effœminationis esse, Estienne Pasquier ait, *lib. 7. des recherches. cap. 5. fol. 968.* Primúsq; Gallienus attulit Romanis necessitatem dicendi, *Imperatoriam Maiestatem*, pro Imperatore: & ita Trebellium Pollionem capit Theodorus Marcilius, *in explicat. Institut. ad proœm. fol. 5. & seq.* Sic & Græci Imperatores, voce βασιλεία ita utebantur: ἡ ἁγία βασιλεία σου, Sacra Majestas tua. Et erat hic titulus communis cum Imperatore Sebastocratori, Cæsari & Despotæ. Ita tamen, quod simpliciter de illis dicebant ἡ βασιλεία αὐτῶν: ad Imperatorẽ verò, addebant ἁγία Meursius *in Glossar. Græco-Barbar. verb. βασιλεία.* Aliàs in Græco, propriè Majestati respondet; μεγαλοπρέπεια, Aristophanis & B. Chrysostomi, μεγαλοσύνη: hincque Cæsarem Scaligerum incurrere, notat doctissim. Andreas Schottus, *lib. 5. Tullian. quæst. cap. 19.* qui Majestatis vocabulum, apud Græcos ullum esse negat. At licèt Majestas tantummodò dicatur, de amplitudine & magnificentiâ Imperij summi: quod scilicet magnitudine suâ, omnes reliquas complectatur, superetque potestates; quod denotet magnitudinem, decus, Imperium, amplitudinem, potestatem, dignitatem, securitatem, status eminentioris aut sanctioris. Attamen interdum, quò major scilicet eorum æstimatio & auctoritas sit; Magistratus quoque seu Principe inferiores eam habere dicuntur. Bodinus *lib. 1. de Republ. cap. 8. num. 151. & 3. de Republ. cap. 3.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1;Leibn. Marg. 0,1. Stück 3, [6] - 4

*cap.3. num.*280. putà Prætor, *in l.penult.de iustit. & iur. l.si familia 9.de Iurisdict.* Ita & Cicer.Magnum nomen est,magna spes, magna Majestas Consulis.Et Plinius *epistol.lib. 8.epistol.6.* Majestatem Senatus, & Judicum vocat quæ propriè populi erat.Et accuratè si loqui velimus, longè errant ij,qui in territorij Jure,Landsfürstlicher Oberkeit/ Oberbottmessigkeit/ jura Majestatis consistere putant.Bornitius *de Maiestat. cap.1.ad fin.* Thom.Michaël. *th.*44.*disputat.de Iurisdict.*

III. Est autem Majestas,in Imperio atque omni dignitate populi Romani,vel alterius superiorem non habentis. Cicero *pro Corn. Balbo.* Quintil. *lib.7 cap.3.*in qua jus totius civitatis consistit. Eaque rectè in Realem,seu Imperij, (quæ in constituendâ) & Personalem (quæ in administrandâ , seu gubernandâ Republicâ consistit) dividi videtur. Herman.Kirchner,*Disputat.de Republ.2.th.3.* Philipp.Hoennon.*disput. polit.3.th.*37. Iohann.Camman. *disput.de Iurib.Maiest. 1.thes.*70.75.*& seq.* Bôrtius *apud Arumæ.vol 9.discurs.*30. *cap.1.th.1. & 2.* Dn. Daniel Otto,*tract.sing. de Maiestat.cap.1.num.*8 Cùm autem tribuunt Imperio Majestatem ; non ideò inanimatæ rei eam adscribunt : sed illa personarum intuitu competit rei.

IV. Majestas Realis seu Imperij , Reipublicæ est coæva ; quamdiu corpus eius durat, permanet, & etiam sub interregnis & alterationibus persistit:quam ideò fundamentum Reipublicæ possumus nominare.Christ. Matthias, Dithmarsi. *Colleg.polit.2.disput.2.th.6.* Henric. Velsten. *Cent. quæst.polit. decad.*8. *quæst.2. ad fin.* Personalis concidit cum persona; & ad Rempublicam redit. Huius Majestatis Realis intuitu,etiam post Regiam legem, populum Romanum aliquam retinuisse dicitur Majestatem.§.4.*Instit.de publ.Iudic.l.7.*§ *penult. ibi: Maiestatem nostram.ff.de captiv.& postlim l.1.& l.3.vers. Lex autem Iulia. ibi: Maiestatem publicam ad L.Iuliam Maiest.* Lex namque Regia, de Personalis tantùm Majestatis translatione intelligi debet : ego *in tract. de Monarchiâ cap.* 4. *num.* 4. ac transtulit solùm per eam populus potestatem administrationis,non constitutionis.Et constat *ex l.*2 §.*1.ff.de orig. Iur.* administrationem Reipublicæ, non aliquid ultrà , Imperatori datum esse. Et Maximus Imperator, (ut ab Herodiano proditum est) populi etiam Imperium agnoscebat,cum ait : Neque unius tantùm hominis peculiaris possessio Principatus est,sed communis antiquitùs totius populi Romani;siquidem in illâ urbe,sita est Imperii fortuna;nobis autem dispensatio tantùm,atque administratio Principatus,unà vobiscum demandata est. Nunquàm sanè censendum est, totam & universam Rempublicam per Principem repræsentari. Caput est,non totum Corpus. Et quèadmodùm in corpore humano,etiam aliarum partium functiones sunt:

ita & adhuc corporis publici, & populi, aliqua est Maiestas. Ac Reipublicæ nomen, in quo & illa sanctissima patria adpellatio comprehenditur, in principatu abolitum esse, nemo statuet nisi adulator. Indéque Crimen Maiestatis, tàm adversus populum & Rempublicam, quàm ipsum Principem committi dicitur *l.1.§.1.dict.tit.* Dn. D. Bocerus, *tract. de crimin. Maiest. cap.1.num.25. & c. item nu.55. & c. cap.2.nu.13.n.74. &c.* Vulteius *1. Iurispr. Rom. cap.47. à princip.* Hodiè ita loqui solent Imperatores de Criminis Maiestatis Imperii reis: Die wider uns und das H. Römisch Reich gehandlet.

V. Ad Maiestatem realem, pertinent privilegia, deß Landes Maiestatbrieff: ad personalem ea, quæ imperantibus competere solent. Ideóque Maiestatem hanc Reipublicæ, seu realem, leges comprehendunt fundamentales (de quibus Reinkingk *lib.2. Class.2. cap.6.*) sub quibus nempe Respublica est constituta, & tanquam fundamento innititur, ex consensu communi, iisque sublatis, salutem & statum (quo nimirùm illa stat atque persistit) everti, aut ad minimùm in aliam speciè mutari, vel alterari necesse est. Lambert. Danæ. *3. polit. Christianæ cap.6.* Iohann. Althusius *polit. cap.6. edit. prioris.* Keckermann. *1. polit. cap.6.* Bôrtius apud Arumæum, *discurs. de iur. public.30. cap.2. th.2.* & idem Bôrtius, *ibid. discurs.33. th.9. fol.105.* De tali fundamentali Lege, propriè dici potest; quod sit communis sponsio Civitatis, πόλεως συνθήκη κοινή. *l.2. in princ. ff. de legib.* Hûc respexit Althusius *cap.6. polit.* Iura Regni duplicia esse asserens, Legem scilicet Regni fundamentalem, & Ius Maiestatis. Notabilem etiam differentiam addens, quod Respublica, seu Regnum, absque fundamentalibus Legibus, constitui quidem, & constituta conservari, ad posterósque propagari possit; non etiam sine Iuribus Maiestatis. Quod tamen controversiâ carere non puto: omnis quippe Respublica, etiam ipse Dominatus, Maiestatem aliquam realem habere videtur. Et ita etiam Samuel, post electum Regem, Ius Regium conscripsit Samuel. *1. cap.10. vers.25.* Lexque fundamentalis facta fuit, quandò legitur in S.S. Scriptura, feciſſe Reges fœdus cum subditis suis, ab initio Regni. *2. Samuel. 3. vers.21. & cap.5. vers.3.* In Democratiâ, quamvis realis, & personalis Majestas, concurrere videantur, vid. omninò Dn. Vulteium *1. Iur. Rom. cap.47. à princip. fol.m.254.* non tamen illa ita penes populum est, ut contra eam aliquid statuere queat populi pars major: sed in abrogatione fundamentalium legum, singulorum (si Ius inspiciamus) requiritur consensus. Lex namque fundamentalis, valet in vim pacti, & contractus: ad cujus rescissionem, omnium consensus, necessarius est. Sicque pax religiosa in Imperio nostro, votorum pluralitate tolli nequit: cùm inibi universi ut singuli, jus obtendere possint quæsi-

quæsitum. Hacque ratione non omne Ius publicum concernit Majestatem realem : nam & in Iure publico, multa mutare possunt ii, penes quos est Majestas personalis, ut dixi *in meis Commentar. ad l. 1. ff. de iustit. & Iur. quæst. 16.* Quod verò jam modò dixi, in abrogandâ vel constituendâ lege fundamentali omnium requiri consensum : id intelligo de iis, qui populum repræsentant universum : ut sunt in Imperio Romano Germanico Status. Sed nec unius aut alterius contradictio attenditur. Quandoque etiam immutatio fit per conversionem, ubi extraordinariè & violenter sæpè procedi solet.

VI. Cùm verò Majestatis Imperantis, ab Imperii Majestate, tanquam fundamentatum à fundamento distinguatur. Indè fit, ut Majestati Imperij, Imperantis Maiestas, tanquam superiori obstringatur. Eam Majestatem, legésque ejusdem, etiam is qui imperat, ne quid Respublica capiat detrimenti, comiter observare tenetur : nullâq; variatione cõmutari ea debent. Ioh. de Terrâ Rubeâ, *de Iur. succession. in Regn. Galliæ tract. 1. artic. 1. concluſ. 24.* pulchrè Bornitius, *de Maiestate cap. 9.* Imperans quippe, homicida suæ propriæ esset Majestatis, si Rempublicam convertere niteretur ipsam. Princeps enim tenetur legibus Regni. Ioh. à Chokier. *2. cap. 2. fol. 55.* & consuetudo in ipsum Principem disponens, ipso Principe maior reputatur. Moditius, *in decis. §. lex dubit. 93. nu. 4.* Cùm tales leges obtineant vim pacti & conventionis : quibus etiam Princeps utcunque summus obligatur. Undè Bodinus *1. de Republ. cap. 8 num. 88. ad fin.* Quantum verò, inquit, ad Imperii attinet leges, cùm sint cum Maiestate coniunctæ, Principes nec eas abrogare, nec etiam derogare queunt. Contra tales leges, in contrarium dispensari non potest. Gerlac. Buxtorff. *dissertat. ad Auream Bullam th. 7.* Quamvis interim non ignorem, complures reperiri, qui abblandiendo contrarium scribant. Rectè & prudenter Barth Keckermannus, *disputat. practic. 29. problem. 11.* Distinguuntur, ait, tales à Maiestatis Iure, atque adeò à potestate legibus cæteris solutâ, tanquam causa à suo effectu, eique nihil derogant. ut exempli gratiâ : An Fœminis regimen conveniat? an debeat potiùs electis ex omnium numero concedi, vel succedentibus hæreditario Iure? num indigenæ, vel peregrino potiùs offerenda maiestas? Quæ (si lege fundamentali sint decisa) non magis esse possunt in Principis potestate, ac sui ipsius constitutio, atque in Regnum immissio : siquidem non sunt instrumenta regiminis, ut cæteræ leges, sed causæ efficientes & fundamenta &c. Hancque propter maiestatem rectè dici videtur, Principem non esse maiorem Republicâ totâ. Canonhiero *8. dell. introduzz. cap. 4.* & iam monui, *lib. 1. polit. cap. 1. num. 37.* Eodem sensu Hispani dicunt ; *No ay Rey que sea sennor del officio.* Absoluta ideóque pote-

potestas solùm pertinet ad personalem Maiestatem: eaque præsupponit Rempublicam constitutam. Nil autem potest Princeps utcunque summus, contra Reipublicæ constitutionem: Pariter ut homo seipsum interficere seu destruere nequit. Hoc enim impotentiæ magis, quàm alicui potestati adscribendum esset. Sicque Maiestas realis perficit personalem, & ideò non subiectio, sed potiùs perfectio existit: neq; propterea humanæ libertati aliquid decedit, quòd homo prohibetur occidere se, aut etiam sine causa alios quoscunque.

VII. Sic Regni Maiestas, Iurium dignitatis, Lancellot. Conrad. *templ. iudic. 1. cap. 1. § 4. fol. 454.* & territorii impedit alienationem. Nicol. Betsius *tract. de pact. familiar. illust. fol. 72. & c.* Heigius *part. 1. quæst. 19.* Moditius, *in decis. §. plebiscitum. dubit. 95.* Iohann. Savaronn. *de la souveraineté du Roy. part. 1. fol. 20. & c.* Barthol. Musculus, *disput. de confraternitat. th. 20.* Anton Godofred. *disput. feud. 9. th. 6.* Dn. Bachovius ad Treutlerum, *disput. 2. th. 3. lit. F. tom. 1. fol. 53.* Dn. Lather *de censu lib. 1. cap. 17.* Bartholom. de las Casas, *tract. hac de quæstion. sing.* ego *de Ærar. cap. 2. & 6.* ut & *tract. de appellat. cap. 2. num. 16. fol. 61.* Neque inviti alienari subditi. Cravet. *consil. 241.* aut Vasalli; nec item subditi aliis infeudari possunt. Cardinal. Tusch. *lit. F. conclus. 125.* Hincque etiam in commissum cadere dicitur Regnum, si Princeps se subditum constituat alterius, hoc est, si Regnum, quod liberum à maioribus & populo sibi traditum accepit, alienæ ditioni mancipaverit, seque cum Regno (ut Iohannes Balliolus Scotus Eduardo I. Angliæ Regi, se submisit, Buchananus, *rer. Scoticar. lib. 8. in Balliol*) extraneæ Maiestati subiecerit, Guilielm Barclai. *de Reg. lib. 3. in fin.* Sanè talis Princeps, etiamsi hoc eà non fecerit intentione, ut Rempublicam everteret: tamen quia illud, quod principalis essentiæ præcipuum est, deperdit, (nempè quòd recognoscendo superiorem, in Regno amplius non est summus, nec solo Deo inferior) hocipso facto seipsum destituit, & desinit esse Princeps. Proindè non immeritò, maiorisque cautionis ergò, Iura Regni sui, & honorem coronæ illibata servaturos Hungariæ Reges; *c. intellecto. 13. extr. de iureiur.* ipsique Imperatores Romani & plerique alii Principes speciatim promittunt. vid. omninò Marquard. Freher. ad Petr. de Andlo. *2. cap. 8. fol. 187. lit. b* Primumq; fuisse Lotharium Saxonum Imperatorẽ, notat Leheman. *lib. 5. cap. 45.* qui auro vendiderit Imperii Iura: Sed certè quod sine magno discrimine non potuit servare, alienavit: eique iniquior videtur esse Dn. Lehmannus, quòd is Imperator Clericis æquior fuit. Commendatque Carolum V. Imperat. Thuanus *lib. 4. m. fol. 82.* quòd candidè responderit, Paulo III. Pontifici Maximo de Parma & Placentia: Eas Civitates si ad Imperium pertinerent, non posse se in di-

tionis

tionis ac dignitatis Jmperialis præjudicium alienare. Sic & ab eodem Cæsare deliberata & desiderata fuit in Comitijs VVormatiensibus, rerum Jmperij alienatarum recuperatio, de Anno 1521. §. vnnd als wir in vnser Keyserlich Gemüth ꝛc. adde Reichs Abschied zu Augspurg/de Anno 1566. §. nach abegesetzten Articuln/ & R. A. zu Regenspurg / de Anno 1576. §. wir haben auch zum Sechsten Articul. Et de Franco-Gallia, Loquens Hotomannus, ita scribit, *Franco-Gall. cap. 9.* Est Domanium Regium quasi Dos Regni, sive quasi quidam Ususfructus certarum possessionum, Regi ad tuendum dignitatis suæ splendorem attributus. Dixi quasi Ususfructus : propterea quòd earum possessionum proprietas penes populum manet, neque ulla ejus pars alienari à Rege potest, sine populo Autore: h. e. sine Ordinum & publici Concilij consensu. Jtem, Patet magnam esse differentiam, inter *Patrimonium* & *Domanium Regale.* Nam Patrimonium ipsius Regis proprium est, Domanium verò Regni: atque ut vulgus loquitur, ipsius Coronæ. Illud pleno iure Regis est, atque ideò plenam & summam ipsius pro voluntate alienandi potestatem habet. Hujus nuda proprietas est penes Universitatem populi, sive Rempublicam: Ususfructus autem, penes Regem. Quâ de causâ nullam illius alienandi potestatem habet. Ac planè verissima est Doctorum hâc de re sententia, par idémque esse ius Regis in suum Domanium, quod est viri in dotem suæ uxoris. Et modernæ etiam Galliæ leges, non, nisi certæ interveniant sollemnitates, & Curia id adprobet Parisiensis, alienationem Domanii, vel Jurium Coronæ permittunt. Jean. Papon. *lib. 5. tit. 10. articul. 2. & 3. & per tot. tit. passim.* Dn. D. Lansius, *in Consultationibus, Oration. contra Galliam, fol. 337.* In Germanica autem Republica, liberior est alienatio bonorum : quia subditis parùm decedit, cùm semper maneat sub Imperatoris & Imperij mediatâ Jurisdictione.

VIII. Leges quoque fundamentales sunt, circa successiones, quæ passim varia reperiuntur, majorum institutа. Præsertim jus primogenituræ, & ne Regnum inter plures heredes dividatur. Moditius. *d. §. dubit. 36.* In Imperio Romano, pro lege etiam fundamentali, agnoscenda est forma Electionis, Aureæ Bullæ sanctione expressa, & clausulis derogatorijs munita. P. Gregor. Tholosan. *7. de Rep. cap. 19.* Kirchnerus *disput. de Republ. 4. coroll. ult.* Heig. *part. 1. quæst. 5. à princ.* & ideò ab Imperatore nequit abrogari. Arumæus ad Auream Bullam *discurs. 1. th. 7.* Quamvis nec ea integrè observetur. Marquard. Freher. *tr. de testamentar. tutel. cap. 12.* Et paritèr, Legum fundamentalium obtinent vicem, multa in recessibus Imperialibus quæ habentur, licèt inibi plurima inveniantur juris publici non fundamentalis, quædam et-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1 Leibn. Marg. 0,1. Stück 3, [11] - 9

jam spectantia ad Ius privatum. Fundamentalibus hisce Legibus, interdum temperatur personalis Majestas, & status redditur mixtus. Interdùm amplificatur magè & conservatur, sicq; impotentia, non potestas foret, si penes principem esset, Imperium deminuere ullâ ratione. Pariter ut non impedit arbitrij libertatem, quòd non sum Dominus vitæ ac membrorum propriorum.

CAPUT II.

De Majestate Personali. Quatenus ea aliquam Divinitatem habere videatur: & quòd sit summa potestas.

DE Reali hactenùs Majestate. Succedit nunc Personalis, quæ in personam confertur, & cùm eâ coincidit. Hæc summa & perpetua, Legibusque soluta definitur potestas; competens in res & personas suæ ditionis. Bodinus, 1. *de Republ. cap. 8. in princ.* Tobias Paurmeister, 1. *de Iurisdict. cap. 2. num. 1. & 22.* Clemen. Timpler. 3. *Polit. cap. 1. quæst. 1.* Potestas est, omnia media administrandi, quæ pro Republica necessaria existunt. Facultas est gubernandi, & omnes curas gubernationis pro Reipublicæ salute disponendi. Hæc potestas, est quasi Reipublicæ caput, soli Imperatori in Republica Romana competens. Bulenger 1. *cap. 37. de Imp. Romano.* In hoc Imperio præcipua vis totius consistit Civitatis. Imperium hoc, Reipublicæ quasi obtinet arcem: omnia ejusdem membra movens, in unumque cogens corpus. Errat itaque (ut opportunè monet Hermannus Kirchnerus, *de Republ. disp. 2. thes. 2. lit. a.*) P. Gregorius Tholosanus, dum, 8. *de Republ. cap. 3. §. 2.* Majestatem esse latens aliquid ait, quod præter naturam propriam, admirabile quidpiam reddit. Nec Iustus Lipsius Majestatis culmen attingit, *libr. polit. cap. 16.* quòd Majestatem reverendam quandam amplitudinem appellat, ob meritum virtutis, aut affinium rerum. Deniquè etjam Keckermannus malè definit Majestatem; quòd sit vis quædam, per quam Princeps sibi conciliat in animis hominum singularem quandam admirationem, venerationemque; & cum utrâque conjunctum metum. Licèt enim Majestas, nonnunquam pro auctoritate, ac gravitate Personæ, próque dignitatis reverentiâ usurpetur; quam post legitimæ potestatis adeptionem, ferè solet largiri DEUS, Althus. *polit. cap. 19. num. 97.* quâque multi deterriti, à proposito occidendi Regis revocati fuerunt: Piccart, *decad. 6. cap. 1.* in specialiori tamen hîc omninò sumitur

mitur significatu. Iohann. Camman. *de jur. Majestat. disput. 1. th. 16.* vera sanè Majestas, de quâ nobis nunc est sermo, in potestate magis consistit, quàm in auctoritate; & ab hâc differt, ut causa ab effectu. Majestas cùm sumitur pro existimatione atque authoritate, non nisi uni tribuitur Personæ. Vndè ad Senatum Venetum cùm verba fiunt, haud dicimus, vestra Majestas &c. Porrò quòd Bodinus, aliud adhuc attributum proprium Majestatis agnoscit, ut nempè sit propria, vel jure successionis, vel Electionis concessa; & non aliena, seu precariò collata: non id mihi necessarium esse videtur. Cùm illud satis comprehendatur in primo atque secundo attributo: si enim Imperium perpetuum est & summum, haud precarium erit vel subalternum.

II. Cúmque is tàm eminentem qui obtinet potestatem, homo licèt existens, potestatem adeptus sit Divinæ succedaneam; ut res honestas & Divinas instituat, sermone autem humano utatur. Quod Philippi Macedonis apophthegma refert: Stobæus, *sermon. 46.* Quódque qui inter alios Regnum exercere velit, is ὡς θεὸν ἐν ἀνθρώποις debeat esse, vide. Reiner. Reinecc. *1. histor. Iul. in prolegom. cap. 3.* aut quòd DEO proximus sit. Iuretus *ad Symmach. lib. 10. Epist. 27. fol. 274.* Indè Majestatem cœlo delapsam finxêre; ac ut Deam, Honoris & Reverentiæ filiam coluêre prisci. Ovidius *libr. 5. Fastor.*

——— Honos placidoq; decens Reverentia vultu,
Corpora legitimis imposuêre thoris.
Hinc sata Majestas, quæ mundum temperat omnem,
Quâq; die partu est edita, magna fuit.

Et eadem proxima DEO creditur à Gunthero: qui, *5. Ligurin.* de illâ canit;

Semper terribilis, semper metuenda, suoq;
Plena vigore manet, nullique impunè premenda
Creditur, & semper cunctis & ubiq; timetur.

III. Hinc factum, ut divinas appellationes non rarò videamus Principibus aptatas; quódque Numinis & Oraculi verbo exprimuntur. Timpler *2 pol. c. 1. q. 6.* Quòd item olim Divi agnominati & consecrati, seu in Deorũ numerum relati fuerunt. Bulenger, *in Imperatore Roman. lib. 1. c. 10. & seqq. usque 17* Etiã Ebræi vocant Principes ac Iudices DEOS; quemadmodũ omne aliud, quod in suo genere excellit, Divinũ vocant, Drusius *ad loca Genes. c. 37. & 59. ad loca Exod. 21. 32. & 35.* Hinc sacra & sancta in jure nostro audit Majestas, & Imperator sacratissimus salutatur; res ipsius etiã privatæ, vocantur sacræ. Brisson. *Lex. lib. 7. verb. sacras etiã &c.* Sixt. *1. de regal. c. 1. n. 31.* Non quòd hâc ratione, DEO, quòd ipsius propriũ, impiè eripere velint Principes boni; ut quidé colligit Bodinus *1. c. ult. de Rep. n. 113. & l. 2. c. 6. n. 225.* ac etiã Cujacius *ad l. 9. C. d. Muril. l. 1.*

Non ut hoc superbiæ stimulos addere, sed Principes potiùs officij sui admonere, se nimirùm DEI ministros esse, DEIque clementiam, iustitiam & beneficentiam ut sequantur, instigare debeat. *Psalm.* 82. Iohan. *cap.* 10. *vers.* 34. *& seq. Auth. habitâ. ibi: & nobis ejus ministris. C. ne filius pro patre. l.* 1. *& 2. in princ. C. de offic. Præfect. Prætor. Afr.* ubi Imperator se ultimum DEI servum vocat. Bornitius *de Maiestat. cap.* 4. *fol.* 17. Iohann. Camman. *disput. de Iure Maiest.* 1. *th.* 13. Iohann. Forster, *disput. ad Instit.* 3. *thes.* 2. M. Anton. Pitsillius, *de instruendo Principe, Colore.* 2. *fol.* 34. VVaremund. *de subfid. cap.* 8. *num.* 2. *&c.* Paschalius, *in opere Coronar. lib.* 10. *cap.* 12. Ipse Homerus, Reges διοτρεφεῖς vocat, quasi in Iovis sinu, & ulnis educatos. Derivant etiam hinc nonnulli, virtutes, quibusdam Principibus in morbis quibusdam sanandis divinitùs concessas. vid. Marquard. Freher. *ad Petr. de Andlo lib.* 1. *cap.* 2. quà de re etiam pertractant Cominæ. *lib.* 6. *cap.* 7. *fol. m.* 536. Michael Piccart. *observat. decad.* 7. *cap.* 7. Kirchner. *disputat. Candidator. ord.* 6. *thes.* 2. Roder. à Castro, *in Medico-polit. lib.* 4. *cap.* 3. Philipp. Camerar *centur.* 3. *cap.* 42. Et ita de Regibus Hispaniarum habetur, quòd hæreditariâ quàdam virtute, Dæmones à corporibus fugent. Carolus Tapia. *in rubric. ff. de constit. Princip. c.* 1. *n.* 3. Reges Galliæ hæreditariam virtutem per manus traditam habere perhibentur, ut quoscunque strumis laborantes, (alii morbum Regalem dicunt. Chassanæus *in glor. mundi.* 5. *part.* 1. Tapia, *d. Rubric. ff. de constit. Princip. cap.* 1. *num.* 4.) atque affectos attigerint, sanos reddere valeant. Eamque omnes Francorum Reges à Sacrâ unctione (cuius oleum à Columba in baptismate Clodovæi à cœlo allatum, divino munere accepisse, putantur) virtutem solo tactu curandi strumos habere aiunt, ad eósque ex ultimis Hispaniæ finibus, strumosi accurrunt. Kornmann. *de miracul vivorum. fol.* 214. Anglos etiam ab Eduardo S. peculiarem morbos sanandi potestatem obtinuisse, Georgius Lilius refert, *in Chronic. Anglor. Reg.* A. C. 1043. vide Del-rio, *disquisition. Magicar.* 1. *cap.* 3. *quæstion.* 4. *m. fol.* 60. Pyrrhus, Rex Epirotarum, in dextro pede pollicem habuit, cuius tactus lienosis medebatur, quem cremari cum reliquo corpore non potuisse, idem Kornmann. *ibid.* & Plinius etiam memorat. Vespasianus à naturâ donatus legitur, ut tactu & salivâ, & quandoque sine his, pluribus morborum generibus mederetur. Kornmann. *dict. loc.* Ac legitur de eo, cùm esset iam à militibus salutatus Imperator, auctoritatem & quasi maiestatem quandam inopinato scilicèt & adhuc novo Principi defuisse: quæ non priùs accesserit, quàm è plebe quidam luminibus orbatus; item alius debili crure, sedentem pro tribunali paritèr adiissent; orantes, ut Suetonius ait, opem valetudinis: demonstratamq; à Serapide, per

quietem

quietem restiturum, oculos si inspuisset, confirmaturum, crus, si dignaretur calce contingere: cumque vix fides esset, rem ullo modo successuram, ideóque ne experiri quidem auderet. Extremò hortantibus amicis palàm pro concione, utrumque tentavit, nec eventus defuit, atque ita quod primùm desiderabatur, auctoritatem indeptus est. Sed hæc quæ de Vespasiano narrantur, præstigiis Diabolicis adscribit meritò Bellarminus *lib. ult. de Eccles. cap. 14. ad fin.*

IV. Non possum hîc non meminisse: Divinitatem in Principe suo Eberhardo, primo VVirtembergensi Duce, agnovisse maiores nostros. Is enim Urbes suæ ditionis circumeundo, & apud cives de Magistratus, & Præfectorum integritate, apud peregrinos de hospitum fide diligenter inquirendo; tantum sibi comparavit omnium amorem, ut subditi viventem etiamnum inter Deos referrent, cum eiusmodi præconio: Nisi Deus esset, noster Dux Eberhardus Deus esse posset. Hic est ille qui in Principum Comitiis, aliis alia ditionum suarum bona prædicantibus: Ego verò, inquit, hoc solo glorior, quòd nullus ex subditis meis sit, in cuius sinu solus in vastissimâ sylvâ quiescere metuam. Iohann. Agricol. *in Proverb. Germanic.* Sed hæc simplicitati priscæ illius gentis fero acceptum. Nimis tamen Pitsillius evagari in hoc argumento videtur, dum, *colore 3. fol. 46.* dicit: Maiorem ac sanè priorem à Deo Servatore curam de Principe, quàm de subditis geri: excelsioremq; Principi Angelum, quàm ulli subditorum, in custodem datum adfirmat. Ut & Moditius, qui *in §. Principum placita. dubit. 1. num. 4. &c.* Regibus ac Principibus, duos tribuit Angelos custodes, Non est quippe Deus προσωποληπτης *arg. 1. Corinth. 1. vers. 26. & seq.* & in Regno cœlorum, id est, coram Deo, maximus est, qui contemptus in mundo, & parvulis similis existit. *Matth. 18.* Principúmque eminentia, pertinet ad solam vitam temporalem. Verè Altissimus Deus non amat sibi similes creaturas, id est, altas & sublimes; sed humiles & pauperculas. Sic enim loquitur per Isaiam: *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum & contritum spiritu, & trementem sermones meos?* Et David, *Excelsus Dominus, & humilia respicit.* Imò verò diligit Deus res altas & sublimes, ac per hoc sibi similes: sed verè sublimes, non quæ videntur, & non sunt. Itaque non amat Deus superbos, qui elati & inflati, non alti & sublimes dici debent, amat verò humiles, & trementes sermones suos, quoniam illi qui magis se deiiciunt, eò magis ab ipso Domino exaltantur. Et qui à Domino exaltantur, illi verè sunt alti. Itaque iidem sunt humiles, & sublimes, humiles in oculis suis, sublimes in oculis Dei. Cardinal. Bellarminus, *in egreg. tractat. de ascensione in Deum, grad. 10. fol. 244.* Quódque Reges, Principes, aliique magni

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1;Leibn. Marg. 0,1, Stück 3, [15] - 13

viri, DEUM custodem in præsentissimis periculis & insidijs habent: Camerarius *centur. 2. cap. 7.* hoc & omnes pij indies experiuntur. Undè nec apotheosis aut divinitas affectata, ulli bene cessit. Richterus *axiomat. historic. 175.* Ac impissima fraus est, si Principes (ut olim multi fecerunt) ex Diis se natos gloriantur. Camerarius *centur. 2. cap. 9.* Affectatámque Divinitatem, horrendæ subsequuntur pœnæ. Camerarius *centur 3. cap. 18.* Historia memorabilis est apud Eusebium, *Lib. 2. histor. cap. 10.* de Herode Agrippâ; qui cùm se Deum passus fuit nominari, ab Angelo, suo aliàs custode, graviter læsus fuit. Sed verba Eusebij adscribam: Tertium, inquit, annum Imperii Iudeæ totius expleverat, cùm fortè Cæsaream, quæ prius Πύργος στράτωνος vocabatur, advênit. Ubi cùm in honorem Cæsaris spectacula Civibus ederet, votivo, ut videbatur, salutis Cæsaris die: cúmque illius totius provinciæ viri, honore & facultatibus prædíti, convenissent, secundo spectaculorum die, indutus veste fulgenti, ex auro argentóque mirabiliter contexta, incipiente die procedit ad theatrum. Ubi cùm primò solis radios argenteæ vestis gremio suscepisset, repercusso splendore, duplicatam spectantibus lucem fulgor metalli vibrantis effudit, ut intuentibus perstringeret aciem terror aspectus, & per hoc plùs aliquid de eo, quàm humanæ naturæ est, artifex arrogantia mentiretur. Ilicò adulantis vulgi concrepant voces, honorem sonantes, sed exiiium conferentes, & hinc atque hinc caveis conclamantibus, Deus compellatur: utque fieret propitius, suppliciter exoratur, dicentibus populis, quòd nunc usque ut hominem, te timuimus, sed ex hoc jam supra humanam naturam te esse fatemur. Sed Rex acclamationem contra fas habitam non repressit, nec impietatem illicitæ adulationis exhorruit; donec respiciens paulò post imminentem atque insistentem capiti suo videret Angelum: eúmque sensit continuò exitii sui ministrum, quem priùs noverat provisorem bonorum. Et ecce repentè cruciatus eum ex dolore incredibili ventris atque inflatione corripuit: respiciénsque ad amicos: En, inquit ille, ego Deus vester, ecce propellor confestim, & deturbor ex vitâ, quoniam quidem Divina virtus nuper collatas in me falsas arguit voces. Et qui modò immortalis dicebar à vobis, præceps iam iamque rapior in mortem. Sed suscipienda est sententia, quam DEUS statuit. Nam & vivimus haut contemnendi, & longævitatem, quæ beata putatur, explevimus. Et cùm hæc dixisset, vi doloris vehementiùs agitatus, instanter ad palatium reportatur. Cúmque divulgatum esset, eum propediem moriturum, ingens multitudo totius ætatis & sexus conveniens, more

patrio

patrio super cilicia strati, omnipotenti DEO pro Regis incolumitate supplicabant, omnis autem Domus Regia planctibus & gemitibus personabat. Cùm interim Rex ipse in excelso solario recubans, & deorsùm respiciens, ac pronos prostratósque omnes cum fletibus prævidens, ne ipse quidem temperabat à lachrymis : Verùm continuis quinque diebus ventris doloribus cruciatus, vitam violenter abrupit. Cæsares etiam Romani, omnes ferè morte tristi abrepti, Dii vocari gestiebant. De C. Julio Cæsare, testis Diodorus, *principio suæ historiæ*; Cajus Julius Cæsar, qui ob res gestas Deus appellatus est. De Augusto. Virgilius *Ecclog. 1.*

——— *Deus nobis hæc otia fecit &c.*

De Tiberio Scribonius Largus, *præfation. ad C. Iul. Callixtum* : Ut primùm potuisti, non es passus cessare tuæ erga me pietatis officia, tradendo scripta mea medicinalia Deo nostro Cæsari; Tiberio scilicèt sub quo vixit iterùm, *cap. 166.* Nam in Italiæ Regionibus nusquam eam vidi herbam, (loquitur de trifolio acuto) nisi in Lunæ portu, cùm Britanniam peteremus cùm Deo nostro Cæsare. Domitianum verò ultrà etiam sibi id nominis impiè arrogâsse, autor Suetonius est: Pari arrogantiâ, cum Procuratorum suorum nomine formalem dictaret epistolam sic cœpit: Dominus & Deus noster sic fieri jubet. Undè institutum posthâc, ut ne scripto quidem ac sermone cujusquã appellaretur aliter. Observavit id non intelligenter Martialis, qui multis locis non aliter nominat, *lib. 5. Epigrammat* : Edictum Domini Deique nostri. Et de ejus statuâ *lib. 9.* Postquàm pulchra Dei Cæsaris ora geris. Et posteà illo defuncto, ac designato jam Imperatore, Trajano, *lib. 10.*

Dicturus Dominum Deumq; non sum. &c.

Addatur Iohann. Filesacus, *de Idololatriâ politicâ per discurs.* Sanè vetustas nimiùm adulatrix est, quæ tàm facilè Imperatores Divos finxit. Nec immeritò ea vanitas sanioribus displicuit. Aurelius quidem Victor, Paganus Historicus eius seculi, *libr. de Cæsaribus cap. 33.* liberè conquestus fuit, in cœlestium numerum referri quosdam Principes, ægrè exsequiis dignos : cùm illud verum atque unicum decus pessimo cuiq; gratiâ tribueretur, demptũ impiè bonis. Ex Christianis autẽ S. Prosper. Aquitan. Episcop. *libr. dimidii tempor. c. 7.* scripsit, execrabile esse quòd mortales Romæ vocarentur Divi. Iohan. quoq; Saresb. *Polit. l. 3. c. 10.* ait: à Romanis deificatos suos Imperatores, ac si cœlo, mundóq; regẽdo, nisi Tyrannis ascitis, non sufficeret manus omnipotentis. Addit

suo

ſuo etiamnum ſeculo, Principes fidei luce præſignes, audere & gaudere ſe Divos appellari: veteri conſuetudine, in vitio, & adverſus Catholicam obtinente. Certè Illuſtriſſimus Cardinalis Bellarminus, *in princip. libri recognit.* aſſertat, nec Sanctos, Divos eſſe appellandos. Et Auctor tr. contra Synodum Græciæ, pro imaginibus adorandis, falsò Carolo Magno inſcripti, improbat, quòd Conſtantinus & Irena dicunt: per eum, qui conregnat nobis Deus. *lib. 1. cap. 2. & lib. eod. cap. 3.* non probat, quod iidem Imperatores, geſta vel reſcripta ſua, audeant Divalia appellare.

V. Summi huius Imperii, quam Maieſtatem vocamus, formale, in eo præcipuè conſiſtit, ut ſumma ſit, & univerſim imperet. Summum dicitur, quo nihil eſt ſuperius, & ſupremus eſt, quem nemo ſequitur. *l. proximus 92. de V. S.* qui ante aliquos, & ante quem nemo. *l. 34. de vulg. & pupill. l. 9. de reb. dub. l. 2. §. 2. de ſuis & legit.* is qui ſolus *d. l. 9. l. 1. §. 6. unde cogn.* Indèque Imperialis fortuna, omnes alias dicitur ſupereminere. *l. 7. C. de bon. quæ liber.* Maieſtatem autem cùm ſummam poteſtatem voco: ex eo ſequitur, eam etiam primam eſſe, & ſuæ quaſi originis: quippe cùm à ſuperiore nullo dependeat vel proficiſcatur, niſi à ſolo DEO; qui eam proximè antecedit, & cuius vicem obtinet in hoc mundo: Alberic. Gentilis *diſp. Regiâ. 1. pag. 17.* Gevvoldus *de Electoribus. cap. 1.* Gerhard. *loco de Magiſtratu num. 33. &c.* Eleganter Guntherus, *in Ligurino, lib. 6.*

Nullum caput iſta ſuper ſe
Aſpicit, excepto Cœlorum Rege, poteſtas.

Nihil refert Maieſtatem ab alio transferri. Haud quippe à populo eſt Maieſtas, qui eam tranſtulit in Principem: ſed ipſa ea poteſtas, quam populus ab initio habuit, fuit à DEO; qui transfert & ſtabilit Regna. Nec indè, quòd à populo translata fuit, à transferente ortum habet, tanquam ab eo delegata, Bornitius *de Maieſtate cap. 4. fol. 16.* vide Arniſæum, *de ſubiect. Clericor. cap. 1. num. 2. fol. 5.* Bŏrtium *apud Aruma. d. diſcurſ. 30. cap. 5. theſ. 2. fol. 901.* Imperator ab Electoribus accipit Maieſtatem, ut causâ inſtrumentali: Viciſſim Regalem poteſtatem Principibus ac Statibus largitur Imperator, ut efficiens cauſa. Ita Pontifex à Cardinalibus eligi ſolet; ſed non ideò Pontificatus à Cardinalibus eſt inſtitutus. Quâ de re ita Bellarminus ſcribit: *lib 2. de Pontific. cap. 17.* Electores verè dicuntur creare Pontificem, & eſſe cauſa, ut talis ſit Pontifex, & ut habeat eam poteſtatem, non tamen dant ipſi eam poteſtatem, neque ſunt cauſa eius poteſtatis. Sicut in generatione hominis, quia anima infunditur à ſolo DEO, & tamen Pater generans, diſponendo materiam; eſt cauſa coniunctionis animæ cum corpore: dicitur homo generare

nerare hominem ; & tamen non dicitur producere animam hominis. Porrò illa verba Electorum: *Quem quidem cum eâ potestate praesse volumus &c.* solùm declarant & exprimunt perfectam electionem hominis, in successorem Petri. Et notatu quoque dignum est, quod item Bellarminus, *lib. 1. de Clericis cap. 7.* tradit : In Republicâ, naturaliter omnes homines liberos nasci : ac proindè politicam potestatem immediatè populum habere, donec eam transtulerit in aliquem Regem, &c. Sicque originem Majestas omnis à populo habet, sed tamen causa primariò efficiens est ipse DEUS. Et hinc illa sacra Elogia, de summâ Principum potestate: Nulla potestas nisi à DEO; Non hominum, sed DEI Iudicium exercetis; Deus transfert & stabilit Regna. Hincque Imperatores Romani passim profitentur, Imperium sibi traditum accepisse à cœlesti Majestate, & DEUM omne Imperium constituere. Hinc Imperator dicitur sequi DEUM, qui omnia gubernat, ut nil sit majus & sanctius Imperiali Maiestate à cœlesti Maiestate, Cæsari Imperium traditum, eidémque Deum Imperii coronam imposuisse. *Novell. 82. cap. 4. in fin. Novell. 83. cap. 1. l. 1. C. de Veter. Iur. enucle. l. fin. C. de legib.* Bornitius, *de Majestate cap. 4.* Et indè etiam videmus, ita hodiè Imperatores pingi, ut sinistrâ manu teneant sphæram, quę orbem terrarum designat, eique impositam crucem, quâ innuitur, fidei in Crucifixum beneficio, illos terrarum orbis Imperium esse adeptos. Primúsque se ita effingi fecit Imperator Iustinianus, Iohann. Meursius, *in Mantissâ cap. 8.*

VI. Indè etiam est, quòd Romanorum olim Imperatores Deorum providentiâ, hodierni, DEI gratiâ, von Gottes Gnaden / se constitutos scripserunt, & adhuc scribunt. Wesembec. *ad princip. proœmij Institut. num. 3.* Bodinus *1. de Republ. cap. ult. num. 177.* Quódque proindè à nullo, nisi qui solum DEUM, & ensem, nec ullum alium externum Principem pro superiore recognoscit, propriè fieri, iudicat Rebuffus. *tom. 2. const. Regn. tractat. uti beneficium ante vacation. &c. artic. 2. gloss. 1.* Chassanæus, *ad consuet. Burgund. in proœm. ad verba, par la grace du Dieu.* Menochius, *consil. 2. num. 104.* Ludov. Rodolphinus, *de Ducibus Italiæ num. 83. &c.* Hàncque in scriptionem, ut suis detraheret rescriptis, Ludovicum XI. Galliæ Regem, Francisco, Armoricum Duci, jussisse, *dict. loc.* Bodinus refert. Testatúrque P. Ærodius, *rer. judicatar. lib. 7. tit. 3. cap. 9. fol. 563.* Sub Carolo VII. Comitem Arminacem, quòd se gratiâ DEI inscriberet, propterea Maiestatis fuisse accusatum: eò quòd hisce verbis Regiâ se potestate liberare videbatur, unúmque se, non Carolum velle observari. Eáque inscriptione Germaniæ Principes, (ut potè Imperatori & Imperio subiecti) non jure proprio, sed ex privilegio, (aut ut alii censent, propter eminentiam aût ocraticæ

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 3, [19] - 17

potestatis,& quia membra Imperii sunt)uti putat Matth. Stephani,*2.de Iurisdict. part.2. cap.7. numer.40.*

CAPUT III.

De Pontificis Maximi Potestate temporali.

DIcendum hîc aliquid est,de Pontificis Maximi potestate temporali, & nùm omnes Christiani Reges,eius subditi sint ac Vasalli.Hâc sanè de re,non solùm ii disputant satis invidiosè, qui se ab eius potestate spirituali exemerunt: vid. Ioh Gerhardi, *loco de Magistratu. n.295.&c.* Sed & libertatis Gallicanæ Ecclesiæ propugnatores. vide *les recherches d'* Estienne Pasquier. *lib.3.per tot.* Sed è contrà,summum PONTIFICEM, habere summam in Mundo potestatem, etiam in temporalibus: non ratione solùm peccati,sed directò temporalitèr,non spiritualitèr,pluribus ante paucos annos probare nisus est D. Marta,*de Iurisd.part.1.cap.18.& multùs seqq.* Quemadmodùm in Ecclesiâ triumphante,unus est Dominus, cui obediunt omnia: sic & in Ecclesiâ militante unius DEI vicarium Pontificem esse, idque etiam politicam exigere rationem. vid. Canonhiero *dell' introduzz.10.cap.2.*& adde Reinald. Corsum.*3.indagat.cap. ult.* Plutarchus in Numâ,Pontificem à potentiâ,dictum putat. Verè hoc etymon Canonistæ sequuntur,qui confidenter tradunt: Papam cœlestis & terreni Regni caput esse. Alexander. Carerius Patavin.*de potestat. Pontif.lib.2.cap.3.n.5.* De Iure divino & naturali,ait,sacerdotium supereminet Imperio:& penes ipsum residet de Iure Divino & Naturali,utraque Iurisdictio. Augustinus de Anconâ, *in summâ de Eccles. potest. quæst.1.art.7.* Papa habet omnem, etiam Regalem & Imperialem potestatem,quia non modò consecratur,ut Sacerdos, sed coronatur ut Rex. Antonius Archiepisc. Florent. *part.3.sum.tit.22.cap.6.§.4.* Summo sacerdoti,Christi vicario,Pontifici Romano omnes Reges Christianos oportet esse subiectos; sicut ipsi Domino IESU Christo. Iohann. Boterus, Cosmographus Italus,inquit;eiusdem Papæ Iurisdictionem agnoscere, tàm horizontè,quàm omnes terminos,sive montiũ,sive mariũ: & ipsas anni,solisque vias. Quid Principes aut homines loquor? (inquit Lipsius D. Halésis amplificator) ipsi aërei,terreni,inferi spiritus,sive genii verétur, ac trepidant cœlestem illam (Pontificiam) in terris potestatem: vel inviti & reluctantes agnoscunt. In huius superioritatis & Maiestatis recognitionem, testificationemque, Pontificios pedes osculari omnes Reges:

Reges: D. Marta scribit, *de Iurisdict. part. 1. c. 46.* Lancell. Conrad *Templ. Iudic. 2. cap. 1. §. 1 fol. 555.* addatur Iohann. Gerhardi, *loco de Magistrat. n. 82.* Papæ etiam ideò mutatur nomen, quasi aliquid sit homine majus. Solebant enim olim mortuis consecratis, nomina quæ vivi habebant immutari. Lactantius. *lib. 1. cap. 21.* Talis etiam est inscriptio, quâ Cavalier Marino, librum quendam (*Dicerie sacre*) nuper obtulit Paulo V. *Alla immortalità di Paolo Quinto, Pontefice migliore degli Ottimi, maggiore de massimi; dell anime fedeli Padre beatissimo, custode della vigna Ecclesiastica; pastore della greggia Catolica; Nochiero della nave Apostolica; simulacro di Dio, Vicario di Christo, ministro dello Spirito sancto; Fonte di prudenza, specchio di bontà, Sole di gloria: Cultore della Religione, defensore della giustitia, protettore della pietà; domatore di rubelli; Conciliatore di Prencipi, di moli immense erettore magnifico, campione dell' autorità di Piero, armato di doppia spada, spirituale & temporale. Il cui imperio si termina con le stelle; al cui scettro ubbidisce il mondo, trema l' inferno; le cui chiavi aprono, & serrano il paradiso; all' umbra del cui provido governo, verdeggia la pace, fiorisce l' abbondanza, ricovera la virtù, vivono felicii popoli; sotto la cui aquila giace prostrato il dragone, dal cui piede è conculcata l' Heresia. &c. Hactenùs Marino.*

II. Theologi Catholici nonnulli, Canonistarum hyperbolicas locutiones non agnoscunt, & ita dicunt: Ecclesiasticam potestatem esse omninò super secularem, eamque à Pontifice exerceri posse, in foro exteriore: facultate etiam punitivâ, cùm quis subesse voluerit. Non solùm ratione lethalis criminis; sed ad virtutum quoque naturalium, & supernaturalium conservationem ac progressum. Verùm tàm Canonistarum à D. Martâ in scenam de novo introductam; quàm Theologorum, à Francisco Bozzio, *tractat. de temporal. Eccles. Monarchiâ*, assertam opinionem, refutat Guilielm. Barclajus, Romano-Catholicæ aliàs religioni addictissimus, *tract. de potestat. Papæ.* Illúmque filius, hâc de re masculè defendit. (qui tamen *in paræneſis ad hæreticos præfat.* palinodiam canit) addatur Arnisæus, *tract. de exempt. Clericor. cap. 5. per tot.* Bellarminus *lib. 5. de Pontif. per discurs.* huic doctrinæ multorum odia parata videns, Principúmque offensionem: idcircò distinctionibus quibusdam, rei asperitatem mitigat, (eâ in re non dubitans opponere se Canonistis, & scriptoribus huius ævi multis) quarum distinctionum numero novem sub aspectum ponit, & singulas seorsim expendit, Petrus Molinæus, *tract. de Monarch. temporal. Pontif. Romani. c. 21.* Auctor, deß Calvinischen Models *fol. 29. &c.* ita censet: Gott habe die höchste Oberkeit/ ratione directionis, dem Hohenpriester vnderworffen: Auch ratione coactionis, in Fällen da die Religion interessirt. Sed regerunt adversarii

versarii Catholicorum,utut Coloris bonitate hanc potestatē tueantur: in effectu tamen Theologorum,& Canonistarum opiniones concidere videri: cùm & Theologi dicant,spiritualis potestatis exercitium ex parte vires suas porrigere ad res temporales. vide *la premiere continuation* au Mercure François *sub Anno 1611. fol. 151. b. &c.* Et addunt etiam,parùm referre , directenè an indirectè ea potestas Pontifici tribuatur. Paurmeister. *2. de Iurisdict. cap. 3. num. 46. & seq.* Et quantùm sibi in temporalibus arroget Papa,ex historiis,Pontificialibusq;, Decretis, edocere conatur , Petr. Molinæus *d. tract. de Monarch. cap. 5.* ut & Paurmeister,*dict. cap. 3. à princip.*

III. Ego litem hanc non facio meam , fateórque lubens,hâc de re si quis exactè,& pro rei dignitate ac antiquitate,disserere velit: requiri in eo Judicium,otium, industriam, historiarum Ecclesiasticarum exactam cognitionem. Quæ cuncta mihi desunt. Nec certè hic sufficiens est,si quis ex indicibus,vel centonibus aliorum,compilare & congerere multa velit. Ego modo sollemniori protestor,me nunc agere narratorem. Et pergo ideò in recensione opinionis , sententiæque aliorum, qui ita dicunt: Si Pontifici quò ad temporalē , ullo respectu detur potestas,eo uno dato inconvenienti, quàm plurima indè consequi. Nempè Pontificem Maximum,nominare,denunciare,& declarare Regem Romanorum. Ius & auctoritatem examinandi personam electam in Regem,& promovendi ad Imperium, Pontificii muneris esse. *c. venerabilem de Election. clem. 1. §. nos de Iureiurand.* Imperatores de jussù & voluntate Christi,à Papâ accipere potestatem : *c. cum inter nonnullos. & cap. seq. extravag.* Iohann. *22. de verb. signif.* & etiam Imperium à Græcis ad Germanos,per Pontificem Romanum esse translatum. Bellarminus,*lib. ult. de Pontif. cap. 8.* Eodem hoc subnixi fundamento, Reges occidentis omnes,ipsumque cumprimis Imperatorem Romanorum, Vasallos suos venditare Pontificiam sedem,quasi qui ab ipsâ , Feudi ac beneficii loco acceperint sua Regna,eóque nomine,fidelitatem atque homagium ei præstare teneantur. *can. tibi Domino, distinct. 73. & d. Clementin. 1. de Iureiurand.* Franc. Hottoman. *in Bruto fulmine, tit. Crimen. Majestat. fol. 66.* Philippe de Marnix. Sr. d' Aldegonde , *part. 2. des tableaux de differens de la Relig. cap 9.* Mercure François. *tom. 3. fol. 308. &c.* Proindè si contumaces sint,eos à Papâ de throno dejici posse,non docere solùm,sed & in usu habere Pontifices Romanos. Rob Bellar. Card. *l. ult de Pont. c. 7. ad fin. & c. seq.* ut & idem, *tract. de potest. Pontificis, in temporal. adversus Barclaium.* vide Stapletonum, *tract. de magnitud. Ecclesiæ Romanæ. lib. 2. per tot.* ubi latè de potestate Pontificis in Reges: cōtra quā disputat Lehman. *lib. 5. c. 68.* Ex hoc eodem fonte hauriri,axioma illud: Imperium

rium Romanorum tantum duraturum in Germanis, quantum Ecclesia Romana expedierit judicaverit. quod asserit *lib. 3. de regimine Princip. cap. 18. & seq.* S. Thomas (aut quicunque alius illius libri Auctor sit: etenim Bellarminus *lib. ult. de Pontific. cap. 5.* probat, falsò B. Thomę illum adscribi.) Item, quod Imperator Romanus, si adversus Pontificem Romanum insurgat, Criminis Majestatis reus dici, & accusari queat; ut sentit Gigas, *tract. de Crimin. Majestat. tit. qual. & à quibus Crim. læs. Majest. comm. quæst. 2.* Decian. *prax criminal. lib. 7. cap. 8. num. 1.* Quin & Anno 1492. Alexander Sextus, novas insuper ac incognitas anteà Insulas, motu proprio, de merâ liberalitate, & ex certâ scientiâ, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine ex æquo bifariàm secuisse: & eam, quæ in Orientem, Portugalliæ; illam in Occidentem quæ vergit plagam, Castiliæ Regis arbitrio ac libidini permisisse. Lopes de Gomarâ, *in histor. Indicâ* & Hugo Grotius, *tract. Mare liberum, cap. 3. 6. & 10.*

IV. Odiosè & invidiosè dogmata jam proposita, exaggerant non solùm ii, qui vel à Catholicâ fide fecerunt secessionem, vel saltem Pontificiam oppugnant potestatem; sed & eadem hisce vel consimilibus, refutare conantur iidem, ac dicunt: quemadmodum Attabaliba Rex Peruanus, falsè respondit, donatorem illum insigniter fatuum, & impudentem esse, ex eo facilè prodi, quòd aliena tàm liberaliter largiatur. Benzo. *3. histor. novi orb. cap. 3.* Ita Romanos Episcopos, non minùs actu & potentiâ, quàm alios cujusvis Ecclesiæ Antistites, ex sui officii naturâ, Jurisdictione seculari carere. Bodinus *3. de Republ. cap. 3. nu. 227. & seqq.* Duarenus, *1. de Ecclesiis. cap. 2. & 5.* Vasquius, *illustr. controv. 1. cap. 21. & seq.* Joh. Forster. *disputat. ad Decalog. dec. 2. probl. 2.* Cluten, *in Sylloge thes. 6.* Rationes etiam addunt: aliud nimirùm esse imperandi, aliud docendi Jus. Cluten *in Sylog. th. 5.* Nec solùm Aristotelem, Sacerdotum officium à civili Imperio distinctum esse, jubere. *4. polit. 15.* Sacerdotiúmque, præter curam rerum Divinarum, sui naturâ nil Imperij Politici, apud omnes gentes habuisse. Bodin. *d. n. 227. &c.* ac Joachimus Stephani, *4. de Iurisdict. cap. 2.* Sed & Dominum nostrum palàm negâsse, Regnum suum esse de hoc mundo. *Iohann. 18 vers. 36.* Quin imò ipsum solum fugisse in montem, cùm cognovisset, quòd populi venturi essent, ut facerent eum Regem *Iohann. 6. vers. 15.* Noluisse ipsum pronunciare de adulterâ, nec enim venisse Judicem, ut terrenum Magistratum. *Iob. 8. vers. 2.* Adferunt illud S. Bernhardi, *considerat. ad Eugen. 1.* Ubi quispiam Apostolorum Judex hominum sedit, aut divisor terminorum, aut distributor terrarum? Stetisse lego Apostolos judicandos, non sedisse judicantes. Nec Petro dictum esse: rege aut subige, sed pasce: neque dictum; oves tuas, sed meas. Erasm. *in compend. Theolog. fol. m. 26.* ac perperàm

peràm Baronium adposuisse, occide, *in Script. contra Venetos.* Discipulis item omnibus Christi, prohibitum fuisse, in gentes dominari. *Matth.* 20. *vers.* 25. *& seq.* Undè in exorabiles esse Pontifices, Waremundus ait, *in verosimil. cap.* 1. *num.* 12. dum non admittere dignantur: Vos autem non sic. *Luc.* 22. Cúmque Ecclesiæ ministris, potestas à lege Christi sit data expressè, ligandi & absolvendi; non ultra id, quàm quod nominatim eis est datum, sibi vendicare posse: ut scilicèt coarguant verbo delinquentes, & excommunicent contumaces. Omnem Ecclesiasticorum potestatem, hoc fine circumscriptam, ut ad vitam æternam obtinendam dirigamur. Quæcunque igitur hûc non faciunt, ad illam potestatem non esse referenda. Et cùm finis politicæ potestatis sit Reipublicæ salus, quicquid huic fini per se nõ inservit; eò minimè referri debere. Arnisæ. *de exempt. Clericor. cap.* 1. *sub. num.* 3. *fol.* 7. *&c.* In cæteris Jesum Christum, Filium Dei, quatenùs homo factus, & ministerio docendi est functus, Magistratui Politico subditum extitisse. Hoc idem Apostolos, verbis & factis præstitisse, & ab ipsorum successoribus multa per secula observatũ fuisse. *Disputat. polit. de transl. Imper. à Græcis ad Francos, cap.* 1. *quæ ante paucos annos Hanoviæ edita fuit, & nunc habetur in Polit. Imperial. Goldasti.* Hinc rectè de Bonifacio VIII. Platinam judicare, *in eius vitâ.* Quòd Imperatoribus, Regibus, Principibus, & Nationibus, Populísque terrorem potiùs, quàm Religionem voluerit injicere, Dominum temporalium omnium se dicens.

V. Ex hactenùs deductis, porrò cum Ferrarienſi *pract. in forma libelli action. confessor. gloss.* 7. *ad verb. plenam & omnimodã* dicunt multi: Secularem jurisdictionem Cæsari, Regive alicui tribuendi, aut adimendi; vel ullum superioritatis Jus, Pontifici in illos competere, dictu ridiculum, & abominabile auditu esse. vid. Pasquier, 3. *des recherches, cap.* 10. *& seq.* Oratio Iacobi Britann. Regis, *contra Cardinal. Perron. fol. operum* 419. Reinking. *lib.* 1. *class.* 2. *cap.* 5. Nec ante Hildebrandum, qui fuit 1000. ampliùs annis à nativitate Christi, quenquam excommunicâsse, vel regno privâsse Imperatorem. Otto Frising. 6. *cap.* 35. Sigebert. sub Anno 1088. Leheman in der Speyrischen Chronick. 5. *cap.* 68. Sed videatur Cardinal. Bellarminus, 1. *de translat. Imp. cap.* 2. *fol. m.* 391. ac etiã *lib.* 4. *de Pontif. cap.* 13. & adde Syntagma Gerhohi, Præpositi Reicherspergensis, *de Henr. IV. & V.* Neque etiam id jus habere Sacerdotem ullum. Waremund. *de subsid. Regni. cap.* 2. *fol.* 31. *& mult. seqq. usque ad fin. cap.* Ut & falsum ajunt, à Græcis ad Francos per Pontificem Romanum; non populi electione, Imperium fuisse translatum. Perkins. *in problem. de Romana fidei ementito Catholicismo, verb. Regum potestas, num.* 3. *fol.* 480. *& seqq.* Marsilius de Padua, Flaccius Illyr. Francisc. Iunius

nius & Henning. Arnisæus. *tract. tit. hâc de re singul.* Freher *ad Petrum de Andlo*, 1 *cap.* 13. *fol.* 156. *b.* Dn. affinis meus Cluten, *in Syllog. thes.* 4. Bôrtius, *disput. de Maiest.* vid. etiam suprà *d. disputat. politic. cuiusdam German. ICti, de translation. Imperii à Græcis ad Francos. cap.* 3. *& seqq.* in Imperialibus Latinis Goldasti, Reiner. Reinecc. *ad annales Poetæ anonymi. d. gestis Caroli Magni lib.* 4. *fol.* 47. *b. &c.* Cardinal. Cusa, *de concord. Catholic. lib.* 3. *cap.* 3. Reinking. *lib.* 1. *class.* 2. *cap* 3. *&* 4. Sed operosus est Cardinalis Bellarminus, in contrariâ opinione asserendâ, *tract. sing. de translat. Imper.* qui etiam *lib.* 2. docet, quòd Imperium ad Germanos à Francis pervenerit auxilio Papæ.

VI. Ajunt porrò, quòd omnis Pontificis Principatus in Italiâ, partim Mathildis, partim Imperatorum aliquot beneficiis sit comparatus, Lehman. 5. *cap.* 35. *fol.* 469. Paulus Busius, 1. *de Republ. cap.* 5. *fol.* 14. Nempè à Pipino & Carolo Magno, qui non territorium dederint, sed tantùm usumfructum, retentâ superioritate. Lehman. 3. *cap.* 23. Claude Fauchet, *tom.* 2. *lib.* 1. *cap.* 4. *&* 10. Hæcq; amplificâsse Ottonem III. Imp. Lehman. 5. *cap.* 15. (sed exactè satis hâc de re tractat Bellarminus, *lib.* 3. *de Pontif. cap.* 3. *fol.* 277. *col.* 1.) Undè & Imperii Vasallum Pontificem dicunt. Vult. *de feud. cap.* 4. *num.* 9. Et in Imperii territorio existere patrimonium Petri. Dn Bocer. *de Crimin. Majestat. cap.* 1. *num.* 18. Quin & Crimen Majestatis adversus Imperatorem committere. Camman. *disputat. de Iurib. Maiest.* 3. *thes.* 11. Nec ipsum regalia Majestatis habere, Cluten, *in Sylloge th.* 8. & non diù esse, absolutum quòd Romanæ urbis se Principem jactat. P. Molinæus, *de Monarch. temporal. Pontific. cap.* 14. Pasquier. 3. *des recherches, cap.* 4. Olim quidem Constantini cessionem prætendisse; nunc ejus vanitatem ipsum Baronium detexisse (vide Freher. *tract. de Constant. Magni Donat. Papæ Sylvestro factâ.* Iul. Cæsar. Bulenger. *de princip. Roman* 1. *cap.* 4. Cardinal. Cusan. *lib.* 3. *de concord. Catholic. cap.* 2. Lehman. *lib.* 3. *cap.* 25.) firmiori qui censent niti fundamento Pontificiam Monarchiam. Sed regerunt ii, qui ab Ecclesiâ Romanâ secesserunt: cùm Pontifex Imperium suum à Christo nequeat habere, qui dixit: Regnum meum non est de hoc mundo, ut jam suprà attigi, cùm à D. Petro id non possit derivari: utpote qui Compresbyteris suis præcepit, ne dominentur Clero. 1 *Petr.* 5. *v.* 1. *&* 3. Restare itaque ut immensa hæc potestas ab eo profecta videatur, qui omnia regna mundi & gloriam ejus promittit. *Matth.* 4. 9 *Luc.* 4, 6. Hinc q; Fridericus Tilemannus, *disputat. ff. penult. corall.* 5 dicit: Pontificem, vi, metu, fraude tantam Majestatem acquisivisse: hisque iisdem mediis acquisitam servâsse. Et in hâc artificiosâ potestatis spiritualis, ad incrementum potestatis temporalis flexione, mysterium consistere iniquitatis, Sathanæq;

profun-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 3, [25] - 23

profunditates: ut latè id probare satagit Petrus Molinæus. *de Monarch. temporal. Pontif. cap. 26.* hócque eodem intuitu Papale Imperium Metaphysicum vocat, Paurmeister. *2. de Iurisdict. cap. 3. num.* 48. Sed verò jam mox post Concilium Nicænum, Pontifex Romanus auctoritatem & prærogativam habuit insignem; ad eúmque Orthodoxi, contra Arrianos confugerunt: ejúsque Iudicium non levis momenti utrinque reputatum fuit. Historia tripartita, *lib. 4. cap. 6. ac 15. & lib. 5. cap. 29.* Sicque ejus magnitudo videtur originem habuisse à defensione Orthodoxorum, contra furores Arianorum, addatur Bellarminus, *lib. 2. de Pontif. cap. 17.*

VII. Quin & minimè consultum esse, tradunt multi, ut Ecclesiæ Ministri quicunque, præter Leviticam portionem, etiam Castella possideant, Civitates, Principatus &c. Arnisæus, *de immunitat. Clericor. 1. fol. 18.* & vide *tom. 5. des memoires de la Ligue fol 88.* Haut verè Episcopos esse, qui honore & dignitate, non opere & officio, nomen hoc tueri volunt. Henric. Eckhard. *tract. de ord. Ecclesiast. part. 1. fol. 55. & c ac quoque fol. 117. &c.* hoc est, qui putant è re fidei ac Ecclesiæ esse, ut Episcopi simul Principes sint, & possideant terrena. Primus omnium Otho Magnus, politicâ Iurisdictione Brunonem fratrem suum, Colonienſem Archiepiscopum honoravit: eâq; de re, ita loquitur Chronicon quoddã vetus: **Da begonten die Bischoffe zu erst weltliche Rechten zuhaben, das dauchte damals vnbillich manchen Manne.** Reinecc. *comment. de Saxonic. orig. fol. 14.* Sed quòd hoc à Francis processerit, hujúsque rei progressum, prolixè & operosè proponit, ac etiam disputat, nùm hoc è re Ecclesiæ fuerit, Christophorus Lehmann, **in der Speyrischen Chronick.** *lib. 2. cap. 21. 34. 35. lib. 4. cap. 3. lib. 5. cap. 12. & cap. 51.* Sed verò Bellarminus, *lib. ult. de Pontific. cap. penult. & ult.* rectissimè dicit, non necessariò bona secularia cum Ecclesiâ conjuncta, vel separata esse. Adde etiam Cusam, *lib. 3. de concord. cap. 29.* Et Thomam Bozium *de ruin. gentium paßim.* ac S. Bernhard. *lib. 1. & seqq. consid. ad Eugenium.* ubi de officio Pontificis agit: qui si ita esset, tolerari posset. Et magnum latet in eo libertatis arcanum, si inter Consiliarios & Status, etiam personæ Ecclesiasticæ recipiantur, in quos Monarcha non habet absolutam potestatẽ, quos pro arbitratu deponere nequit, qui uxore, liberisque carent. Sed divinè Divinus contemplator, Ioh Rusbroch *in comm. in tabernacl. fœder. cap. 134 fol operum.* 287. Deus omnipotens, haut secùs Prælatis Ecclesiæ omni inclementiâ interdixit, ac crudelitate; quàm Iudæis omni accipitrum genere: sicque accipitres designare puto eos, qui populum Domini, non ut pastores, sed Principum secularium more regunt, ac moderantur. Isti interim Principibus secularibus, quos per falcones accipimus;

cipimus, pigriùs ac remissiùs volitant, ubi populi commissi procuranda salus foret: sed illis astutiores sunt, ubi prædam sibi certam pollicentur, &c.

VIII. Porrò haud unquàm cordatiores Imperatores fateri voluerunt, Papæ vel etiam Ecclesiæ Romanæ nominationem, vel personæ approbationem necessariam esse; *can. in Synodo dist. 63.* quò ad potestatem, ullos Imperatori reservatos exercendi actus: nec quoad Imperii titulum & nomen. Alberic. de Rosate, *in l. benè à Zenone 3. C. de quadrien. præscript.* Marsil. Patavin. Guil. Occam, aliique plures, *tomo 1. & 2. Goldasti de Monarch. Imp. Roman. inserti.* Cusa *lib. 3. de concord. Cathol. cap. 4.* Ventura Vincentius, *in consil. super controversiâ Venetâ. cap. 2.* Simon Schardius, *tract. de Pontific. mutata confirm.* Andreas Osiander, Cancellarius quondam Acad. Tubing. *in Papa non Papa. loco 20.* Schönborner. *5. polit. cap. 8.* Auct. *politicæ disput. de translat. Imperij cap. 6.* Camman. *disput. 3. thes. 10. & seq.* Lehman. *lib. ult. cap. 17.* ego, *tractat. de succession. & election. lib. 3. cap. 1.* Certè si Imperium, à solo Deo, conspirante eligentium consensu venit; nullum beneficium adest, cujus intuitu fidelitas juretur. Indè colligunt nostrates, & etiam ex Catholicis nonnulli, impertinenter Præsulem Romanum exigere fidelitatem. Quamvis enim Principes Romani soliti olim fuerint, à Pontifice inungi: non minùs tamen absurdè fecisse ajunt, quòd ille superioritatis exindè arripuit ansam; quàm si Archiepiscopo Hafnienſi (nunc Roschildensi) vel Pragensi, hoc idem Ius quis tribueret in Daniæ ac Bohemiæ Reges. Busius, *disput. polit. 1. thes. 24.* Ipse Æneas Sylvius, *historia de Friderico III.* testatur, non olim à Pontificibus exactum fuisse jusjurandum illud, quod à Clemente V. authore Clementinarum, *in clementin. 1. de jurejur.* est introductum. Inter hoc, inquit, Legati summi Pontificis Fridericum sæpè adeuntes, juris esse, ac vetusti moris ajunt: jurare Imperatores Romanorum Præsuli, priusquàm B. Petri patrimonium ingrediuntur, &c. id ego, ait Æneas Sylvius, nullum unquàm Cæsarem exhibuisse comperi; nisi fortasse Carolum IV. & Sigismundum filium ejus. Henricus quidem VII. fidelitatem se jurâsse negavit; cujus causâ editam Clementinam dicunt. Minimè verò Ludovicus Bavarus, eo juramento sese adstrinxit: qui recusante Papâ Romano, coronam accepit &c. addatur Alb. Abbas Stadensis, sub Anno Christi, 1111. ubi refert, Henricum IV. hoc juramentum recusâsse. Sic & Franciæ Reges, teste Bodino, 1. *de Republ. cap. 9.* servitutem Pontificum ferre, ne momento quidem potuerunt, nec interdictionibus ullis, quibus veluti facibus, Pontifices ad incendia Rerumpublicarum utebantur, commoveri: quod idem longo stylo asserit at M. Johann. Savaron. *traict. de la souveraineté du Roy & de*

son Royaume ut & Pasquier, *3. des recherch. cap. 12.* Undè patere dicunt errorem Miczislai I. & Uladislai I. Regum Polonorum, qui Regio titulo sese abdicârunt: ad Papam pertinere rati, ut Regium Diadema conferret, ad quem etiam miserunt, licentiam Corona utendi petitum. Michovi. *lib. 2. cap. 1.* Cromer. *lib. 5.* Rectèque in illos quadrare illud Neronis: Nesciviſſe eos, quantum ipsis licuerit. (At voluerunt forsan illi ex humilitate, amoréq; Christianæ religionis, benedici à Pontifice Christianorum summo, nec priùs imperare.) Insuper resignationem Imperii, haud in manus Pontificis Romani fieri debere: Buxtorff. *dissertat. ad Aur. Bull. th. 10. lit. g. &c.* Reges nullo in casu à Pontifice regnis privari, vel posse, vel debere: Buxtorff. *d. loc. th. 11. disput. polit. de translat. Imperij cap. 9.* A Iudice Civili, qui Pontificis temporali jurisdictioni subjectus non est, ad audientiam Pontificis appellari non posse, ego, *tractat. de appellat. cap. 4. num. 7.* omnes semper candidiores Catholicos defendisse; traderéque ipsum Cardinalem Cusam; inconveniens esse, ut Imperator Pontifici Romano sit obligatus. *3. de concord. Catholic. cap. 29. & seq.* Ac hactenus propositæ quæstiones jam tempore Henrici IV. Imp. motæ fuerunt: Lehman. *lib. 5. cap. 31. & seqq. multis.* disputabatur enim, an sine Imperatoris consensu, potuerit eligi Papa; an vicissim invito Pontifice Imperator: an Pontifex Romanus possit tali banno notare Imperatorem, ut simul subditi sint juramento, & subjectione liberati. Eædem quæstiones etiam renovatæ fuerunt, sub Henrico V. Imperatore. Lehman. *. cap. 42.* Reassumpsit easdem Fridericus I. Henrici IV. ex filiâ nepos, eiúsque filius Henricus VI. Lehman. *5. cap. 65. & seqq.* ut & Fridericus II. Lehman. *5. cap. 79. &c.* ac demùm Ludovicus IV. Imperator. Lehman. *lib. 7. cap. 15. &c.*

IX. Verùm si absque affectu, & remoto respectu fidei professionis, judicare hâc de re quis velit: satis tolerabiliter hanc rem proponere videtur Bellarminus, *lib. 5. de Pontif. Roman. per discurs. qui & cap. 2.* tradit, Pontificem Maximum non esse Dominum orbis, infidelium præsertim: & ita aliter interpretatur divisionem novi orbis, inter Castillanum & Lusitanum factam; ut & *cap. 6. ac 7* probat, Pontificem Maximum indirectè summam habere potestatem. Bellarminus item *lib. ult. de Pontific. cap. 3.* Papam non esse Dominum Christiani Orbis demonstrat, & *cap. 4.* ait: quòd Imperium non dependeat à Pontificatu, *ibid.* quoque dicit: directè jure divino, nullius loci dominum esse Papam. De censuris & excommunicationibus Regum, exempla habet idem Bellarminus, *lib. 2. de Pontific. cap. 19.* Ac non planè absonum esset, si ritè adhiberentur: quid enim impotentius est Rege, qui nec Deum, nec homines metuit. Húcque pertinent, quæ habet Campanella, *cap. 8. politic.*

§. 6. &

§. 15. *& seqq.* ubi ita scribit: Papatus majoritas armata, utilissima est Christianis Principibus, dominatione temperatis: quoniam ipsorum discrepantias æquat; arbiter est pacis, bellique justi; & arma sua exercet pro illis, qui injuriam patiuntur, nec patitur quenquam alius Christiani Regnum invadere; conjungit eos contra hostes fidei Christianæ, separatq; ab hostium fœdere, & per cruciatas, & indulgentias & excommunicationes pro bonis, & contra malos regnatores, Rempublicam Christianam erigit, tuetúrque. Absq; ipso iam annihilatus esset Christianismus, (humanitùs & politicè loquendo) si quis historias consideret: sæpè quoque Principes minores à potentioribus iam devorati essent. Veruntamen Princeps nullus, vivens sub religione habente Summum Sacerdotem armatum cum superioritate super illum, potest propriam ambitionem prorsùs effrænare. Undè nullus hactenùs Christianus Princeps Monarchiam super cunctos Christianos populos sibi cõservare potuit. Quoniam Papa præest illis, & dissipat erigitque illorum conatus, prout religioni expedit Quæ, si Princeps ille unicus in hæresin laberetur, ipsa rueret; & Pontificatus eius esset lenocinium ad regnandum, & Papa Capellanus: Sicut & Pythia olim, teste Cicerone, philippizabat. At Hebræorum Monarchia sub sacerdotio inermi unicum patiebatur Principem: & cum duplicaretur, facta est hæresis sub Jerobeam. Nihilominùs Reges plerunque impii fuerunt, ab inermi sacerdote non timentes. Christiani ver' Principes illis longè meliores sunt, sub armato sacerdotio. Porrò ut Monarchiam universalem sub hâc religione tuerentur, alii se ipsos Summi Pontificis ministros, & liberatores & defensores primos declaraverunt, sicut Carolus Magnus & Constantinus. Quorum filii, Pontifici adve santes, deleti sunt. Alii voluerunt Papam absque armis efficere, ut Henricus & Federicus, & alii ultramontani Imperatores: & iacturam potiùs quàm lucrum ex hoc fecerunt; factionésque subortæ sunt pernicioſæ Guelforum & Gibellinorum, Papalium & Imperialium. Alii hæresin Arrii, & aliorũ erexerunt, ut Constantinus & Zeno Imperatores, & consimiles; & in se aut in filiis extincti sunt. Julianus verò Gentilismum & Hebraismum in æmulationem revocare studuit: & in illorum corruptelâ ipse quoque interiit. Porrò quatenùs vacante Imperio, quædam pertineant ad Pontificem Romanum, egregiè disputat Bellarminus, *lib. ult. de Pontific. cap. 5. fol. m. 348.* Veram etiam dijudicationem controversiarum Ludovici IV. Imperatoris, contra Pontificem, suggerit magnificus Hervvartus, *in suo Ludovic. 4. contra Bzovium. fol. 735. & c. 762. & c. 804. & c.*

CAPUT IV.

De Imperatore Romano, ac nùm habeat aliquam potestatem in alios Reges?

MAjestatem definivi, Imperium summum: nec ideò IMPERATOR UNIVERSI MUNDI DOMINUS est: ita ut ei de iure, cætera omnia in Mundo quæ sunt, subdita esse Imperia, verâq; Maiestate carere censeam. Cardinal. Cusa, 3. *de concord. cap.* 1. 5. *& 6.* Covarruvias *ad c. peccatum.* §. 9. Ferdinandus Vasquius, *in illustrib. controv. cap.* 20. *& seq.* Cæphallos, *in specul. commun. opin. quæst.* 576. Anton. Gabriël. *lib.* 5. *concluss. ult.* Dn. D. Bocer, *de regalib. cap.* 2. *n.* 102. Andreas Knichen. *in epopsi, n.* 23. Bornitius, *de Maiestat. cap.* 7. Marcilius, *comment. ad instit. in proœm. fol.* 8. Etherius Mohr. *disp. de Iurisdict. th.* 11. *&c.* Bachov. *ad disp. Treutler.* 3. *th.* 7. *lit. c. & ad disp.* 7. *fol.* 19. latè ego, *de appellat. cap.* 2. *sect.* 6. *& seqq.* Dissent. Marta, *tract. de Iurisdict. part.* 1. *cap.* 27. Lancellot. Conr. *Templ. omn. Iudic. lib.* 1. *cap.* 1. §. 1. *fol.* 38. Paschal. *tract. de Coronâ, lib.* 9. *cap.* 21. Dn. Joachim. Cluten, *Sylloge th.* 1. 3. 9. *&* 10. Thomas Michaël. *disp. de Iurisd. th.* 9. 10. 15. *&c.* Paurmeister, 2. *de Iurisdict. cap.* 1. *& cap.* 4. *nu.* 27. *&c.* Matthias Stephani, *lib.* 2. *part.* 1. *cap.* 1. *n.* 48. *&c.* Bartolus etiam, *ad l. hostes, de captiv. & postlim. reversi.* Imperatorem totius mundi Dominum & Monarcham negantes, hæreticos esse renunciavit; & Hieron. item Balbus Episcopus Gurcensis, propter eiusdem opinionis assertionem, Oldradi manes, magnis cruciatibus torqueri autumat. videatur Johann. Dauth. *in scripto suo Germanic. pro Civitat. Brunsvvicens. contra Andr. Knichen. fol.* 28. Sanè (1) Deus & post Deum, ratio naturalis, terminos Imperiorũ cõstituit certos, ex Iureq; Gentiũ, ut ait JCtus *l.* 5. *de iustit. & iur.* discretæ gentes & regna condita sunt. Cũq; Deus Opt. Max. omnia in mundo definiverit numero, pondere & mensurâ; indè quoq; necesse fuit, in mũdo constitui Imperia plura. Hoc etiã Imperium (2) naturæ repugnat legibus. Grues & apes ducem sibi unũ eligunt semper, non plures; sed non ex toto orbe confluunt apes, ut regem unum eligant: suis alvearibus cõtenti sunt reges singuli: ut & in gruibus universa caterva suum regẽ habet. (3) Humanum superat captum, unum hominem universum regere mundum, contra naturam hoc est Imperii: ut infinitam hominum multitudinem, locorum spacia innumera, naturâ disjuncta, moribúsq; separata coerceat. Nempè si Aristoteles, difficile esse, & fieri haud posse probat. 7. *polit.* 4. ut præclaris legibus regatur, nimiâ multitudine frequens

Civi-

Civitas: multò sanè difficiliùs universus orbis ab uno rectore Principe regi poterit; etiã Imperiis suus ut adsit modus necesse est, & in cote prudentiæ subactum censent politici, Augusti Cæsaris consilium coërcendi intra terminos Imperii cum cœperit. Dn. Gruter. *in discurs. ad Tacitum fol.149. &c.* (4) Absurdum est dicere aliquid esse à naturâ, in ipsâ rerum quod nunquam inventum fuit naturâ. Nulla autem unquam fuit Monarchia, limitibus quæ caruerit, quæ universum complexa fuerit mundanum orbem, ut axiomaticè enunciat Strigel. *in Chron. p. 71.* Omnia regna fatales habent limites, ultra quos progredi feliciter nequeunt. Richter. *in axiomat. polit. cap. 37. pag. 113.* quod in hunc sensum adducit Bornitius, *cap. 7. de Maiestat.* Non ipsum Romanum Imperium, quod latè patuit. Alberic. Gentil. *de Iur. Belli. fol. 11. & 12.* quo Traiani ductu florentissimum, neque antè autposteà maius extitit, haut totum, imò ne dimidium quidem trium notissimarum orbis partium occupavit. Bodin. *method. histor. 7. fol. 300.* quem vide, describentem limites Imperii huius. Adrianus adeò se Mundi Dominum censeri haut voluit, ut regibus multis plurimum detulerit, à plerisque verò etiam pacem occultis muneribus redemerit. Spart. & Aurel. Victor. Nec denique eò amentiæ progressi unquàm sunt juris nostri conditores, ut Dominos se Orbis terrarum esse iactitaverint unquàm Honor. & Theodos. Impp. *in l. 4. C. de commerc. & mercat.* confitentur, se non esse universales totius mundi Dominos, Persarum regem non subesse Imperatori, Persiæ regnum à se alienum esse haut negant, Imperio suo limites nominant. Hinc liberi vocantur, qui non sunt subditi Romanæ ditioni. *l. 5. 7. & 24. de captiv. & postlim.* Etnisi essent Imperii limina, terminatique limites, utique qui caperentur, jure postliminii redire non censerentur. *§. sed si ab hostib. Institut. quib. mod. ius patr. potest. solv. & t. t. ff. & C. de capt. & postlim.* Hoc idem confirmatur per omnes leges, quæ istiusmodi verbis utuntur: Qui sub Imperio nostro sunt, quos nostrum regit Imperium, *l. in omnibus ad Trebell. l. C. de summ. Trinit. l. fin. vers. sancimus. C. de ædif. privat. cum simil.* quæ relativa restrictionẽ operantur, & alios esse haud Imper. Romano subditos, innuunt. Dd. *ad l. generaliter. § cum autem. C. de institut. & substit. sub condit. fact. &c.* Hippolit. de Marsil. *sing. 308. incip. dicunt Dd.* Alia ideò Iuris civilis loca, ubi Imperator Dominus vocatur mundi, modificatè per synechdochen accipienda sunt. *l. deprecatio, ad L. Rhod. l. fin. in princ. C. de his qui ad Eccl. confug. l. 2. §. hæc igitur. l. iubemus vers. hanc edictalem. C. de testam.* Petron. Arbiter, *in appendic. Vergilii*, Orbẽ iam totũ Victor Romanus habebat. &c. *fol. 125.* Forster. *d. histor. iur. Rom. l. c. 2. n. 3.* de orbe nimirùm Romano, eâq; Mundi parte,

quæ ad Romanam pertinebat ditionem. *argum. l. in orbe Rom. ff. de stat. hom. l. 2. in princ.* C. *de jur. cal.* non de universo orbe, quatenùs Indos, Parthos, Persas, Tartaros, & alias tum incognitas ad Occidentem & ad Meridiem gentes, ac provincias continebat, sed de eâ Mundi parte, quæ eorum Imperio subdita erat. Hósque Iuris nostri textus ita rectè interpretatur Covarruvias, *ad reg. peccatum. part.* 2. §. 9. & Jacob. Bornit. *tract. de Maiestat. cap.* 7. Ex quibus omnibus justa consequentia infertur, eos populos, qui Imperio Romano de facto nunquam subjecti fuerunt, quos scilicet Romani Imperatores, vel nunquam vincere potuerunt, vel ignorârunt; nec de jure Imperium eorum recognoscere teneri; sed ratione Imperii Romani prorsùs liberos esse. Quia per rerum naturam non aliter potest dari totius orbis jurisdictio, aut potestas uni Principi, quàm si totius orbis Respublicæ in eum Imperatorem consentirét, vel si is justo bello aggressos vi sibi subjecisset. Ac si Romanum Imperium, tanquam quarta Monarchia universi orbis habet jurisdictionem: sanè & præcedentes tres Monarchiæ jus habuissent: Sed hoc non est verum, quia Judæi jure divino fuerunt liberi; nec alii Regi parere debuerunt. Ergò negandum quoque prius, & quòd regna tempore trium Monarchiarum fuerint, explicat passim in Syntagmat. Reineccius. Date Cæsari, quæ Cæsaris; ex hoc concludit quidem Dauth. *contra Knichen, fol. 23. & seqq.* constitutam illam quartam Monarchiam, eique subiecisse Christum etiam populum suum. Sed omninò ambigua est Christi responsio, viso enim numismate, ex eo collegit, Iudeos subjectos esse, vel se subjecisse, ac eo ipso subiectos se profiteri Cæsaris, ideóque jubet dari Cæsari, non ea quæ Cæsarem nunquam agnoverunt: sed eos qui Cæsari se subjecerunt, iubet dare ea quæ promiserunt, & servare ea pacta, quibus mediâtibus in potestatem Cæsaris pervenerunt. Et filii Caroli Magni, ipsorúmque successores, absolutè regna diviserunt, nec unus in alterum Iurisdictionem habebat. Ac quidem tum ferè is, qui Italiam obtinebat, Imperatoris titulum habebat, & titulus ille solùm honoris insigne fuit, non quòd in cæteros haberet Iurisdictionem, Lehman. 2. *cap.* 46. Verùm fuit hæc divisio Imperiorum inter posteros Caroli Magni, quemadmodùm inter filios Constantini Magni, hique duo magni Imperatores, maximè peccaverunt, quod Imperium diviserunt, unique non reliquerunt. Divisum etiam sub Lothario Imperium Romano-Francicum fuit, Germaniæque Regnum, ab Imperatoris titulo separatū erat. Lehman. *lib.* 3. *cap.* 40. Et fuit tamen aliquis respectus ad Imperatorem, ab eóque Galliæ petiit Rex Ius maiorennitatis, Lehman. 3. *cap.* 49.

II. Imperium Romanum temporis successu, multas provincias amisit: ac quomodo Hispania, à Germanico Imperio fuerit liberata, tradit

dit Johann Mariana, *rer. Hispan. lib. 9. cap. 5.* Et tempore Guicciardini, Italia magis nomen, quàm potétiam Imperii recognoscebat. Guicciard. *1. fol. m.* 48. & de causis diminutionis Imperii multa habet Reinking. *lib. 1. class. 2. cap. 7.* Quærere ergo hîc lubet: num præscriptio obsit Imperatori, quin vi & iniuriâ ab Imperio avulsas Provincias recuperare possit. Idque negatur communiter, post Zoannet. *de Imper. Roman. num. 121. 127. &c.* Dauth. *in script. à Brunsvicensibus edito, de Anno 1608. fol. 29. &c.* (1.) Quia contra obedientiam jure divino & positivo Cæsari debitam, & ita contra jus divinum nulla præscriptio locum tueri potest Fortun. Garzia, *de ult. fin. Iur. tàm Canon. quàm Civil. nu. 51.* (2) Nec ullâ præscriptioné contra nervum Imperii Romani admittere possunt nostræ leges. Sunt enim eæ conquæsitæ atque latæ ad incrementum, & amplitudinem Romani Imperii, nullâ igitur ratione possunt accipi, ullámve admittere interpretationem, quo diminutionem Imperii, per eam præscriptionis occasionem operentur, adinventa enim pro incremento, detrimentum præstare nequeunt. Zoannet. *ibid. num.* 128. & hinc neminem, ut Imperatori non subsit, præscribere posse, Interpretes nostri axioma censent esse firmissimum, *argum. l. competit. 6. in fin. C. de præscript. 30. vel 40. annor. c. inter corporalia de translat. Episc.* post multos Thomas Michaël, *de iurisdict. thes. 8.* Pariter & de summis Maiestatis Iuribus, an præscribi possint, res adeò incerta putatur; ut si quis super eo jus suum fundatum dicat, instabili prorsùs & incerto fundamento se niti confiteri cogatur. Balbus *tract. de præscript. 2. part. 5. part. princip. quæst. 2.* Nec exiguæ sunt auctoritatis, qui negant ea, qui Maiestati in signum supremæ Iurisdictionis competunt, præscribi posse, *Dd. ad d. l. competit* Borch. *de regal. num.* 20. Frider. Mindan. *2. de mandat. cap. 67. num. 13.* Paurmeister. *1. de Iurisdict. cap. 21.* Matth. Stephani, *2. de Iurisdict. cap. 1 membr. 1. num.* 98. At verò in horum ego castra ut sine conditione transeam, multa sunt, quæ me in viâ, ipsóque, quod dicitur, in limine offendunt. Quod enim attinet eos populos, qui nunquam Imperio Romano fuerunt subditi, Romanas tamen Provincias armis invaserunt, apertóque Marte quæ possiderunt, iam diu per multorumque annorum seu seculorum potiùs spatia possiderunt, quales sunt Franci, Angli, &c. his præscriptionis Ius non quidem ex Civili, (quo Romanis non subditi minimè ligantur) sed communi gentium iure descendens, non sanè adimere possum. Non etenim à condito mundo, orbem terrarum possiderunt Romani: sed aliis pedetentim adimerunt, & in suam, haud æquo semper jure, quicquid Alberic Gentilis *lib. 2. de armis Romanis.* contrà disputet, redegerunt in potestatem; hîc ergo militat æquitatis illa ratio, ut quod quis novi juris introduxit, quandóque adversario postulan-

ſtulante, eodem iure uti cogatur, ſive æquum illud ſit vel iniquum. *l.1. ff. quod quisq; iur.* ac quo titulo infinitos populos Romani libertate privârunt, eodem Iure iidem populi partim priſtinam recuperaverunt libertatem: partim alii Barbari, nunquam ſubiecti Romanis, Imperio exuerunt eosdem, ut dixi *tractat. de appellat. fol.* 40. Nam quod quis æquum putavit in alienâ causâ, idem admittere debet in propriâ *l. ſi duo. ſi quis iunct. §. ſeq. de iureiur.* proprium nî ſuum Ius, propriámque famam condemnare velit. Ac quamvis iure potuiſſent ablatas recuperare Provincias Romani, iuſtúmque bellum cenſeatur, quod inſtituitur ad recuperandas res, quas peregrinus populus per violentiam detinet. *c. dominus noſter, verſ. ſicgens & Civitas 23. quæſt. 2.* Bocer. *1. de bell. cap. 6. num.* 10. Attamen vetuſtæ nimis cauſæ ad bellum faciendum adferuntur ineptè, & quod fit civiliter, ſi diſceptatur, ut præſcriptione temporis excludantur actiones, cur non & bellica excludetur actio Iure gentiũ? Sanè ſi iure legitimo ſic arcentur actiones, cur non itidem cauſæ belli, & hæ arcentur actiones armatæ? Bono publico introducta eſt uſucapio & præſcriptio, ut ſit litium aliquis finis. Quidni & Bellorum? Agnovit hanc æquitatem Dux Iſraëlitarum Iephthes, qui Ammonitarum Regi de iure hoc præſcriptionis reſpondit, Iudic. *cap.* 11. Dum habitavit Iſraël in omnibus illis civitatibus trecentos annos; quare non eripuiſtis eas tempore illo? & id multis aliis adhuc rationibus firmat, Albericus Gentil. *1. de bello cap.* 22. De ſubditis, maior mihi videtur eſſe dubitatio, annè ſcilicèt ii per præſcriptionem, à ſubditorum numero, Principisque Maieſtate eximi, & liberi fieri queant. Certè ſententia negativa graviſſimos habet & maximæ auctoritatis adſtipulatores, quorum nonnullos recenſet, & eidem ſuum quoque addit calculum eruditiſſimus Covarruvias, *part. 2. relect. c. poſſeſſor malæ fidei. §. 2. num. 10. junct. nu. ult. in fin.* Non hîc etiam deſunt rationes prægnantiſſimæ. Etenim præſcribi nequeunt, quæ iure communi poſſideri non poſſunt, *cap. illud. diſtinct. 93. c. contra morem. diſt.* 10. Et ſicut in donatione oportet eum, cui rectè facta eſt, illius capacem eſſe: ita multò magis requiritur in præſcriptione, ut qui præſcribere vult, rem præſcribendam poſſidere queat, ſicut multorum auctoritatibus probat Chaſſanæus *in conſuet. Burgund. de Iuſtic. §. 2. verſ. & la preve. num.* 12. & 13. & hinc dicitur, quæ conceſſibilia non ſunt, nec præſcriptibilia eſſe. Cravetta. *de antiquit. temp. part. 4. §. materia. num.* 97. Subditus itaque, cùm quatenùs ſe ſubditum agnoſcit, Maieſtatis capax fieri nequeat; quia hâc ratione ſubditus eſſe deſineret. Nec ideò ſubditum Maieſtatem contra Dominum præſcribere, & hoc iuris remedio ſe à ſubiectione liberare poſſe, videtur. Attamen hæc omnia excuſantur per bonam fidem, quam probare oportet eos, qui præſcriptio-

scriptionem allegant Cravetta. *de antiq. tempor. part. 4. §. absolutè enim.* 45. Atque sic rectè accipit sententiam eorum, qui præscriptionem etiam contra obedientiam concedunt, Arnisæus *cap. 2. de Majestat. fol. 347.* Quæ ratio & communis Dd. traditio me movet, ut populos, qui ab Imperatoribus olim Romanis contra hostes, prout bonum Principem decet, non defensi, sed quasi pro derelicto habiti fuerunt, & ideò propter hanc vel alias non prorsùs irrationabiles causas ab Imperii Romani subjectione & obedientiâ legitimè se subtrahere putaverunt: hâcque libertate & exemptionis possessione ultra memoriale tempus bonâ fide fruiti fuerunt; hos inquam ego populos non libertatem optimo maxúmóque jure habere, pronunciare omninò vererer. Quamvis verò civitatibus Italiæ & aliis Principibus, qui se Romano Imperio subdolè & apertâ fraude subtraxerunt, nil ex hâc assertione subsidii nascatur, ut *dict. loc. fol. 248.* Arnisæus ostendit. & Paurmeister, *2. cap. 4 nu. 48. & c.* ac passim latè deducit & Alberic. Gentil. *1. de bell. cap. 22. fol. 175.* ridiculà esse ait, quod Theologus quidam benè possideri à Turcâ omnia erepta nobis, docere tentat. Attamen nihilominùs non imprudens mihi videtur, Bald. *cons. 248 & consil. 267. incip. quæritur.* responsum, ubi ait, periculosum esse consulere Imperatori, ut armatâ vi recuperare, seu, ut ipse loquitur, revangare conetur mundum, quod multa possent inde sequi valdè mala & periculosa: & cavenda, quæ generarent scandalum valdè magnum. Et quemadmodum nocentissima esse judicatur corpori humano, vehementior quædam exercitatio sanguinisve largior profusio, si illud non optimè constitutum sit, ita Imperio Romano ac Reipublicæ cuilibet alii, multis & quàm periculosissimis morbis internè affectis, non posset non offensivum bellum, quàm plurimas afferre incõmoditates. Meliùs est benè tueri quæ habemus, & ritè gubernare: quàm aliis inhiando etiam reliqua periculo exponere. Insuper non casu, sed propter peccata & iniquitates, ac sic justissimo Dei judicio, de gente in gentem transferuntur regna, (semperque legitima est Deo regnorum translatio, Warenm. de Erenberg. *part. 1. fol. 34. de fœderib.*) cui divinæ ordinationi ac punitioni: non sanè bello aperto: sed seriâ obviam primò omnium ire debemus pœnitentiâ.

III. Ex hoc dogmate (quod scilicet Imperatorem mundi Dominum esse negat) porrò concluditur ritè; non posse jurisdictionis vel majestatis actum exercere Imperatorem, in regnis aliorum, Dn. D. Bocer, *2. de regal. num. 102.* Sicque Sigismundus Imperator, Lugdunum cùm transiret, prohibitus fuit, privilegia Ducis, tribuere Comiti Sabaudo. Paradin. *histor. de Lyon. 2. cap. 92.* adde Girard. *tom. 2. lib. 16 fol. 329.* Et tamen idem Sigismundus, Equitem creavit in pleno parlamento,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 3, [35] - 33

cùm controversia esset inter nobilem & plebejum: hicque potius obtineret jus, sed alter ob nobilitatem plures haberet adstipulatores, Pasquier. 5. *des recherch. cap. 31.* Et exindè colligo quoque ignaros esse politicæ disciplinæ, qui dicunt, jus Romanum obligare etiam alias nationes; inter quos item est Hieron. Treutler. *disputat. 1. th. 5. a.* & Jacob. Cramerus, *disput. instit. 1. th. 27.* Zieriz. *de prærog. Princ. cap. 6. & mult. seqq.* vide me, *tract. de appellat. cap. 2. num. 7.* haud enim infrequens est, civitatem aliquam uti jure peregrino. Ita Romani leges Rhodias in maritimis causis observârunt. *l. deprecatio, & t. t. ff. ad leg. Rhod.* Ita liberè non coacti; jure Saxonico, Poloni ac Silesij; & Lubecensium legibus Vandalicæ, Hanseaticæque Civitates multæ, utuntur. Bart. Musculus, *tract. de succes. convent. & anomala. memb. 2. class. 1. conclus. 5. fol. 85.* Sicque jus civile in Hispania adpellari commune, & doceri; non ob auctoritatem vel potestatem, sed propter rationem, tradit post alios Arias Pinelus, *part. 1. rubr. de bon. matern.*

IV. Nihilominus Principes omnes universi Orbis Christiani, Imperatori Romano primas omni jure cedunt lubentes. *Novell. 30. à princ. cap. 2. à princ. de re judicat. in 6.* Cassiodor. *1. var. 1.* Johann. Dauth. *cont. epopsin. Andr. Knichen fol. 25. b.* Bernard. Zieriz *de princ. prærogat. lit. C. 3. & multis seqq* Schönborn. *5. cap. 6* Buxtorff. *thes. 29. lit. e.* ego, *de session. prærogativa. cap. 2. num. 2.* Sícque Coronas clausas, neminem portare præter Imperatorem, notat Guyon. *tom. 2. lib. 3. cap. 26.* Ita etiam de Imperatore Romano Germanico Guntherus, *in suo Ligurino, lib. 1.*

Suscipe cunctorum Regnator maxime Regum,
Suscipe lux mundi, cui nullum párve priúsve
Spirat in orbe caput: te gaudet Principe mundus:
Te populi, te regna timent: te Solis ab ortu
Solis ad occasum, submisso vertice, cuncti
Suspiciunt, dominúmque simul, regémque fatentur.

Et fœdo hìc lapsu Bodinus corruit, qui *lib. 1. de Republ. cap. 9.* scribit: Turcam Francorum Reges, cæteris omnibus anteferre, & etiam Principum Christianorum appellitare maxumos. *argum. eor. quæ habentur apud* Leunclav. *in supplem. annal. Turcic. sub anno 1582.* Haud unquàm Francorum Regum legati ausi fuerunt, præcedentiæ quod vocant jus, Imperatoriis adimere Nuntiis: sed eos tantùm pro Regis Hungariæ legatis agnoscere: hâcque de causâ, illis ullâ ex parte cedere noluerunt. Michaël Heberer Brettanus, *in servitut. Ægyptiac. lib. 2. cap. 15.* Imò non Imperatorem solùm: sed & Romanorum Regem, præcedere Galliæ regem, probat Guetta, *consil. 1.* est enim tanquàm filius primogenitus Imperatoris, certúsque sublimis hujus dignitatis hæres. Potest autem populus

pulus vel Rex, superior alio populo vel Principe dici, non potestatis; sed comis observantiæ respectu. *l.7.§.1. de captiv. & postlim. reverſ.* Præcedentiæ, non Imperii ratione, ut aliàs non uno loco dixi.

V. Romano-Germanicum Imperium hodiernum, rectè Romanum indigitari: probat Alberic. Gentil. *lib.1. de jur. Bell. cap.23.* Arumæus, *vol.1. jur. public. diſcurſ.2.* Dn. Daniel Otto, *diſſertat. de jur. publ. cap.5. fol.107.* Reinking. *lib.1. claſſ.2. cap.3.* Bellarmin. *lib.3. de Pontif. c.5.* Durat certè adhuc Romana Monarchia, quia Daniel loquitur de Imperio aliquo duraturo, usque ad finem. Nam & Romani Imperatores fuerunt, Constantinus Magnus, ejusque successores; licèt sedem fixerint in Constantinopolitanâ urbe: Carolus Magnus etsi in Galliis & Franciâ, non Romæ commorârit. Hócque idem jus prætendit olim Fridericus I. Imperator Germanus. Námque apud Otthonem Frisingensem, *lib. 2. cap.21.* ita ad eum Legati Romanorum: Audi serenâ mente benignis auribus, quæ tibi ab almâ orbis Dominâ deferuntur; urbe cujus in proximo adjuvante Deo, futurus es Princeps, Imperator & Dominus. Orbis Imperium affectas, Coronam præbitura gratanter assurgo, jocanter occurro. Cur enim suum visitaturus populum non pacificè adveniret? Hospes eras, Civem feci: Advena fuisti ex transalpinis partibus, Principem constitui. Quod meum jure fuit, tibi dedi. Cui Imperator: multa de Romanorum sapientiâ, seu fortitudine hactenùs audivimus, magis tamen de Sapientiâ. Quare satis mirari non possumus; quòd verba vestra plùs arrogantiæ tumore insipida, quàm sale sapientiæ condita sentimus. Clarum est qualiter primè nobilitatis tuæ robur, ab hâc nostrâ urbe translatum sit ad Orientis urbem Regiam. Supervenit Francus verè nomine & re nobilis, eámq; quæ in te adhuc residua fuit, ingenuitatem fortiter eripuit. Vis agnoscere antiquam tuæ Romæ gloriam: Nostram intuere Rempublicam: Penes nos cuncta hæc sunt. Ad nos simul omnia cum Imperio hæc dimanârunt, Non cessit nobis nudum Imperium, virtute suâ amictum venit, ornamenta sua secum traxit. Penes nos sunt Consules tui, penes nos est Senatus tuus, penes nos est miles tuus. Revolvamus modernorum Imperatorum gesta. Si non divi nostri Principes Carolus & Otto, nullius beneficio traditam; sed virtute expugnatam Græcis seu Longobardis urbem, cum Italia eripuerint, Francorúmque apposuerint terminis. Principem tuum militem meum feci, téque deinceps usque in præsentiarum in meam ditionem transfudi. Legitimus possessor sum. Eripiat quis si potest, clavam de manu Herculis. Nondum fracta est Francorum seu Teutonicorum manus invalida.

VI. Sed alia nunc sub manu subnascitur quæstio: An quatuor, ut vulgò creditur communissimè, in mundo fuerint Monarchiæ, sub

Monarchiæ autem vocabulo, non universale orbis Imperium, non etiam præcisè, illam politiæ speciem intelligunt, in qua unus aliquis absolutè imperat, undè videlicet μοναρχία Græcis propriè dicta est; sed in præsenti disputatione de hujusmodi Imperiis loquor, quorum inter reliqua mundi regna, singulis temporibus insignis fuit auctoritas: & quibus deinceps Populi Dei, Ecclesiæque status magis, quàm aliis obnoxius est. Quemadmodum lucidissimum solis lumen, solùm lucere præ omnibus stellis aliis videtur; ita potentissimum Imperium quod aliis prædominatur, μονάρχειν, hoc est, solum & unum dominari, κατ' ἐξοχήν, respectu ad alia minora regna habito putatur. Conrad. Grasserus *in histor. Antichristi exercit.* 1. Kirchner. *disputat. de Republ.* 3. *thes.* 6. *a.* & *thes.* 7. *c.* ego, *de jure territorior. cap. ult. num.* 4. Talia Imperia quatuor fuisse, putà Assyriorum, Persarum, Græcorum ac Romanorum; ex Græcis scriptoribus notat clarissimè Dionys. Halicarnass. qui, *lib.* 1. *à princ.* Assyriorum Imperium vetustissimum appellat, idque ad fabulosa usque tempora revocari autumat. Huic Medicum & Persicum, post Macedonicum subjungit, iisque superaddit Romanum, quod primum & solum post hominum memoriam, ortu & occasu fines Imperii sui terminaverit. Hæc eadem quatuor summa Imperia agnoscit passim, Annius Viterbiensis, Berosi commentator, & adstipulatur omnis historicorum recentium turba à quibus tamen contetiosissimè dissentit Bodinus, *meth. histor. cap.* 7. ejúsque Apologista Herpinus, *fol. m.* 14. & *c.* quibus etiam Tremellius, *ad cap.* 7. *Danielis* consentit. Qui quatuor illa Imperia nec summa; nec sola magna fuisse assertant. Bodino dicam scribunt, Matth. Dresserus, & Fridericus Tilemannus, ille huic rei oratione, hic singulatim dissertatione dicatâ. Quibus accedunt Conradus Grasserus, *in histor. Antichristi, exercitat.* 1. Kirchnerus, *disputat. de Republ.* 3. *thes.* 6. & 7. Christianus Matth. Dithmarsus, *colleg. polit.* 1. *disputat.* 6. *thes.* 34. *&c.* Joachim Cluten. *Syllog. thes.* 2. Christoph. Helvicus. *apud Goldast. in polit. Imperial. fol* 747. & vid ibid. *fol.* 631. Fredr. Braunborn. *flor. Flamineor. lib.* 2. *cap.* 11. & *seq.* Joh. Gerardi *loc. de Magistrat. nu.* 135. *&c.* Reinking. 1. *class.* 2. *cap.* 1. *contra Aben Ezram*, Oecolampadius, *ad Daniel. fol. m.* 27. & *item* 83. Qui evincere nituntur, quartam Monarchiam, ejúsque statum (typicè tamen) à Daniele Prophetâ, præfiguratum esse. Utriusque partis argumenta, ad duas referri queunt classes. Quædam enim ex Theologicis mysteriis, *cap. nempè* 2. 7. & 8. Prophetiâ Danielis desumuntur; ubi de Statuâ quæ Nabuchodonosori in somnis apparuit, & quatuor bestiis grandibus de mari ascendentibus, tractatur. Quædam ex Historiarum monumentis, Imperiorúmque successione & conversione petuntur. Visiones istas Danielis (Prophetæ sanè magni, & qui

dignus

dignus habitus fuit, ut sub utroque fœdere, peculiari virtutis elogio ornaretur, Ezechiel 14. *vers.* 13 & 19. & *cap.* 28. 3. Matth. 24. *v.* 15.) ad suprema illa Imperia referenda. Ac visionem, quatuor belluarum & colossi seu statuæ, totidem Imperia significare, ita ut nec plura futura sint, sanè quàm probabile est. Quippè ita ipse Propheta interpretatur *cap.* 2. Tu Rex Regum es, (inquit ad Nabuchodonosorem.) Tu es ergò caput aureum. Et post te consurget inferius tuo argenteum. & regnum tertium aliud æreum, quod imperabit universæ terræ. Et regnum quartum, fortitudinis ratione velut ferrum. *cap.* 7. Quatuor bestiæ dicuntur esse quatuor regna, quæ consurgent de terrâ. *cap.* 8. nominatim Regis Medorum, atque Persarum Regis, item Græcorum, mentio fit. Nec etiam hanc Prophetiam cum Bodino sine temeritatis notâ interpretari licet de Babylone, quæ in potestatem Medorum, Persarum, Græcorum & Parthorum provenit. cùm *cap.* 2. *vers.* 28. dicatur, hanc visionem continere, quæ ventura sunt in novissimis temporibus. *cap.* 12. *vers.* 4. & 9. legimus librum Danielis signatum, clausúmque esse usque ad tempus finis. Ergò hæc Prophetia continet seriem temporum usque ad finem Mundi. Jam verò multi sunt anni, quòd nescitur, quo in loco Babylon fuerit. Loquitur item Propheta de Regnis separatis, non de Babyloniæ urbe. Deus non Babylonis gratiâ, sed Ecclesiæ causâ Prophetias revelavit. Haud cum Francisco Junio & Tremellio, quartam Danielis bestiam, non de Romanis; sed de Alexandri posteris intelligere possumus. Id quod ex professo & operosè refutat Conrad. Grasser. *dict. loc.* Cui itidem opinationi & hoc obstat, quòd Danielis Prophetia in novissimis demùm diebus intellectam iri diximus Et quod *cap.* 2 *vers.* 41. dicitur, Quartum regnum divisum iri: hoc Constantinopolitano & Romano Imperio applicari potest: adde *meum tract. de Iurisdict. Imper. Roman. quæst.* 2. Sed hâc de re judicium relinquo Ecclesiæ: inquit enim Daniel *cap.* 12. *vers.* 10. neque intelligent omnes impij, porrò docti intelligent. Nec sunt privatæ interpretationis Prophetica, ut ait B. Petrus. Ac porrò hoc addo, ex mente quorundam, qui plurimùm in interpretatione Prophetarum se callere, arbitrantur. Quòd scilicet hunc divinitatis habent characterem Prophetiæ Sacro sanctæ scripturæ; ut iis non unus tantùm respondeat eventus, & ut mirè inter se diversæ, sed tamen typicâ harmoniâ unitæ implicentur historiæ: ut fit Matth. *cap.* 24. ubi excidii Hierosolymitani, quod primum adventum sequutum, & pœnarum quæ secundum adventum mox subsequentur, alternatim quasi mentionem fecit Salvator noster. Ita hæcce prædictio Danielis, non de regnis ante & post Christum, ac item de ipso Antichristo accipi forsan potest, habet Sacrosancta scriptura multiplices & mysticos intellectus: hocque auget

sacrarum literarum Majestatem. Guilielm. Parisiens. *de legib. fol. m. 22. b.* addatur etiam Bellarminus. *lib. 3. de Pontif. cap. 16.* Hûc pertinet, quod scribit Brocard, *in præfat. Biblior. interpr. præfixâ ejusd. commentar. in Genes.* Ille unus habeatur Deus, qui nuntiârit ab initio illa, quæ essent omnium statuum futurorum in mundo. Item, ille unus habeatur Deus, qui effecerit omnia in diversis statibus & ætatibus Mundi &c. Verbum Divinum id debet habere, ut referat quæ sunt præteriti temporis, quæ præsentis, quæ futuri: inveniatur in se habere consignata mysteria divina. Evangelium Christi, continet veritatem & expositionem omnium quæ sunt in Mose. Præterea in narratione rerum gestarum primi adventus Christi, est consignata narratio pariter gerendarum in secundo. Et doctrina Christi, effunditur ut prophetia in omnes ætates. Idem Auctor, *in præfation. com. apocalyps.* est ille solus Deus, qui distinguit omnia tempora, nuntiat quæ sunt omnium temporum, efficit omnibus temporibus omnia. Initium igitur & progressus Prophetiæ videtur ita ductus, ut in ipsâ fabricâ Mundi, in ipsis creaturis, & opere suo, consignârit Deus, qui erat effecturus in mundo, à primo tempore ad postremum tempus. Hinc *Psalm. 73.* Propheta clamat: Aperiam in parabolis os meum, eructabo occulta à jactis fundamentis &c. Sicque (ut tandem derelicta vestigia legam) iidem interpretes, Pontificem & Imperatorem propheticè à Daniele, & omnium Prophetarum epitomatore, S. Johanne, *in Apocalyps.* confundi, simúlque unâ præfigurari dicunt: maximè cùm Pontifex Imperatorem (suum Vasallum) jactet Dominum Mundi; ut ipse (Dominus directus) eâdem vel majori fruatur prærogativâ. Vasquius *in præfat. quæst. illustr. num. 25.* Consentit Paracelsus ad Danielem, *fol. m. 18.* & adde Campanellam, *de Monarch. Hispan. cap. 4. & 5.* Sed hæc sunt supra captum meum; eáque tantùm refero ex sententiâ aliorum. Simul tamen adhortans omnes, ut hisce de rebus judicare non præcociter velint. Illud autem certissimum videtur, prophetiam perpetuam temporum futurorum, esse in Prophetis & tota S.S. scriptura: quam in rem ex Origenis Philocalia, *cap. 1. fol. 44. &c.* quædam adscribam: Quòd si Evam affabre fecit Apostolus & ad Ecclesiam retulit, non mirùm est, Cain ex Evâ prognatum, & deinceps omnes qui ad Evam referuntur, figuras esse Ecclesiæ, cùm omnes ex Ecclesiâ principali ratione nati sint. Si verò terrorem injiciunt quæ de Israël, & de tribubus & populis ipsius nobis dicta sunt, cum Servator *Matth. 15* prædicet, Non sum missus nisi ad oves, quæ periêrunt Domûs Israël: non hæc accipimus, ut mentis inopes Ebionæi; qui ab inopiâ consilii nomen suũ ducunt; Ebio enim pauper Hebræis appellatur: ut existimemus corporeorum Israëlitarum causâ potissimùm Christum advenisse: non enim

filii

filii carnis, filii sunt Dei. Rursùs Apostolus de Hierusalem hujusmodi quæpiam docet: Cœlestem Hierusalem liberam esse, quæ Mater nostra est: & in aliâ Epistolâ, *Hebr.* 12. Sed perveniſtis ad montem Sion, Civitatem Dei viventis, Hierusalem cœlestem, ad myriadas angelorum, ad celebritatem, ad Ecclesiam primogenitorum, qui descripti sunt in Cœlis. Si igitur est de genere animarum Israël, & in Cœlo quædam Civitas est Hierusalem, consequens est, Civitates Israël habere Principem, quæ in Cœlis est Hierusalem, ut toti Judææ respondeat. Quæcunque igitur de Hierusalem præsignificantur, & dicuntur de ipsâ à Deo, audiamus tanquam Deum, & sapientiam pronunciantem. De Cæleſti Civitate, & de omni spacio, quod continet terræ Sanctæ Civitates, intelligendum est scripturas loqui. Fortasse enim Servator ad illas nos evehens Civitates, eos, qui minas quinque benè administraverunt, quinque aut decem civitatibus præficit. Si igitur Prophetarum vaticinia de Judæâ, Hierusalem, Israël, Judâ, & Jacob, modò nè secundum carnem hæc intelligamus, mysteria tanta subjiciunt, necesse est, Prophetarum oracula de Ægypto & Ægyptiis, Babylone & Babyloniis, Tyro & Tyriis, Sidone & Sidoniis, aut de reliquis gentibus, non solùm de corporatis hisce, de Ægyptiis, Babyloniis, Tyriis, Sidoniis præsagire; sed de iis qui secundum intelligentiam. Si enim sunt mente Israëlitæ, consequens est mente Ægyptios & Babylonios esse: neque enim omninò convenit, ut quæ in Jezechiele de Pharaone Ægypti Rege dicuntur, de homine aliquo dicantur, qui Ægypto imperarit, vel ei sit imperaturus, ut planum erit observantibus. Ad hunc modum quæ de Principe Tyri scribuntur, de homine aliquo qui Tyri Principatum gesserit, intelligi non possunt. Tum quæ de Nabuchodonosore pluribus locis dicuntur, maximè in Esajâ, de illo homine accipi non possunt: neque enim de cœlo delapsus erat, neque Lucifer erat, neque manè oriebatur super terram Nabuchodonosor homo. Sed nec quæ apud Jezechielem de Ægypto habentur, annis quadraginta exterminatum iri, ut neque hominis vestigium ibi reperiretur, & bello ita devastatum iri, ut per eam totam sanguis ad hominis genua exundaret: hoc nemo sanæ mentis intellexerit de eâ Ægypto, quæ Æthiopibus Sole adustis & ardore denigratis assita est. Et aliis interjectis. Forsan autem quemadmodum qui hinc communi fato discedunt, pro rebus hîc gestis locum obtinent; si judicentur digni regione Orci, quam vocant, diversa loca pro ratione criminum sortiuntur: sic qui illîc, ut ita dicam, moriuntur, in Orcum hunc descendunt digni judicati diversis domiciliis commodioribus aut deterioribus totius terræ circumjecti spacij: idque apud hos & illos Patres, ut quidé possit Israëlites in Scythas incidere, & Aegyptius in Judæam devenire: cúmq; Servator

tor venerit congregaturus oves, quæ perierant domûs Israël: cúmque multi de Israël doctrinæ ipsius non acquieverint, vocantur qui è gentibus. Abstrusa porrò hæc sunt, ut existimamus, in Historiis, *Matth.* 13. Regnum enim cœlorum simile est thesauro defosso in agro, quem repertũ homo abscondit, & præ gaudio illius subducit se, & vendit quæcunque habet, & emit agrum illum. Attendamus igitur, an quod oculis videtur, quódque eminet in scripturâ & ad manum est, sit omnis ager plenus omnis generis arboribus; quæ autem reposita sunt, nec ab omnibus videntur, sed veluti sub illis quæ cernuntur arboribus defossa sunt, thesauri sint sapientiæ & cognitionis absconditi, quos quidem spiritus per Esaiam obscuros, non visibiles & absconditos vocat; cùm solus Deus possit, quæ ipsos concludunt, portas æreas conterere, & ferreos vectes portis appositos confringere, ubi inveniantur quæcunque in Genesi de diversis & veris animorum generibus, & veluti seminibus, quæ propè Israël vel procul sunt, continentur: & in Aegyptum profectio septuaginta animarum, ut ibi ad multitudinem cœli stellarum augeantur. Sed quoniam non omnes, qui ex eâ gente, lumen sunt mundi, non enim omnes qui ex Israël, hi Israël sunt, ex septuaginta, & ut arena quæ ad littus est maris innumerabilis, multiplicantur. Ut autem omnia Dei dona, multis partibus majora sunt mortali quâvis substantiâ; ita accurata ratio cognitionis horum omnium, quæ penes Deum est, qui hæc omnia scribi decrevit volente Patre Verbi, reperiri potest in eâ mente, quæ cũ omni studio & conscientiâ humanæ imbecillitatis in comprehendendâ divinâ sapientiâ, summoperè sit expurgata. Si quis vero confidentiùs seipsum projiciat, non cognito arcano sapientiæ Dei & verbi, quod fuerat in principio apud Deum, & ipsum est Deus, nec animadvertens secundum verbum & Deum, & secundum eam, quæ apud eum est, sapiẽtiam, hæc quærenda & invenienda esse, necesse quoq; est, ejusmodi hominem, qui in fabulas, nugas & figmenta inciderit, se in impietatis periculum injicere. Quare in memoriam veniendum est præcepti ejus, quod in eam rem apud Solomonem in Ecclesiaste *cap.* 5. habetur: Ne festines proferre sermonem coram Deo. Deus enim in cœlo sursum, & tu in terra deorsum: propterea sint sermones tui pauci. Sed & convenit sanctas literas nullum habere apicem Dei sapientiâ vacuum, credere: qui enim mihi homini mandavit & dixit, *Exod.* 34. Non apparebis vacuus in conspectu meo; multò magis ipse nihil vacuum dicet: ex abundantia enim & plenitudine illius, cùm accepissent Prophetæ, dicunt, spirant omnia è plenitudine. Et nihil est in Prophetarum oraculis, aut Lege, aut Evangelio, aut Apostolo, quod non sit à plenitudine. Idcircò quoniam est à plenitudine, spirat plenitudinem iis, qui oculos habent,

quibus

quibus cernuntur, quæ à plenitudine sunt, & aures audientes ea, quæ à plenitudine, & instrumentum sentiendi suavissimum odorem qui è plenitudine exhalatur. Si verò interdum in legendis Scripturis offendas ad sententiam, quæ est veluti lapis offensionis, & petra prolapsionis, accusa teipsum. Neque verò dubitaveris sententiis inesse lapidem hunc offensionis, & petram ruinæ, ut fiat quod dictum est; *Roman. 9.* Qui crediderit, non confundetur: primùm crede, & sub eo, quod putatur esse, offendiculo plurimum sanctæ utilitatis invenies. E commentariis in *Psal.* 40. postquàm principium historiæ de Uriâ ad reconditum sensum rapuit, refert: Si cui autem violentum esse videtur, quòd partem historiæ ad abstrusum sensum transtulerim, nec eam æquabiliter interpretatus sim, apertum est, hæc temerè dictum iri, alia porrò in hunc locum inquirenda esse, nisi quidem qui locum hunc accuratissimè perpenderit, inveniat quo modo omnia conciliet, quæ de homine interfecto & ejus illa bonitate dicuntur, cùm nollet domum suam adire, ibique requiescere, quòd populus in castris esset, & militiam toleraret. Sed nescio, quo pacto, qui reconditum in his sensum nolunt admittere, & dictionem per se nudeque scriptam esse putant, assequentur voluntatem Sancti Spiritus, qui scriptione res eas dignas judicavit, in quibus non solùm turpis libido, sed & crudelitas & inhumanitas David coarguitur, qui ausus esset in Uriam facinus alienissimum à quovis homine, qui vel mediocriter bonis moribus fuisset excultus. Dixerim equidem, quemadmodum Judicia Dei magna, & inexplicabilia sunt, quæ videntur rudibus & ineruditis mentibus erroris causam dare: ita Dei scripturas, magnas quidem & arcanis abstrusisque, & difficillimæ considerationis sententiis refertas esse; sed & difficillimam habere explicationem, & videri rudes ac incultos dissentientium animos in errorem impulisse, qui inconsideratè, nec sine dementi temeritate Deum reprehendunt, ob eas quas non intelligunt scripturas, indéque ad alium Deum fingendum prolabuntur. Itaque tutissimum est, explanatoris verbi interpretationem exspectare, & ejus, quæ in arcano latet, sapientiæ, quam nemo Principum hujus seculi novit, secundum denudationem mysterij temporibus æternis conditi, declarati Apostolis & eorum similibus per scripturas propheticas, & Servatoris nostri Verbi, quod erat in principio apud Deum, in ipsos exortum. E secundâ in Leviticum homiliâ, statim à principio. Judaismi qui oculis videtur, & ejus qui mente percipitur, hoc est, Judaismi manifesti, & occulti discrimen cùm non intelligerent impij, & omni execratione digni hæretici, discesserunt statim à Judaismo, & harum scripturarum, totiúsque legis autore Deo defecerunt, & alium Deum ab eo, qui legem & Prophetas dederat, & qui cœlum &

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1;Leibn. Marg. 0,1, Stück 3, [43] - 41

terras fecerat, confinxerunt. Quod certè alieniſſimum eſt. Qui enim dedit legem Deus, dedit & Evangelium: qui fecit ea quæ videntur; dedit & ea quæ oculis non cernuntur: & cognationem habent inter ſe quæ videntur, & quæ oculis non apparent. Eam autem cognationem habent, ut quæ videri non poſſunt opera Dei, à creatione mundi effectis cognita videantur: cognationem habent quæ videntur in Legibus & Prophetis, cum iis quæ non videntur, ſed intelliguntur in lege & Prophetis. Quando igitur conſtat ſcriptura quoque ipſa velut ex corpore, quod cernitur, & ex animâ, quæ in ipſo intelligitur & concipitur, tùm ex Spiritu per exemplaria & umbram cœleſtium: agè invocato eo, qui ſcripturæ fecit corpus, animam & ſpiritum, corpus iis, qui nos præceſſerunt (Judæis) animam nobis, ſpiritum iis, qui in futuro ſeculo poſſidebunt vitam ſempiternam, & ad cœleſtia & veritatem legis venturi ſunt, non literam, ſed animam in præſenti perveſtigemus: Si verò tantum efficere poſſumus in morem ſacrificiorum, quæ in ſcripturis leguntur, ad ſpiritum aſcendemus.

VII. Reſtat hiſtoricas luſtrare argumentationes. Bodinus ait, Germaniam non pro ultimâ Monarchiâ, hoc eſt, pro ſummâ unius Reipublicæ potentiâ, quæ aliarum opes & copias ſuperare queat, ſumendam; cùm vix centeſimam orbis terrarum partem ſuâ ditione teneat, & Hiſpaniarum Princeps habeat Imperium Hiſpanico majus. Adhuc eſſe ac fuiſſe, non quatuor modò, ſed propè infinita Imperia Babylonico majora. Omitti Imperia Chaldæorum, qui primi Babylonis fundamenta jecerunt; obliviſci Imperij Parthorũ, prætermitti Arabes &c. Molinæus pariter, *de Monarch. Franc. num.* 7. adnotat, miſceri Regna Babylonicorum & Aſſyriorum, qui erant duo ſeparati populi, & diſtincta Regna. Idem *num.* 14. & 15. ſcribit: à Gothis Imperium, Romanámque Monarchiam extinctum & abolitum fuiſſe. Enimverò his & ſimilibus objectionibus omnibus operâ facillimâ occurrere poterit, qui ſequentia axiomata animo infixerit. 1. De iis tantùm Imperiis agere Danielem, ſub quibus maximè peregrinabatur Eccleſia: etenim *cap.* 2. *verſ.* 44. dicitur, in diebus autem regnorum illorum ſuſcitabit Deus regnum, quod in æternum non diſſipabitur. quæ verba innuunt, ſpirituale regnum Chriſti durantibus iis & in medio illarum Monarchiarum erigi cœpiſſe. Quæ cauſa eſt, quod Daniel barthorum, aliorúmque ſat magnorum Imperiorum, cum quibus utpotè Eccleſia haud multa habuit communia, non rationem habuerit, eò quòd fuerunt extra Eccleſiá cõſtituta. 2. Notandum, quod ipſe Daniel. *cap.* 2. *verſ.* 37. & *ſeq* pronuntiat: Nabuchodonoſorem eſſe caput aureum, itaque Babylonis regnum prima Monarchia erit neceſſariò. Non immeritò Chaldæorum & Aſſyriorum

syriorum Imperium pro uno eodémque Historici sumunt. Neutram enim gentem distincta alia & peculiaria regna habuisse; sed alternatim potestatem hanc possedisse. Reinecc. *tom. 1. Syntagmatis*, docet. Quemadmodùm secunda Monarchia Medorum & Persarum Regnis cēsetur, eò quòd Medos Persæ non sustulerunt, sed exceperunt. Reinecc. *tom.* 2. 3. Sciendum Danielem *d. cap. 2. vers.* 41. *&c.* prædicere ultimum Imperium, hoc est, Monarchiam quartam ad finem divisam iri, Imperium illud circa finem ex parte fragile, & ex parte validum fore. Item *cap. 7. vers.* 7. ait; ultimam bestiam dissimilem esse cæteris, & habere cornua decem. quibus omnibus significatur ultimæ Monarchiæ extrema infirma futura, imò decem regna alia ex ea oritura. Indéque quod Romani Imperii Majestas, primò ad Græcos, post ad Francos, tandem ad Germanos pervenit, quòd Germani, Bodino urgente, exiguam mundi portionem adhuc hodiè Imperio suo coërcent quodque, ut Cordatus quidam è nostris dixit, magni saltem nominis umbra est. Spegelius *in Lexic. verb. Lex* hoc ipso Bodinus, insc ius & invitus nostram stabilit sententiā, suam destruit propriam. Ex quibus singulis colligi haud difficile est, Bodinum errare, & Danielem non aliā de re, quàm quatuor illis notissimis mundi Imperiis loqui. Sed tamen non ita argumentando concludendum est. Daniel prævidit Imperii illa futura maxima. Ergò injustè iis resistitur. Ergò quartæ Monarchiæ dominium Orbis jure destinatum est. Quemadmodùm eò res rediit, ut quidam hujusmodi summorum Imperiorum certa confinxerint jura. Hinc Kirchnerus, *coroll. 2. disput. de Republ.* 3. postulationem aquæ & terræ, de qua Herod. 7. de jure Imperii summi, Persarum fuisse prodit. Indè idem approbat, quod apud Tacitum legimus, 13. *Annal.* Ita Diis placitum, ut arbitrium penes Romanos maneret, quid darent, quid adimerent, neq; alios judices, quàm seipsos paterentur. Et addit Kirchnerus, Monarchiis hoc jus à naturâ tributum; quippè cùm inferius paneat superiori; impotentius subsit potentiori; nobilius dominetur minori. Quo sensu etiam Athenienses contra Melios disceptabant apud Thucyd. *lib.* 15. Sic inter homines esse comparatum, ut æquis quidem viribus instructi de jure disceptent. Valentiores autem quæ fieri possunt, injungant, & inferiores non detrectent vide alia exempl. apud Enenckel. Thucyd. *fol.* 618. Hæc, inquam, Tyrannicæ sunt potiùs dominationis flagitia, quàm juris alicujus nomine dignanda, à Nimrodo potente illo Dominatore initium habentia, & iis argumentationibus si uteremur, jam omnis æqualitas & justitia inter homines sublata erit, & verè secundum Augustinum, magna Regna propter hanc vitiositatem, magna latrocinia esse.

VIII. Ex hactenùs dictis consequitur porrò, committi Majestatis

tis Crimen, non tantùm adversus Imperatorem Romanum; sed & adversus quamcunque Rempublicam, superiorem non recognoscentem: sive jure Justinianeo utatur, sive non. Dn.D. Bocer. *de Regalib. cap.3. num.307. & 1. de crim. Majest. num.28.* Sixtin. *1. de Regalib. cap.4. num.19.* Dn.D.Plebst, *disput. feud.2. thes.66.* Johann.Camman, *disput. 10. th. 26.* Theod.Petrei. *in Thesaur. conclus. crim. th.77.* contrà Dn.D.Harpprecht. *ad §.3. n.19. & c. Institut. de Publ. Iudic.* vid. Nicol.Betsium, *de pact. famil. fol.427. & c.* Nec impedit quòd Dn.Reinking. *lib.1. class.3. cap.11. fol.81.* ait: Solum Imperatorem habere Majestatem; eò quòd cæteri Reges, Ewer Königl. Würde/ non Ew. Majest. &c. compellantur. Etenim non vis in nomine est, sed in potestate; hócque respicit majoritatem, non superioritatem. Et regula receptissima est, tàm Politicorum, quàm Jureconsultorum; quòd Reges non recognoscentes superiorem, Monarchæ sint, suo in regno: quódque conveniant iis tituli Imperatoris. Petra, *de potest. Princip. cap.3. quæst.4.* Piso Soacius, *tractat. de compar. Rom. & Venet. Magistr. num.16.* Moditius, *in decis. §. Lex. dubit. 4. à princip.* Arumæ. *disputat. feud.3. thes.12. &* 13. ego, *de appellat.2. num.2.* Sic etiam generale, & tritum, tàm apud Politicos, quàm Jurisconsultos nostros est axioma, de populo & civitate superioris nescia, idem judicari, quod de Principe Romano, ac tantam eos habere, & quandoque etiam majorem potestatem, in suo Dominio, quàm Imperator per Orbem Romanum, quod dixi *tractat. de appellat. cap.2. fol.23.* Superiorem non recognoscens in suo territorio, idem quod universaliter Principi est, habet Imperium. Nihilque à summo Principe, nisi ratione minoris ambitus, sicuti scapha differt à nave. Pruckmann. *de jure mulierum. fol.132.* Est enim Rex Monarcha in suo regno. d. Afflict. *cap.1. num.8. de novo form. fidel.* Challan. *in proœm. consuet. Burgund. verb. Duc. num.3.* Schneidvv. *part.5. de feud. num.64.* Aliarum quoque gentium Principes, superiorem non recognoscentes sua habent regalia, & jura Majestatis, ac quidem jure proprio, ut ait Gabriel. Roman. *5. conclus. tit. de acquir. rer. Dom. conclus.3. num.3. & c.* Vultej. *de feud.1. cap.5. num.7. vers. aliis etiam.* Ruding. *observ. fol.268.* Omnes pariter ii, qui sunt supremi, & supra quos, his in terris, nemo alius est, quique superioris Domini, & peregrinæ jurisdictionis majoris nescii sunt, adæquè regalia concedere possunt. Sixtin. *1. de Regal. n.16.* Clarus, §. *feudum. 10. quæst. 10.* Knichen, *de Sax. non prov. jure. verb. Ducum, cap.1. num.6.* Plebst, 2. *disputat. feud. thes.33.* Vicissim talis Rex, vel populus, superiorem non habens, etiamsi contra Imperatorem Romanum hostili animo & fraudulenter aliquid moliatur: non tamen Crimen committere dicitur Majestatis vel perduellionis. Bocer. *cap.1. de crimin. Majestat. num.19. & seq.* Sicut item

Maje-

Majestas Reipublicæ cuivis tribuitur rectè: ita quoque Majestatis jura, soli Monarchico statui perperam adscribuntur; contra ac communiter censent Doctores. Johann. Camman. *disput. 1. thes.* 104. Cùm ergò habeant Majestatem Aristocratia & Democratia, earum si lædatur, crimè Majestatis committi ritè dicetur. Quis itidem nisi in politicis planè hospes negârit, populum Romanum ante legem Regiam habuisse absolutissimam, propriatimque ita dictam Majestatem: ego, *in œcon. t. 3. & 4. ff. quæst. 9. ad fin.* & crimen perduellionis ritè vindicâsse. Sanè, adversus Solem Theodorus Marcil. *in proœm. Instit. fol. m. 5.* loqui videtur, cùm negat, Romulo, aliisque Regibus Romanis suam fuisse Majestatem: eâ ex ratione, quòd omnia manu à Regibus gubernabantur: cùm omnia Regiâ gubernare manu, maximus sit absolutæ Majestatis effectus. Et adversus Regnum vel Rempublicam liberam committitur tale Crimè, sive jure Justinianeo utatur, sive non; quamvis item infidelis, seu à religione Christianâ sit alienus. Sunt enim regna, ex gentium jure: & Salvator noster Cæsari quæ Cæsaris sunt, tribuenda esse præcipit, qui tum idolorum cultor erat. Sixtin. 1. *de Regal. cap. 4. num. 19.*

IX. Quid ergò tum respondebimus, si alterius Clientem se profiteatur Princeps? annè tunc quoque Majestatis jura assignabimus eidem? Sanè Proculus J. C. *in l. 7. de captiv.* ait, liberum populum illum esse, qui nullius alterius populi potestati subjectus est, sive is fœderatus sit: item sive æquo fœdere in amicitiam venerit, sive fœdere comprehensum sit, ut is populus seu Princeps, alterius populi Majestatem comiter conservaret, id est, observationem non indignam libero populo, superiori exhiberet, Brisson. 2. *de formulis.* hoc enim adjici, ut intelligatur alterum populum superiorem esse, non ut intelligatur, alterum non esse liberum. Non enim confœderatio jurisdictionem tribuit, vel subjectionem inducit, in eum, cui quis adhæret. ex Bald. Waremund. 1. *de fœderib. 3. num. 45. & prob. in c. ex parte Abbatissæ ext. de Privil.* Sunt nempè fœderum duo propriè genera: alterum æquum, amicitiæ causâ factum, ubi pari in honore consistunt fœderati, quando nempe pares bello, de captivis reddendis, urbibus tradendis, æquis conditionibus transigunt, *l. in libello, l. si captivis. d. t.* vel qui nunquam hostes fuerint, ad amicitiam sociali fœdere inter se jungendum coeunt. Alterum fœderis genus impar est, cùm pactio fit, ut is populus alterius populi potestatem comiter tueatur. In hoc fœdere quamvis aliquid subjectionis & deditionis deprehendatur, ac quamvis hâc in parte facilè Machiavello & Waremundo, 1. *cap. ult. de fœderib. num* 4. subscripserim, sub amicitiæ dulcissimæ, & clientelæ utilissimæ specie, minores à majoribus facilè opprimi, & in servitutem redigi posse; hoc tamen ego approbare ne-

queo, id quod interpretibus arrisit communiter, Majestatis nempè Crimen committere fœderatum populum contra Imperatorem vel populum Romanum, si quid moliatur: quâ de re videatur Dn. Bocerus. *tract. de Majest. cap. 1. num. 445.* Ut nec id mihi arridet, quod magni nominis Jureconsulti, putant: Majestatis Crimen scilicet committi, si exterus populus, qui Romani Imperii Majestatem comiter conservare, ex pactione tenetur singulari, aliquam in Imperatorem vel Imperium Romanum concitet. Non hoc, inquam, juris & politicis defendi potest rationibus. Etenim qui ratione suæ personæ subditus non est, non committit Crimen Majestatis. *c. pastoralis. §. rursus ut gl. & CC. de sent. & re judic. in clem.* Populus autem talis, qui nimirùm alterius populi Majestatem observat, non subditus fit; sed liber manet populus. *d. l. 7. de captiv. & postlim.* Ergò in eum Crimen Majestatis cadere non potest. Aliud est, Majestatem ex pacto conservare esse obligatum, aliud Majestati esse subditum, contra pacta & conventiones agere potest ille populus, non verò Crimen perpetrare Majestatis. Ita Vasallus contra pacta agit, contra Dominum insurgens, non verò committit Majestatis Crimen. Et quòd interdùm populus superior alio dicitur, hic non potestatis, quæ utrinque eadem est & æquè summa: sed observationis diversæ fit respectu. Bornit *de Majest. cap. 2. fol. 8.* Apud Doctores quidem nostros adhuc alia ponitur fœderum species, quam & Dion Gothofr. *ad d. l. 7. lit t.* agnoscit, cum bello victis dantur leges, ubi omnia ei, qui armis plus potest, sunt dedita. Sed hoc genus non immeritò miserabile & flebile appellat Waremundus. *d. cap. 4. n 6.* hujus formulam recitat Livius, *lib. 20.* Estisne vos Legati, Oratoresq; missi à populo, ut vos populum dederitis? Sumus, &c. Tales dedititii non sunt verè in fœdere, sed in ditione esse dicuntur; propiùs ad captivos, quàm confœderatos accedunt, siúntque ferè subditi tributarii ac vectigales. Hoc genus fœderis rectiùs legem, aut superioris Imperium dici, probè autumat Cabotius. *2. d sput. cap. 10.* Huic autem fœderum speciei, ubi nempè quis alterius Majestatem comiter observare tenetur, quàm proximè accedere puto Protectiones, Clientelas, Advocatias, Schutz vnd Schirmsgerechtigkeit. Dn. Dieter. *disputat. Basilien. 1. thes. 16.* Quo pariter casu protector assumptus non consequitur in clientem jurisdictionem, pòst Gailium Bernh. Grævæ. *2. conclus. 54.* Forsterus. *part. 2. tract. de jurisdict. fol. 473.* & probat *t. t. de domest & protect. lib. 12. C.* Indè est quod Kirchnerus. *disputat. polit. thes. 1. lit. e.* affirmat, Majestatis rationem Clientelæ jus non imminuere, sed conservare potiùs clienti, & regulariter in universum de omnibus Principibus, & Rebuspublicis, quæ in alterius non potestatem, sed fidem & clientelam se committunt, quòd Majestatem indè non

non perdant, concludit & longo stylo illustrat Arnisæus *cap.4. de Majestat.* Sed egi hâc de re ego *in tractat.meo.de fœderib.* & omnium diligentiam superavit in explicando Clientum jure Magnificus Dn. Martin.Magerus,*in tractat.de Advocat.armatâ.*

Idem mihi judicium est de iis, qui annuam aliis solvunt pensionem, ne excursionibus regionum suarum finibus damnum inferant. Quam Imperator Romanus tanquam Ungariæ Rex olim Turcarum Regi præstabat.Princeps hic sui officii memor, boni patrisfamiliâs personam sustinet,nullis parcendo sumptibus, damnum quod inevitabile est,avertit. Quod si majestas hìc detrimenti aliquid caperet, nec ipse Turcarum Imperator, qui Tartaris & iis populis, qui Arabiæ montes tenent, magnam pecuniam quotannis solvere legitur, illius particeps esset.vide Soranzii *Ottoman.cap.29.48.* & dixi *tractat. de appellat.cap. 4.fol.115.* Ita olim Romani,Dacis tributum pependerũt. Soranz.*cap.86.* Adrianus etiam à plerisque regibus pacem redemit, hócque excusavit Catonis exemplo;qui Macedones liberos pronuntiavit,quos non poterat tenere. Ælian.Spartian. *in Adrian.* Nec etiam subditi fuerunt illi Reges,qui se Romanorum, Montaigne, *2.cap.22.* & alii, qui se Caroli Magni servos appellârunt. Girard. *tom.1.fol.363.*

CAPUT V.

Cùm Majestatis sit Imperium summum, quid indè consequatur?

SUMMUM hoc Reipublicæ Jus, reliquarum in Republicâ potestatum omnium, fons & scaturigo est augustissima. Bodinus *method. hist.cap.6.fol.m.170.* basis est & origo,tùm jurisdictionis & judicii, tùm magistratus & Imperii; adeóq; in eâdem Republice existentis potestatis cujuscunque Menoch.*2.de præsumpt.14. num.2.* Mascardus, *conclus.* 1054. *num.2.* R.S. Ludovicus Molina, *de justit. & jur. tom.6.disput.3.* Gail. *de P. P.1. cap.11. num.4. & 5.* Calvinus, *in proceß. Iudic.fol.227. num.14.18. &c.* Wesembec. *in parat.de jurisdict. num.9.* Majestas enim absoluta, ipsam Rempublicam repræsentat, omnémque ejus dignitatem,robur ac potestatem,& nihil aliud omninò est, nisi suprema omnis Juris & Imperii,in qualibet legitimâ,& ab aliis separatâ Republicâ, secundum Dei,naturæ & communis politiæ legem,potestas. Haud secùs ac animæ facultates, omnésque sensus ac motus corporis humani, ab animæ virtute proficiscuntur,& in eâdem subsistunt.Ita ab Imperio illo subli-

sublimi, omnia alia inferiora, Bornitius, *de Majestat. cap. 4. fol. 16. & cap. 12. fol. 105. &c.* vid. meum *tractatum de appellat. cap. 2. sub nu. 16. fol. 60.* Quemadmodum ab Oceano omnia flumina oriuntur; & ad eundem refluunt cuncta: ita hoc eodem modo per Investituras, Commissiones, Concessionésque varias, omnis jurisdictio provenit à Majestate, & ad eandem redeunt per avocationes, provocationes &c. Guilielm. Onciacus, *quæst. Iur. philosoph. 29.* Sanè majestatis munia, curæ & officia, plurima sunt; adeò quidem, ut Princeps solus, vel populus vel optimates simul iis omnibus per semet obeundis, minimè pares esse queant. Quocirca Majestas (aut lex majestatem repræsentans) potestatem ac munia sua, & ita etiam jurisdictionem atque Imperium, magistratibus & aliis per partes communicare varias, ac variè & liberrimè distribuere: quandoque autem & rursùs adimere, vel ad se aut omninò, aut quatantenùs revocare solet, ut proindè magistratus & præfecti, judices ac consiliarii à Majestate, tanquam rivuli à primogenito fonte primitùs in Republicâ oriantur, ac semper dependeant, eíque individuo nexu cohæreant, ac etiam quicquid sunt, ac rectè peragunt, majestatis jubentis aut permittentis intuitu ac vigore, validum ac firmum existit, Calvinus, *in proceß. fol. 27. & seq. & latè fol. 404. per tot. cap.* Hócque intuitu appositissimè Etherius Mohr, *disputat. de jurisdict. cap. 2. th. 2.* scribit: Duplici modo spectari jurisdictionem: priori, quatenùs in summo Principe, nullum superiorem agnoscente residet; generalissimâ significatione, & dici absolutam, incommunicatam, speciem infimam, quæ alias in species non subdividitur; posteriori, quatenùs inferioribus magistratibus communicata est: & quidem à solo Summo; mediatè vel immediatè: Undè etiam cautum est jure civili; quòd privatorum consensu, non possit alicui jurisdictio, aut judicandi tribui potestas, nec Judex fieri queat is, qui Judex non existit. *l. 3. C. de jurisdict.* Bronchorst. 1. *miscell. aß. 10.* Hoc eodem majestatis essentiali attributo, suffulcitur axioma illud vulgatum: utcunque in amplissimâ formâ quis investiatur, vel alicui jurisdictio concedatur, nihilominùs tamen supremam jurisdictionem concedentem sibi reservare. Petra, *de potest. Princ. cap. 9.* & dixi, *in tract. de appellat. cap. 2. §. 16.* Et sic status in Imperio Romano, jure proprio dicuntur habere jurisdictionem, autocraticúmque Imperium: non quòd non accepta ferant territoria sua Imperio & Imperatori; sed quòd territoriis adhæreat jurisdictio, ea verò illi habeant ab Imperatore irrevocabiliter, in iisque exerceant jurisdictionem liberè; attamen sub fiduciâ Imperii & Imperatoris.

II. Pertinet hûc quæstio illa famosa, Azonis & Lotharii, veterum Jurisconsultorum, de quâ disputaverunt coram Heinrico VII. Imperat.

perat. Annè Imperator solus habeat Imperium merum, num verò & alii magistratus? Equidem cùm hac de re inter duos illos Jurisconsultos nõ conveniret, æqui sponsione factâ, judicium Imperatori commiserunt. Azo merum Imperium in Imperatore, tanquam in fonte residere, sed nihilominùs alios etiam magistratus hanc potestatem habere contendit. Lotharius solum Imperatorem merum Imperium, cæteros ejus saltem exercitionem habere respondens, sponsione vicit. Azonis verò sententia communi Doctorum calculo recepta fuit. Nihilominùs hincque dicitur Imperatorem adjudicasse Lothario, sed non æquum judicavisse adversus Azonem. Hoc quidem verum est, Papin. *in l. 1. de offic. ejus cui mandat. est jurisdict.* differentiam agnoscere inter eam jurisdictionem, quæ specialiter tribuitur lege, vel Senatusconsulto aut etiam Principum constitutione, & eam quæ competit jure magistratus: hancque propriam vocari jurisdictionem, *in l. 4. d. t. l. 13. de offic. proconsl. l. 5. ibi: suo jure. de jurisdict.* eò quod illa jure quasi proprio uti queat magistratus. Certum item est, qui universas seu integras provincias regunt, jus gladii habere *l. 6 §. 8. de offic. Præsid.* Non etiam pro Lothario militare potest, *d. l. 1. de offic. ejus cui mand. &c.* Quippe quòd ibi habetur, magistratus habere publici Judicii exercitationem, hoc ibidem restringitur expresè, ad eam jurisdictionem, quæ tributa est lege vel constitutione singulari; hancque opponit jurisdictioni, quæ competit jure magistratus. Nihilominùs tamen Lotharii scitum, politicæ veritati, & hactenùs deductis consona magis est: nempè solum Imperatorem merum Imperium; cæteros Reipublicæ Romanæ magistratus, ejus saltem exercitionem habere. *l. 4. de offic. præsid.* Bodin. *method. histor. cap. 6.* Scipio Gentilis, *lib. 3. de jurisdict. cap. 3. fol. 348.* contra Obrecht. *de jurisdict. c. 4. num. 77. &c.* Dn. D. Bocer. *8. de jurisdict. num 3.* Arumæ. *disp. ad ll. præcip. 2. thes. 3. à princ.* Bronchorst. *1. variar. 15.* adde Alciat. *2. parerg. 6.* Bellon. *supput. 1. cap. 1.* Lyclamam, *5. membr. cap. 8.* Tilemann. *vota. disput. 4. thes. 29.* Magistratus enim nil proprii habet juris, sed ejus potestas quasi radius quidam est luminis à majestatis fulgore egredientis. Jurisdictio & Imperium, propriè quidem spectant ad officium magistratus; hincq; nonnulla, jure magistratus competere dicuntur: sed tamen officium ipsum, ad Principis nutum, ejúsve, penes quem est majestas, dari & adimi solet. *l. 1. in princip. ad L. Iul. ambitus.* ideóque in personam, nil nisi exercitium transfertur. Hûc facit quòd criminum coërcitio, gladiique potestas, ad solum Principem spectat; cujus soliùs est animadvertere in caput Civis Romani; quod antè à nemini licebat injussu populi. *l. 2. §. exactis. 16. de orig. jur.* qui precariò saltem illud Imperium concedebat. Unde Joach. Stephan. *1. de jurisdict. cap. 2. num. 6. 7. &c.* Ut populus, in-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 3, [51] - 49

quit, primò jure suo merum Imperium habebat, idque Rectoribus Provinciarum, Comitiis Curiatis, interdum etiam Centuriatis dabatur. Sic cùm posteà omne jus populi, ad Principem fuit translatum; Princeps per se, seu jure officii, plenissimum hoc Imperium, solus occupabat. Licèt autem Prætorio Præfectus, etiam plenissimum habuerat, seu ut Evagrius, *lib.3.* scribit: κορυφαίαν τῶν ἀρχῶν: non tamen jure magistratus, sed lege speciali huic dabatur. Vid. eund. Joach. Stephan. *1. de jurisdict. cap.3. num.25. &c.* Qui *ibidem num.35.* dicit: Lotharii sententia non impugnanda videtur, si status Imperii Romani consideretur, qualis fuit principiò, cùm omnia aut populo, aut majestati Principis, vel jure Patrimonii, vel Fisci subjecta fuerunt; easque Provincias, præsides missi, & proconsules administraverunt; qui exercitationé, non jus ipsum Imperij habuerunt: Jus enim tunc apud populum, vel Imperatores semper residebat. Verùm hodie, mutatâ Reipublicæ formâ, cùm Provinciæ in Feuda sint commutatæ; non ut olim muneris & administrationis, sed patrimonii sunt nomina, nec revocari possunt, &c. ut precariò, sed jure contractus collatum. Addatur etiam Wesembec. *in parat. de off. ejus cui mand. jurisdict. num.3. & seq.*

III. Huic eidem fundamento, etiam superstruitur illud: Quòd si supervenerit majestas; nullus magistratus jurisdictionem suam retineat non impeditam, *argum. l.58. de judic. l.5. C. de offic. Rector. Provinc.* Bodinus, *3. de republ. cap.6. num.313.* Hinc & in Jure Saxonico, Landrecht *lib.1. artic.58. §.* wann der Graff/ &c. sancitum invenimus: In welch Landt der Keyser kompt/ daselbst ist jhme das Gericht ledig/ daß er alle Klag richten mag die vor jhne kompt/ &c. Princeps enim supremus, cum inferioribus semper concurrit, eósque prævenire potest. Elbertus Leoninus, *emendat. lib.6. cap.7.* Quo sensu aptissimè, Plinius, *in Panegyr. fol.120. edit. Iust. Lipsi.* Altissimæ, ait Civium dignitates, collatione fastigii Imperialis, quasi deprimuntur: quantóque propiùs ad magnitudinem ascenderint Principis, tantò etiam à suâ descendisse videantur. Ita Episcopus, Legato de latere præsente, benedicere populo, & Episcopalia signa deferre nequit. Johann. Aloys. Riccius, *prax. Ecclesiast. decis.* 570. Sic & Patriarcha crucem portare non potest Romæ. Nec Prætores Civitatum, baculum justitiæ ferunt assistente Provinciæ Prætore, Rodolph. *de Ducib. Ital. num.342.* Sicque Princeps omnes ingreditur Senatus, non verò inferiorem Senatum, superior Senator. Langlæ. *semestr. lib.7. cap.15.* Non aliter ac Solis luce, stellæ cæteræ obfuscantur; Soleq; etiam supter horizontem existente, non alio quàm solari lumine splendent: ita eo, qui majestate præfulget, præsente, omnes aliæ potestates conticescunt, Gunther. *in Ligurin.2.*

Atque

— *Atque omnis Iudex, omnisq; potestas,*
Atque magistratus, ipso præsente quiescant.

Vid. tamen Casp. Schifordegher. *lib. 3. tract. quæst. ult.* qui docet: Vicarios Principum, ipsis præsentibus nihilominùs ordinariam suam Iurisdictionem retinere. & adde Dn. D. Bocerum, *tract. de Iurisdict. cap. 8. num. 80.* idem hoc enunciatum, in statibus Imperii irrevocabiliter investitis, limitantem. Indè Klockh. *disputat. de vectigal. th. 19.* tradit, non posse Imperatorem alicui vectigal per alterius territorium concedere. & *th. seq.* ait, fallere nunc suprà ex Jure Saxonico regulam allatam. Namque Principes & Comites, Imperiique alii Vasalli in exercitio Iurisdictionis suæ hæreditariæ, per Imperatorem non possunt impediri, *tit. 7. de nat. feud lib. 1. feud.* Sic & Imperii status alii, etiam ex privilegio irrevocabili, ac non solùm ab Imperatore, sed & insimul Imperii beneficio suam potestatem habent; ejúsque Imperii membra quoq; & partes esse censentur. Hicque dubitatur; Annè Imperator veniam dare possit, si quis delinquat in territorio alicujus status? (eáque de re dicam etiam Deo benè juvante, *infrà dissertat. 3.* cùm de Jure Maiestatis, in veniâ criminum concedendâ agam.) Et habent Spirenses Privilegiũ singulare, à Ludovico IV. Imperatore concessùm: daß keiner so von jhres Gerichtes wegen verweiset ist vor jhrer Statt / von der Keys. Maiest. &c. wider darein gesetzt / oder darein geführt werden solle. Lehman. *7. cap. 21. fol. 759.* idque confirmavit Carolus IV. Idem Lehman. *eod. libr. cap. 41. fol. 787.* Húcque pertinet, quod Ludovic. Rodolphinus, *de Ducib. Ital. num. 81.* scribit: Respectu Ducis Mediolanensis Imperatorem esse Privatum, ut quoad eius territorium, nequeat Ius dicere, vel privilegiare, *ac num. 90.* dicit: Comites Palatinos Imperatoris, haud posse legitimare in Principum terris, sine licentia eorum, ut & *nu. 92.* tradit: quòd Italiæ nonnulli Principes fecerint Decreta; ut nemo possit impetrare privilegium ab Imperatore sub gravissimâ pœnâ. Idémque Rodolphinus, *in num. seqq.* dilucidè agit eádem de re; ita tamen, ut non putem ea pertinere ad Imperii Status, Imperatori ac Imperio arctiùs obligati qui videntur. Sic & ex Imperatoris universali Iurisdictione descendit, quòd Camera & ipse Imperator in statuum territoriis existentes, propriâ authoritate citare queant. Rodolphin. *de Ducib. Ital. num. 101.* Ummius, *disputat. 5. num. 60. circa med.* An autem hodiè iurisdictio regulariter privativè, vel communicativè quò ad concedentem, vel ordinarium cõcessa & translata præsumatur? docent Caspar. Leipold. *apud Arumæum discurs. 13. quæst. 1.* Berlichius, *tom. 1. cap. 2. conclusion.* Et in specie, an Imperator cum statibus Imperii, in eorum territoriis, concurrat in Iurisdictione, consule eund. Leipold. *quæst. 3.* Caspar Ziegler, §. Landsaß / *concluſ. 1.*

clus.1. in limit. in princ. fol.190. Reinking, *lib.1. class.5. cap.7.* Ac porrò, cùm ut Baldus eleganter scribit; ubi loquitur superior, tacere deceat inferiorem; proindè de delictis, à domesticis & apparitoribus Principis in civitate commissis; non civitas, sed Princeps superior, vel eius Consiliarii cognoscere debent. P. Heigius, *2. quæst. 25.* ego *tractat. de Iure Universitat. cap. ult. num. 9. &c.*

IV. Itidem quia maiestas, summa potestas censetur: longè ideò ab aliorum magistratuum auctoritate & potestate, est diversa: neq; hæc altitudo potestatis, cum aliorum Imperiis commisceri debet. Et indè Regem vel Principem alium summum, haud rectè summum appellari magistratum, qui acutiores sunt Politici docent. *arg. l.3. de Iurisd.* Arn. Clapmarius *de arcan. Rerump. 2. cap.4.* Vincent. Cabotius, *1. disputat. Iurisp. & privat. cap.7.* Dn. Hilliger, *ad Donell. 17. cap.7. fol.54. & seq.* Dissentiente Dn. D. Bocero, *de Iurisdict. cap.8. num.53.54. & 71.* Qui iidem inter Regem, & magistratum etiam summum accuratè distinguunt. Etenim magistratum esse, est vel ordinariâ Iurisdictione fungi, vel merum Imperium obtinere, *l.13. de Iurisd.* non maiestatem habere. Et vox magistratus, apud Pompon. *in l.2. de orig. Iur.* significat eum omnem, cui judicandi functio commissa fuit, non ut Jus (perpetuum) constitueret, (quod solius est maiestatis) sed ut id quod constitutum est, diceret, seu administraret. Sicque Imperium illud quod præses in Provincia habebat, maius est omnium aliorum; *l.4. de offic. præsid.* Sed tamen longo intervallo post se relinquit Principis maiestatem. Exindè apparet, toto genere Iura maiestatis, à Iurisdictione differre, Dn. D. Bocer. *de Iurisd. cap.1. num.43. & cap.5. num.7.* Distinctè & appositè loquitur Cicero, *pro Rabirio*, Imperium cùm magistratibus, auctoritatem Senatui, plebi potestatem, maiestatem populo tribuit. Quòd autem Prætori Romano, utpotè Reipublicæ officiali, tribuitur quædam maiestas: *l.9. de Iurisd. l.11. ad fin. de just. & jur.* id fit per metonymiam, quâ id quod populi erat reipsâ, magistratui, qui honorarii Iuris functione maiestatem illius referebat, minimè imperitè applicatur. Paul. Busius, *subtil. Iuris. 1. cap.2.* Marcilius *ad proœm. Instit. fol. m.4.* Dn. D. Bocer, *de Crimin. Majestat. cap.1. num.58. & seq.* ac dixi ego *ad l.8. & 9. ff. de just. & jur. quæst.9.* Eâdem ferè ratione, quorundam magistratuum potestas, summa dicebatur. Tileman. *disput.2. thes.7. in notat. vol.1.* Et maiestas in Consiliariis violari dicitur, aliisque qui pars corporis sunt principalis, *l. quisquis. C. ad Leg. Iul. Majestat.* Arnisæus, *de Majestat. 1. num. ult.* non quòd proprio jure habeant maiestatem; sed quòd in principalis maiestatis iniuriam ac contemptum vergat, si, qui Principis nomine populum gubernant, violentur. Est porrò maiestas supra omnes gradus, à quibus

quibus alii magistratus procedunt. Quis ausus fuisset populum Romanum, antequàm Principi suam contulit potestatem, vocare magistratũ? Sic itidem Princeps summus, cùm sit principium & fundamentum dignitatum, haud debet facere gradum dignitatis. Sicut dicitur de stipite, à quo proveniunt gradus; & de unitate quæ non est numerus, sed principium numeri. Piso Soacius, *de Roman. & Venet. Magistrat. comparat. num.* 15. Pariter ergò & optimates in Aristocratiâ, haud erunt magistratus, Philipp. Hœnon. *disput. polit.* 10. *th.* 12. *&* 38. Ita etiam Imperatorem, dignitatum gradibus haud annumerari; sed potiùs dignitatum culmen esse, docet Frizius, *apud Arumæum, discurs.* 16. *thes.* 18. *b. fol.* 440.

CAPUT VI.

Quòd Majestas, sit perpetua Potestas.

Addidi in definitione Majestatis, illam perpetuam esse Potestatem. Summa quia reverà non potest esse Potestas, quin etiam perpetua existat. Bornit. *h. cap.* 8. *à princ. & c.* 11. Perpetua verò intelligitur ea potestas, quæ nullo temporis spacio terminatur, vel definitur: sed cum Imperio, ut oritur, ita moritur. Hæcque in Democraticâ ac Aristocraticâ Reipublicæ formâ, tàm diù durat, donec evanescat, vel convertatur, seu in alium mutetur ipse status: quanquam Personæ, quæ eam sustinent, intereant, alijs suffectis. *l. proponebatur* 76. *de Iudic.* In Principe illa perpetuitas accipitur, donec vivat, *ut in l* 1. *ff. pro socio.* vel in æternum: aut Status seu formæ Imperij ratione, ut familiæ respectu, ad quam Jus succedendi spectat. Et ideò cui committitur ad tempus, vel ad certas res gerendas, sublimis potestas; non is Rex; sed summus est dicendus Magistratus. Illis quibus ad breve aliquod tempus, summa tribuitur potestas, propriè non competit Majestas, sed potiùs summæ Potestatis ac Imperij custodes, Reique publicæ Curatores, tantùm sunt appellandi. Bodin. 1. *de Republ* 8. *à princ.* Richard. Dieter. *disput de Majestat. th.* 18. *quæ est in Disp. Basileensibus, prima* Camman. 1. *thes* 63. Et potest itaque aliquis summum habere jus qui tamen careat Majestate, *l.* 2. §. 16. *de orig. Iur.* Bornitius *de Majestat.* 2. *fol.* 7. Quamobrem nec Dictator in Republicâ Romanâ, Rex erat; licèt ei ad tempus summa crederetur Potestas, *l.* 1. *ff. de offic. Prat. Præfect.* Nec apud Heduos Vergobretus (Vergobretes: indè adhuc Baumeister alicubi pro præcipuo sumitur Magistratu) annuus ibi qui creabatur, & vitæ necisque habebat potestatem. Vincent. Capot. *disput. variar. jur. publ. & privat. lib.* 1. *cap.* 7. *à princ.* Sicut & Consulibus

sulibus Romanis, ante legem Valeriam, de provocatione latam; nil quicquam de regiâ potestate ademptum fuit, præter quam quod annuum eorum Imperium erat. *dict. § exactis 16. ff. de orig. Iur.* Dieter. *d. disp. de Majest. thes. 19.* Coras, *ad rubric. ff. de offic. Consid. num. 2.* Ac quamvis posteà, ne per omnia Regiam obtinerent potestatem, ut ab eis provocatio esset, fuerit effectum: & tamen eis interdùm, à Senatu negotium dabatur; viderent ne quid Respublica caperet detrimenti; ac tunc maximâ pollebant domi foriſque potestate, Coras. *d. loco num. 4.* ego *tractat. de Appellat. 2. cap. 5. à princip.*

II. Ac ita Aristoteles errat, quòd Æsymnetas Græcorum, qui nempè suffragio, ad aliquod negotium, aut bellum conficiendum deligebantur, & quasi Rectores seu jussores dicti fuerunt; pro Regibus venditat, Monarchisque accenset, *3. polit. 10. & 11.* Quippè cùm Monarcha, majestatisque particeps dici haud mereatur, cui Populus vel optimates, pro lubitu abrogare Imperium queunt; vel tempore, quod præfinitum est, elapso, ipse illo sese cogitur abdicare. Indéque labuntur pariter nostri Dd. qui dicunt; Populum Romanum, si velit adimere seu revocare Principis Imperium posse. vid. Zasium *ad l. non ambigitur 9. ff. de legib.* Eo quòd Populus in Principem dum transtulit majestatem eo; ipso, ex suâque naturâ, perpetua illa existat: hincque dicitur *in l. un. de offic. Præfect. Prætor.* regimenta Reipublicæ perpetuò ad Imperatorem translata esse. Veros item puto esse Monarchas, qui suffragio Populi, ad vitam Tyranni fiunt: contra Bornit. *h. cap. 11.* ut Cæsar qui perpetuus Dictator factus fuit. Verùm nil obstat, quò minùs Rex sponte se Imperio abdicare, illúdque populo vel statibus, aut successori legitimo consignare queat. Clariss. Dn. D Lans. *in consult. orat. pro German. fol. 83.* & Dn. Hilliger *ad Donell. 17. cap. 7. fol. 55.*

III. Nec ergò majestate sunt præditi; vacante qui Imperio administrationem habent ejusdem: quales in Romano Imperio sunt Palatinus Elector (in Rheni tractu, vnd da man sich deß Fränckischen Rechtens gebrauchet) & Saxoniæ Dux (in terris viventibus Saxonico Jure) Carol. IV. Aurea Bulla *tit. 3.* Goldast. *constitut. tom. Latin. 2. in articulis oblig reg. Rom. num 22. fol. 141.* ego, *in disput. Nomic. polit. de succes. & election. lib. 3. dissertat. ult. num. 3. & seq.* Dieter. *disput. Basileens. 1. th. 21.* Thomas Michaël. *disputat. de Iurisd. thes. 29. à princ.* Non itidem majestas competit iis, qui vel absente Principe, aut Minorenni, mentisve haut compote illo existente, Rempublicam administrant Proreges, vel Proprincipes, Regentésve appellitantur regni, Vinc. Lupanus, *tractat. de magistrat. Francicis. lib. 1. tit. Regens Franciæ.* Dieterus, *d. disputat. de majestat. thes. 20.* Nec item ipse Rex Romanus, hanc sibi potestatem sumere

mere potest, ut verè majestatem habere dicatur; quamvis ut perpetuus Imperii Vicarius, mandatum cum liberâ habere, omniáque, Imperatore absente, quæ ipse præsens, facere posse censeatur: Thomas Michaël, *disputat. de Iurisd. thes.* 29. non enim verè perpetuum est censendum, quod vicarium est; cessat enim potestas præsente eo, cujus geruntur partes.

CAPUT VII.

De Potestate legibus solutâ.

MAjestatem summam imperandi potestatem esse, nec agnoscere superiorem, non etiam parem habere, suprà est deductum; ex hoc autem necessariò consequitur & illud, Principem, Senatum, vel populum, cui summa hæc competit potentia, ut Imperio alieno, ita quoque legibus obstrictum planè esse nullis; nam summus non est, qui vel legem supra se, vel hominem habet. Hinc Ulpian. *in l.* 31. *de Vllb.* Principem legibus solutum esse, pronunciat. Ubicunque verbum Regis est, ibi dominatio, & quis dicat ei quid facis? ait Vir sapiens. *Ecclesiast. cap.* 8. *à princ.* Sic quoque loquitur noster Imperator, *Novell.* 105. *cap.* 2. §. 4. *in fin.* Imperatori, & ipsas Deus leges subjecit, legem animatam eum mittens hominibus, Princeps juris totius vicem obtinet. *l. omnium. C. de testam.* ac plùs valet majestas, quàm leges. Summum ergò Imperium, etiam legibus solutum est: non enim potest Princeps suis legibus obligari, cùm se ipso inferior non sit, & solùm à superiore, inferioribus leges ferantur; Bellarminus, 2. *de Pontif. cap.* 27. *ad fin.* Et quoque aliàs Imperativus primâ personâ caret, ut olim facetè quidam dixit. Matheſius, *in* 39. *cap. Syracid. fol.* 144. Quâ de re variè disserunt nostri Doctores, Dn. D. Harpprecht. *ad princip. Instit. de rer. divis. num.* 124. *&c.* Dn. D. Bocer. *tractat. de invest. cap.* 3. *num.* 78. *&c.* Dn. D. Thomas Lansius, vir undecunque clarissimus, *in eleg. suo discurs. de l. Regia. thes* 58. *&c.* Paurmeister. 1. *de jurisdict. cap.* 6. eruditiss. Bachovius, *ad disputat. Treutler.* 1. *fol.* 24. *&c.* Henric. Scotanus, *disput. ad* 1. *lib. C. thes.* 3. *& seqq.* Dn. Johann. Camman *disputat.* 1. *de Iure Majest. thes.* 28. *&c.* Valent. Forsterus, *tract. de jurisdict. Rom ad l. Romuli* 2 *num.* 7. *& seqq.* M. Anton. Del-rio, *in miscell. ad l.* 31. *de legib.* Hackelman. 1. *Illustr. thes.* 10. Hilliger. *ad Donell.* 1. *comm. cap.* 17 *lit. A.* Arumæus *tom.* 2. *jurispubl. discurs* 14. Andr. Gerhardi, *disput. ad Instit.* 1. *th.* 7. Piccolomin. *in Philosoph. moral. grad.* 10. *cap.* 9. Ohemius, *discurs. de Consulib. cap.* 1. *num.* 14. *&c.* Keckerman. *disputat. practic.* 29. *problem.* 12. Henr. Velsten. *cent. quæst. politic. decad.* 8. *thes.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 3, [57] - 55

8. *thes.6.* Dn. Val. Riemer, *dec.1. th s.7.* ego, *in Oeconomia. tit.3. & 4. lib.1.ff. quæst.1.* ac tot ferè hac de quæstione sententiæ sunt, quot capita eorum, qui hanc quæstionem in manus sumpserunt: ex ejúsque decisione, infinitarum ferè controversiarum, (quæ multis nodo illo Gordio difficiliores videntur) resolutio dependet; quarum nexus celantur, & in semetipsos implicati manent, hæc nisi vel solvatur, vel dissecetur difficultas. Ego ita opinor; adstipulantibus politicis & Jurisconsultis notæ melioris. Iis, penes quos est Majestas, duplicem tribuendam esse potestatem: Ordinariam scilicèt legibúsque conformem, seu πολιτικὴν, hoc est, simpliciter Civilem; & aliam insuper extraordinariam, anomalam, seu architectonicam, aut Civilem nomotheticam, legibúsque solutam; quam vulgò potestatis plenitudinem vocant. R. P. Martin. Becanus, *in Theolog. Scholast. de leg. cap.6. quæst.12.* Alberic. Gentil. *disput. Regiâ. 1. fol.28* Aut. Antimach. *1. theor.1. fol.60. &c.* Johann. Dauth. *in explicat. leg.3. C. de testam. num.2. fol.398.* Hen. Arnisæus, *de majestat.1. cap.3. fol.50.* Ludov. Rodolphin. *tract. de absol. Principis potest. cap. 1. nu.3. &c.* Petra, *de potestat. Princip. cap.2.* contra Covarruv. Pinelum, aliósque adductos à Petr. Augustino Morlà, *empor jur. part.1. quæst.1.* vide quæ dixi ego, *de appell. cap.1. ad fin.* Qui absolutæ potestatis nomen, juri contrarium, & omninò à Jureconsultis ablegandum, esse tradunt; sed ut hi nolunt Principi dare absolutam potestatem, ne peccet; ita qui absolutam concedunt potestatem, eam illi non aliter dant, nisi ut benefacere possit; *quemadmodum infrà dicam.*

II. Ordinariam si majestatis potestatem inspiciamus, legibus illa submissa esse censetur regulariter omnibus. Et legibus etiam suis, ac à semet latis obstringitur, *l.6. de Iur. fisci. l. 6 §.1. de condit. & demonstr. l. 7. C. qui testam. fac. possunt. l. ult. ff. eod. l. penult. de hered. instituend. l. 4. C. ad L. Falcid. l. 8. § 2. de inoffic. testam. cum similibus.* Bornitius *h. cap.10.* Est enim executrix, non destructrix legum. Et de hac potestate intelligenda sunt omnia loca, ubi dicitur in legislatione Justinianeâ; legibus quibusdam, reverà Principem esse alligatum: Falcidiâ putà, Glyciâ. &c. Post. Part. Salicet. & alios. Alberic. Gentil. *disputat. regal.1. fol.28.* Nec quippè perspicere queo, quòd debeat sanus quispiam dubitare vel quærere: Princeps an Falcidiæ sine onere capere legatum, ex testamentóve imperfecto hæreditate regulariter gaudere debeat, vi solutæ potestatis: nulla cùm inibi prorsùs appareat ratio, locum quæ cedat huic exorbitanti Juri, & quod insuper, arbitrarium cùm sit, certam ideò regulam non admittit. Sanè proprium Imperii est quem legibus vivere, *l.3. C de testam* tantámq; majestatem decet, eas servare leges, quibus ipsa soluta esse videatur. *l.23. de leg.3.* Sanè verbum videri & esse diversa sunt, Gothofr.

thofr. *in not. ad l. 16. C. de testam. milit.* ac videri fictionis interdùm verbum est, & significat improprietatem. Calv. *Lex. vid. videri.* Legibus itaque Princeps solutus videtur omnibus: sed inverecundum est, *ut in al-leg. L.* dicit JC. Paulus, ex imperfecto testamento legata vel fideicommissa vindicare. hoc enim in privatum Principis commodum vergeret, non salutem procuraret Reipublicæ. Et ita licèt legibus omnibus, & omnibus in casibus non ligatus videatur Princeps, in rei tamen veritate etiam civilibus legibus adstringitur, si non aliud velit, ac exigat Reipublicæ salus & necessitas. Quo etiam confert, quod dicitur, dignam vocem esse majestate regnantis, legibus alligatum se Principem profiteri, *in l. 4. C. de llb.* hoc idem est quod Divi Severus & Antoninus rescripserunt, licèt legibus soluti simus, attamen legibus vivimus, *§. fin. Inst. quib. mod. testam. infirm.* Indè Apoll. D. Thyanæus *apud Philostr. 8.* Hæc cùm dicta sunt, inquit, de legibus, Quas si tibi imperare non putaveris, ipse non imperabis. Plin. *in Panegyr. de Trajan.* In rostris simili tu religione, ipse te legibus subjecisti Cæsar, quas nemo Principi scripsit, sed tamen nihil ampliùs vis tibi licere, quàm nobis. Tiberius, qui bonũ Principem simulando & verbis expressit, cùm edicto vetuisset sibi statuas poni, addidit præscriptionem illis verbis: Nisi ego permittam, atqui non permittam. Xiphilin. eo interpretationem Principis apparentem, & veram distinguens. Eò etiam fit ut multis casibus eodem cum cæteris utatur jure Princeps. *Novell. 89. cap. 11. l. 31. ff. qui testam. fac. poß. l. pen. de hered. instituend. l. 15. ff. de condit. inst. l. 23. de leg. 3. l. 60. de condit. & demonstr. l. 6. & 22. §. 2. de jure fisci. l. 2. & 3. C. ne Fiscus vel Respublica.* Sed hîc non possum non eorum notare errorem, qui summam potestatem atque Imperii Majestatem à voluntate, humanitate atque bonitate Principis distinguunt, qui quæstionem de voluntate Principis à quæstione separant obligationis. Qui ajunt, obligatio nulla est. Voluntas ad modestiam & bonitatem spectet Principis; ut cogitet, non omne quod liceat, honestum esse, &c. Erronea est hæc opinio, & fundamenta tyrannidis ponit. Inseparabile est accidens, propriúmque πάθος legibus solutæ potestatis, humanitas, bonitas, voluntatis individuus esse debet comes honestas, obligationis vinculum est arctissimum, quo modestiæ & bonitati adnectitur Princeps. Et conditionaliter certâ de caus, âsalutis nimirùm publicæ gratiâ solutus est legibus Princeps. Ergò conditionaliter quæ data est, conditione non eveniente, hoc est, salute publicâ non exigente ademptâ censeri debet, Raudens. *1. de analog. cap. 37. n. 4.* est enim conditio qualitas, quâ quid condi, id est, fieri actum est. Alciat. *l. debitori. C. de pact.* & in conditione positum, non est in dispositione. *l. si quis sub conditione. ff. si quis omissa causa test. l. is damnum quod. §. pen-*

det. de Reg. Iur. & conditionalis dispositio non est propriè & simpliciter talis; sed secundum quid *l. 1. § si quis simpliciter. de V. obl. l. hoc legatum. de leg. 3.* & quicquid ex causa conceditur, secundum illam causam regulari debet. Bonitatem, conscientiam, modestiam, verecundiam, decentiam, à Principis Majestate aliena esse nunquam dixerim. Non aliud mihi est, quærere quid possit facere Princeps ex summâ potestate, & aliud quid faciat Princeps bonus. Princeps aliquid faciens contra id, quod bonum decet Principem, non principali potestate utitur, nulla enim est ad peccandum Principi largita potestas, sed impotenter agit & tyrannicè: nec unquam enim à decentiâ potentia est separanda. Illa denique opinio, quæ vult, non jure & ex legis præcepto; sed ex Principis arbitrio, benignitate & humanitate legibus se subjicere Principem, etiam legibus nostris reprobari potest. Etenim *in l. 4. C. ad L. Falcid.* Alex. Imperator ait: Et in legatis Principi datis legem Falcidiam locum habere meritò: ubi notanda vox meritò: Est enim idem quod Jure, ex debito aut lege desiderante, *l. 51. in pr. pro Socio l. 17. de probat. l. 1. in princ. quod jussu, l. 1. in fin. de loco public. l. 3 §. 2. de penu. leg. l. 4.* ibi: *meritò constitutum est & rationem habet.* Hinc que dicitur *in l. 8. §. 2. de inoff. testam.* Si Imperator sit hæres institutus, posse inofficiosum dici testamentum, scilicèt invito & reluctante Imperatore, posse enim quis creditur, quod potest invito adversario, &c. Dn. Bocer. *de invest. 3. nu. 81. & 83. & c. item* 87. Nec subsistere potest Covarruv. opinio, quam habet *in relect. c. alma mater part. 1. §. 1. num. 5.* qui Principes legis humanæ vi coactivâ solvit: & Principem teneri vi quâdam directivâ, asserit. cui opinioni favet Fachin. *1. cap. 2.* Guil. Barclajus *3. contra Monarchomach. cap. 15.* & ferè eadem est cum Græcorum errore, qui legibus solvunt pœnariis Principe, ita ut Princeps omnem delicti à se commissi effugiat pœnam, Harmenopul. *1. tit. 1.* Cujac. *15. observ. cap. 30.* Vultejus, *Instit. §. sed & quod Principi, de jur. nat. &c.*

III. Sed hîc eorum refutabo opinionem, à quibus magnas propter rationes cogor dissentire. Cujac. enim *lib. 15. observ. cap. 30.* Ulpianum *in l. 31. de legibus* interpretatur, de legibus caducariis Juliâ & Papiâ, quibus solutus sit Princeps, eò quod *d. l. Princeps. 31.* ex Ulpian. *lib. 13. ad L. Iul. & Papiam*, quæ de caducis lata erant, id testante inscriptione, sit desumpta. Ast indigna est hæc opinio, tanti nominis quam tueatur JCtus. Caducarias quippè leges sustulit Imperator Justinianus, *in l. un. C. de caduc. tollend.* & nihilominùs post hanc legem latam, *in Novell. scil. 105.* testatur idem, Deum ipsas leges subjecisse Imperatori, non sanè eas, quæ jam antè abrogatæ, & quibus omnes subditi jam modò soluti fuerunt. Porrò modus ille argumentandi, locus ille undè argumentum

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 3, [60] - 58

tum pro suâ opinatione desumit Cujac. inscriptio nimirùm ab ipso Imperatore, non approbatus; sed rejectus est prorsùs. Etenim propter reverentiam tantùm, nomina prudentium taciturnitati tradere noluit Imperator, non ut indè aliquid inferri, vel legis alicujus erui possit reconditus sensus. §. 10. *const. de confirmation. digestor.* Insuper non solùm caducariis, sed & aliis pluribus legibus, solutum esse Principem evincunt. *l.* 14. §. 1. *de manumiss. l.* 56. *de leg.* 2. *l.* 3. *C. de testam. l.* 23. *de leg.* 3. Prætereà non desunt, qui Ulpianum exaudiendum putant, de solennibus tantùm juris, à quorum observatione liberum pronuntiant Imperatorem. Coras. 2. *miscell. cap.* 25. Donell. 1. *comm.* 17. *à princ.* Duaren. *de legib. cap.* 5. Fundamentum habet hæc opinio, *in l. ex imperfecto. C. de testam.* ubi habetur: Ex imperfecto testamento, nec Imperatorem hæreditatem vindicare posse, sæpè constitutum est. Licèt enim lex Imperii solennibus juris Imperatorem solverit: nihil tamen tàm esse proprium Imperii, quàm legibus vivere. Indè à contrario sensu argumẽtantur: juris solennibus lex Regia Imperatorem solvit. Ergò aliis legibus solutus haud est. Sed perversa, & haud bona est hęc argumentatio; argumentum quippè à contrario suo sensu legis alicujus in Codice existentis, desumptum, exiguum admodùm habere putatur ponderis, Vult. *in* §. *sed & quod Principi num.* 7. *de jur. nat. & discept. cap.* 10. Donell. *de pignorib. cap.* 16. Sunt enim Decreta ad propositos accommodata casus, magis quàm edicta & indè in hâc pariter lege, cùm circa testamentum aliquod sollemnibus destinatum quæ orta fuit disceptatio, Imperatori proponebatur non nisi de sollemnibus is poterat respondere. Ac licèt hodiè rescripta illa auctoritatem constitutionis habeant; in ratione tamen interpretandi multùm differunt: ad speciem enim propositam accommodata, non continent generales definitiones juris, Duaren. *ad tit. C. si in communi eademq; causa &c.* Hæc item ipsa lex, ex quâ sollemnibus Imperatorem solutum esse, deducere conantur, efficit contrarium. In eâ namque respondetur, Principem non ita sollemnibus solutum esse, ut ex minùs perfecto aliquid capere possit testamento. Hócque Imperatoris rescriptum optimè meæ congruit opinioni, quâ dico, legibus & ita sollemnibus solutum esse Principem; sed tamen non fruisci potest legibus non conformis testamenti commodis; quippè non privatæ Principis utilitatis; sed publicæ salutis & necessitatis intuitu eidem hæc cõpetit summa potestas. Tandem ergò hæc nostra est sententia, Politicæ & juris Justinianæi auctoritati conformis, Princeps legibus solutus est Civilibus, *l. Princeps. 31. de legib.* quæ lex generalitèr loquens, & sub generali posita rubrica, generalitèr sanè intelligi debet. non eâ tamen potestate uti potest, nisi necessitas, vel non scripta æquitas, salúsve hoc

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 3, [61] - 59

exigat populi, *l.15.de condit.Inst.& infra latè hoc tractabo.* Hincque rescripta contraria, juri generali & utilitati publicæ, irrita pronunciantur, *in l.6.C.si cont.lus vel util.publ.* hinc nunquam præsumitur, hâc absolutâ potestate contra rationem usum fuisse Principem, & ea in dubio ad justitiam redigitur. Undè pariter descendunt Interpretum nostrorum placita, Clausulam motu proprio jus alteri quæsitum non tollere. Hinc Fiscus vel Cæsaris ratio cùm in privati jus succedit, privati jure pro anterioribus suæ successionis temporis utitur. *l.6.de jur.fisci.l.60.§.1.de condit.& demonstr.* nec potest sub prætextu debiti, procurationem contra privatos præstare Fiscus. *t.t.ne fisc.vel Respubl.* hinc ex imperfecto testamento legata vel fideicommissa Imperator minimè vendicat. *l.23. de leg.3.l.3.C.de testam.l.7.C.qui test.fac.poss.l.ult.ff.qui testam fac.poss.* non litis causâ heres institui potest Imperator. *l. pen. de hered.inst.l.22. §.2.de Iure fisc.* Indè lege Falcidiâ tenetur Princeps, ei si legatum sit relictum, *l.4.C.ad L.Falcid.* Indéque si Imperator sit heres institutus, inofficiosum dici potest testamentum, *l.8.§.2.de inoffic.testam.* non potest nec Imperator, nec lex filium naturalem invitum in patris redigere potestatem. *Novell.89.cap.11.à prin.* Quò & refero Interpretum nostrorum concluſum: Rescripta ad jus commune reduci debere. Guil. *1.observat. num.6.*

IV. Quamvis autem per ea, quæ hactenus latè deducta sunt, regulariter Princeps jure ordinario utatur: attamen sollemnibus juris, legibus item caducariis, & similibus aliis, ordinario quoque jure, & ex privilegio singulari, solutus est Princeps. *l.3.vers.licet.C de testam* Convenit enim, æquè Principem ac Clericos, Nobiles, Doctores, Mulieres, Minorennes &c. Privilegia certa habere. Juris namque ejusmodi minutias, optimâ dedignatur sequi ratione, qui Majestate præfulget. Quomodo etenim non tantæ detraheret auctoritati, Principis si testamentum, propter defectum sollemnitatis alicujus à jure civili receptæ, invalidum diceretur, Mantica, *de conjectur.ult.volunt.lib.6.tit.1.ad fin.* Menoch. *consil.351.num.8.& seq.* Sichard. *in l sancimus, in princ. num.18.& seq.C.de donat.* Rosenthal *de feud.cap.12.concluſ.10.num.15.&c.* Pruckman. *de regal.§.soluta potestas 4.capitis membr.3. effect.1.fol.645.& effect.2.fol.661.* Barry, *tract.de succeſs. lib.1.tit.2.* ego *de succeſs.& elect. lib.1.dissert.2.* Si Principis præsentia, reliquarum sollemnitatum defectus, in testamentis privatorum non resarciret. Pruckm. *d.loc.effect.3. fol.677* Barrii, *d.loc.* Si contra eum, qui à Principe emit, vel causam à fisco habet, regressus daretur. *L. benè à Zenone. C. de quadrien. præscript.* Moditius *in decis §. lex dubitat.83.* Si donatio quam Princeps confert in Augustam, *l.penult.C.de donat.inter.vir.& uxor.* Peck. *de testam.*

conjug.

conjug.3.cap.26. aut in filium. Bern. Grævæ. *2.concluſ.pract.concluſ.38. num.25.*non rata cenſeretur.Si donationes Imperiales, aut quæ à privatis Principi fiunt,monumentis indigere judicarentur.*l.34.verſ.exceptis & auth.ſubſequent.C.de donat.Novell.52.*Cùm tamen id,quod ſuper donationibus apud acta conficiendis tenet, ex hâc ſolùm inductum ſit ratione; clandeſtinis ne aliàs fraudibus, facilè quidvis pro negotii opportunitate confingi poſſit,vel id quod verè geſtum eſt, aboleri, *l. 27. C. de donat.* Num autem jura Regalia habens donare, teſtamentum ſine ſollemnitate condere poſſit,&c? diſputant Hartman. Piſtor. *lib.3. quæſt.9.* Petra *de poteſt. Princip.cap.4.num.24.* Roſenthal *cap.12. concluſ.10. num.15.&c.* Dn.Bocer. *de donat.cap.3.nu.76.&c.* Wehner, *conſ.Franc. 1.*ego,*in conſil.ſingular.inſerto tractatui meo de Imperio ſubalterno.* Sic ad honores non admittuntur minores. *l.8.ff.de munerib.* Hoc Principem non concernit privilegio ſingulari, ante alios qui major cenſetur, & cujus tutela ita pubertate finitur,ut non ei detur curator ſive regens. Paul.Montan.*tract.de tutel.cap.37.num.68.* ab optimâ quòd indole,numerus iniquè exigatur annorum,inſtitutióque imperaturo accommoda,defectum facilè ſupplere queat ætatis. Undè & Camerali uſu juréque,Princeps minor regens,pro majore habetur,potéſtque in jus vocari propter conſiliarios, quorum conſilio omnia agere cenſetur : Et cui ideò quod ætas minuit,ſupplet conſilii plenitudo, Rutger Ruland.*deciſ.juris controverſ.5.* Sic & in nuptiis non ita obſervant ii, qui majeſtatem habẽt,prohibitos gradus,jure poſitivo vetitos,& id à ſanctâ Synodo approbatum eſſe ait Iſaacus Angelus Imp. *cap.2.ſuar.conſtitut.* Et alia inſuper,ex iisdem ferè rationibus, privilegia habet majeſtas, Gothofr. *ad Novell.*105. (quæ enumerant Ludov.Boſſius,*tract.de Principe, ejuſq; privileg.* Læl.Zecch.*pol.1.cap.5.num.85.*) eóque pertinet. *t.C. ne rei Dominicæ vind.temp.præſcript.ſubmoveatur,tit.item. de privileg. Dom.Auguſtæ.lib.11.* Et alia quæ Bornitius,*tract.de majeſt.cap.ult.* & Speckhan. *1.quæſt.72.* enarrant.Sic privilegium etiam Principis eſt, ut ipſe, vel Fiſcus,ſi vendat aut donet rem, non poſteà queat à vero illius rei Domino poſſeſſor inquietari. *l.benè ad Zenonem.C.de quadrien.præſcript.* Tuſchus, *lit.E. concluſ.142. & ſeq.* Hæc autem privilegia,etiam Auguſtæ tribuit Princeps.*l.31.§.1.de leg.*ego,*in œconom.tit.3.& 4.lib.1.ff.d.quæſt. 7. ad fin.* Et ideò differunt à plenitudine poteſtatis: quæ ei non competit, nec tribui eidem debent regalia aut jura magiſtratus; neque etiam ſub ſpecie curationis, Bodin. *1.de Republ.cap.ult.fol.m.258. & ſeq.* Eleganter Froiſſart,*lib.1.cap.139.Sire, ne me vueillez ſçavoir nul mau'gré, ſi je ne le rendi tantoſt au mandement de Madame la Royne; car je tien de vous,& mon ſerment ay de vous, non d'elle.* Et etiam non omnia privilegia

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 3, [63] - 61

habet Augusta, quæ ipse Princeps. Principi enim si quid legetur, id (si is ante testatorem moriatur) successori debetur, (cum fictione quâdam juris, nunquam principatus interrumpi credatur) non si quid legetur Augustæ. *l. 56. & seq. de leg. 2.* Sicque Augusta eadem privilegia habet, quæ Princeps: quatenùs ei competere possunt; quorúmque illa capax est. Augusta non succedit Augustæ, ut Augustus Augusto: carere potest Imperium Augustâ, non Augusto; quia non moritur dignitas Imperatoris.

V. Verùm enim verò, quemadmodùm DEI Opt. MAX. gubernatio, Providentiæque ipsius Imperium, communem ferè semper naturæ seriem sequitur (quâ ratione Naturam Scaliger definit, *exercit. 188. sect. 1.* quòd sit ordinaria DEI potestas) sed interim sæpiùs eundem ordinem, tanquam author Naturæ spernit, negligit. Psalm. 105. *vers. 37.* & pro sapienti ac benignâ suâ omnipotentiâ, quicquid lubet miraculosè sistit & efficit; quandóq; etiam non agit secundum modum, quem ipse suis promissis determinavit Jehova DEVS. Arnisæus *1. de Majest. cap. 4. num. 3.* Jac. Martini *lib. 1. Metaph. exerc. 3. th. 8.* Quo etiam intuitu Salvator noster, Dominus Sabbathi dicitur. Marc. *2. vers. ult.* & fratres ac sorores conjunxit liberos Adami; fratrisque viduam ducere Deus jussit fratrem. Alberic. Gentil. *de nupt. fol. m. 535.* Ita paritèr quoque, in Republicâ interdum publicus favor ac necessitas, ordinariam & legibus consentaneam respuunt potestatem. Indéque non sine magnâ ratione, extraordinariâ sublimioríque illâ potestatis plenitudine, eatenùs instructum est Imperium summum (imago & exemplar DEI in terris. undè & Magistratus Dii vocantur in SS. Scripturâ, ac Principem in suâ Republicâ corporalem quendam Deum, nominavit Baldus, *§. fin. de prohib. feud. alien.* ac Plautus, *in Casinâ*, eum humanum Jovem vocat) ut quoties populi salus, publica utilitas, necessitas, justitiæ ratio, aut similis id postulat causa; cunctis consulere (tanquam perpetuus Reipublicæ Consul. *Novell. 105. c. 2. ad fin*). & in commune pro arbitrio jubere possit ac debeat, Jurium apicibus repudiatis, *3. polit. cap. 7.* (dissentit Althusius *cap. 9. fol. 123.* qui absolutam potestatem, non personali Majestati; sed corpori universalis consociationis adscribit: quod tamen vix ille obtinebit) Opus est, ut alicubi in Republicâ, non tantùm forte aliquod sit Imperium; verùm etiam liberum, & legum vinculis exsolutum: quod Rempublicam in quâvis parte temperet, ordinétve; quod illam ad nutum fortunæ & tempestatum, motúsque mutationum gubernare possit: aliàs regi nequit. Hujus arbitrio multa sunt relinquenda; paritèr ut Nauclero, vel etiam Patrifamiliàs, non leges certæ dari possunt. Qui enim legibus non est solutus; quomodo, quæsò, legum rationes, pro varietate circumstan-

cumstantiarum mutabit, aptabitque? Bodin. 1. *de Republ. cap.* 10. Arnold. Clapmar. *de arcan. Rerumpubl. l. cap.* 11. & 12. Lex duntaxat loquitur universè, non ad ea quæ eveniunt accommodatè: itaque in quâvis arte, secundum scripta præcisè judicare, stultum reputatur. Contzen, *lib. 1. polit. cap.* 15. *num.* 3. Hócque in Facultate Medicâ cum primis observare licet. Sicque & in Republicâ, necessarium tàm forte & liberum Imperium reputatur; quod interdum singulorum commoda, communi præferat utilitati. *l.* 3. *c. de primipil. lib.* 12. Bornitius, *de Majestat cap.* 6. *fol.* 32. *&c.* Amirato, 4. *discurs.* 7. Et sufficit solutam hâncce potestatem, unicam habere legem, populi nempè salutem; quam ideò rectè vocant legem supremam. Hûc pertinet quod dicitur, *in l. unic. in fin. pr. ff. de offic. Præfect. Prætor.* Data est plenior licentia, ad disciplinæ publicæ emendationem, *& in l.* 3. *de offi. præf. vigil.* Salutem Reipublicæ tueri, nulli magis convenire credidit, nec alium sufficere ei rei, quàm Cæsarem. Propter Rempublicam, & ut ea salva sit, factæ sunt leges: non Respublica propter leges. Ideóque videre debet Princeps, Respublica ne quid detrimenti capiat, etiamsi legum negligatur subtilitas, Jura constitui oportet, quæ ut plurimùm, non quæ ex inopinato, vel quæ fortè uno aliquo casu accidere possunt: quódque semel aut bis existit, prætereunt legislatores. *l.* 2. *l.* 3. *l.* 6. *de legib.* nullæ leges ita scribi possunt, ut omnes casus, qui quandoq; tàm ad publicum, quàm privatum jus spectantes inciderint, comprehendantur. *l.* 10 12. *d. tit.* Ideóque planè necessarium est, ut aliquâ in Republicâ sit potestas, quæ vel jure non decisos casus discernat, vel contra legum tenorem propter aliquam communem utilitatem, occasione ita ferente aliquid faciat, vetet aut permittat, *argum. l.* 11. 16. *d. t.* Quod Aristoteles innuit, 3. *de Republ. cap.* 7. Leges, ait, salutares valere oportet, ejúsque qui præsit, sive unus sit sive plures, summam in iis rebus esse potestatem: de quibus leges, quoniam non facilè est de omnibus omninò & totum explicare, cavere nullo modo possunt. Alii magistratus leges semper: Princeps si Reipublicæ interesse arbitretur, legibus spretis solum sequitur rationis dictamen, regulásque virtutum. Absurdum est dicere legem dominari in ipsam majestatem, cùm nullæ leges possint esse in Republicâ, nisi à majestate promulgatæ; nemo verò sibi legem ponere possit, à quâ recedere non liceat, *l. si quis in princ. de legat.* 3. & Ulpian. cum aliquem sibi posse legem imponere negent, *l. quod autem. §. uxori, de donat. inter vir. & uxor. l.* 40. *§. ult. de fideicommiss. libertat.* neque imperare sibi, neque se prohibere quisquam potest, *l. si de re suâ de recept. arbitr. &c.* Bornit. *cap.* 8. Ac licèt in Prætoris edicto dicatur æquũ esse, ut quod quis in alterius persona æquum credidit, id in suâ quoque personâ valere patiatur, *l. hoc edictum. §. 1. ff. quod quisq; jur.* Sed de Prætore

tore hoc accipiendum est, tanquam magistratu, qui peracto officio in jus vocari potest, in quorum numero majestas minimè continetur, Arnisæ. 3. *num.* 7. Prætor autem magistratum deponens privatus est, privatis similis, nulla verò inter majestatem & subditum unquam esse potest proportio. Privatus legibus tenetur, Princeps leges ipsas gubernat. Ac ita legibus soluta potestas extenditur ad legum correctionem, & novarum legum sanctionem; ad neglectionémque legum positarum in casibus certis. Hinc dicitur majestatis finè principalem esse, summo illo Imperio, animare universam Rempublicam, Bornit. *cap.* 5. Quod enim Nauclerus in navi, quod primum motus principium in horologiis, id sanè est Princeps, quem format majestas. Analogia hujus Imperii à nexu alieno absoluti (ut innui jam suprà) patet in patrefamiliàs, (undè & familia, quæ pusilla Respublica ab Apulejo, & ejus ipse Princeps dicitur, *in l. familiæ. 196. de V. S.*) & qui in suâ familiâ solus familiaribus imperat, neque ab ullo alio, sive uxore, sive liberis legem accipit, & sua jussa propria, si ita videatur, revocat, limitátve. Ac idcircò majestatem solutâ esse, non tantùm ejus natura exigit, verùm etiam usus & finis. Bodinus 1. *de Republ. cap.* 10. Clapmar. 1. *cap.* 11. *&* 12.

VI. Ex hactenùs dictis, mox, quatenùs, ubi & quando summâ illâ potestate Princeps, senatus vel populus, uti debeat vel possit, appareret. Etenim cùm ad Reipublicæ salutem eò faciliori operâ procurandâ inventa sit, & concessa, ergò ad injuriosa & iniqua non illa extenditur, nec ad peccandum ulla Imperanti, adscribenda est privilegiata potestas. Quippè quod ea, quæ ad unum introducta sunt finem, contrarium haud operari debeant, *l. eleganter 23. §. si quis post. 3. in fin. de condict. indeb. l. legata inutiliter 19. in princ. de leg. 1. & l. cum tale 71. §. fin. de condit. & demonstr.* Hart. Pistor. 1. *quæst.* 48. *num.* 8. Et quæ posita sunt ad Reipublicæ augmentum, non debent deminutioni præbere occasionem, Cacheran. *consil.* 40. *incip. visis verbis. num.* 16. Sicque hujus juris extraordinarii forma est, statuere bono publico, contra jus commune, & utilitatem privatam. *Il est forcè de faire tort en detail, qui veut faire droict en gros.* Montaigne, *ult. cap. ult. fol.* 1080. Adeò ut nonnunquam speciem quandam iniquitatis præ se ferre videatur; quæ tamen rependitur publicâ utilitate. Bornit. *cap.* 29. Undè plenitudinem potestatis definit Ludov Rodolphinus, *tract. de suprem. princip. potestat. cap.* 1. derogationem juris communis seu ordinarii: plenitudinem arbitrii, nulli necessitati subjectam, nullísque juris publici regulis limitatam, *ac vid. eund. cap.* 5. ubi latè docet, quid illa potestas operetur. Et de eâ tandem verba legis Regiæ, Vespasiano scriptæ capio: ut quæcunque ex usu Reipublicæ, majestatéque divinarum, humanarum, publicarum, privatarúmque

rúmque rerum esse censebit, ei agere, facere, jus potestásque fiet; uti Augusto fuit &c. *ex Anton. Augustin.* Gentil. *disput. Reg. 1. fol.* 32. Hujus juris elegans exemplum, Declamatores nobis exhibere solent, qui de Vergilii testamento, ita loquentem inducunt Augustum Imperatorem:

Hæc dedit, ut pereant? ipsum si dicere fas est.
Sed legum servanda fides: suprema voluntas
Quod mandat, fieriq; jubet, parere necesse est?
Frangatur potius legum veneranda potestas.
Quam tot congestos noctésque diésque labores
Hauserit una dies &c.

VII. Potestas hæc, jus Dominationis (undè etiam Imperatores Domini indigitantur, Bulenger. *de Princip. Romano 1. cap. 36.*) vis potestatis, Italis dicitur *Ragion* vel. *Ragionamenti di Stato*; quasi dicas jus publici boni. Undè & jus regni, δίκαιον πολιτικὸν, ab Aristotele nominatur, Clapmar. 4. *de arcan. cap. 2.* Dicitur item Regia manus, à Pomponio Jureconsulto, *l. 2. de orig. jur.* Albertus Bolognet. *tractat. de L. jur. & æquit. cap. 10. & 13.* Joachim. Stephani, 3. *de juris dict. cap. 2.* Manus enim sumitur pro potestate, *l. 4. de justit. & jur.* Status, est convenientia propria cujuslibet rei in suo statu: *conveniencia propria de cada uno en su estado.* Perez. *in aphorism. fol.* 171. *ad fin.* Et rationes Status media sunt, hanc cõvenientiam sartam tectámque asservantia, Canonhiero, *dell. introduzz.* 10 *cap.* 1 ut dixi, *in tract. de Arcanis Rerumpublicar.*

VIII. Verùm ratione hujus extraordinariæ potestatis, legibus soluta est Majestas, Civilibus tantùm; non Naturalibus, Gentiúmve jure primævo, Camillus Borell. *tract. de magistrat. lib. 2. cap. 1.* quibus, utpotè providentiâ Divinâ constitutis, æquè Imperantes ac subditi obtemperare tenentur. Has quicunque perrumpere, aut infirmare tentabit, Divinæ Majestatis non effugiet judicium, *can. quæ contra mores dist. 8.* Vasquius, *illustr. controvers. 31. num. 21. & 22.* Bodinus *1. de republ. cap. 8. num. 102. & ad fin. capit.* Herman. Vultejus *in §. sed & quod principi 7. Inst. de jur. nat. gent. & civil.* Johann. Camman. *disputat. 1. thes. 37. 41. & seqq.* Benedict. Winckler, *de princ. jur. 3. cap. 7. & 5. cap. 4.* Scotanus, *disp. ad libr. 1. C. thes. 4.* Intuitu divinæ legis, & legis item naturalis, rectæque rationis; non ut Princeps, sed ut homo consideratur is qui imperat, quâ omnes homines inter se sunt æquales. *l. quod attinet. ff. de reg. jur. cap. 1. & c. non licet. distinct. 10.* Illustris Enenckelius, 1. *de privileg. cap. 8. nu. 16.* Hincque jus naturale indispensabile dicitur, *distinct. 13. & seq.* Quare olim Dionysius matri iniquum petenti, respondit: Jus Civitatis mutari quidem posse, naturale non posse. Plutarch. *Apoptheg m.* Hæc considerans Canutus, Nortmanniæ, Daniæ & Angliæ Rex, sedile suum in lit-

tore maris poni vel statui jussit, & mare alloquens, ait: Tu mare ditionis meæ es, & terra in quâ sedeo est mea; Impero & denuncio tibi, ne ascendas terram, nec vestes vel membra Domini tui, nec Dominatorem madore perfundas. Quâ voce non perterritum mare, & terram & pedes Regis madefecit, undè Rex clamavit: Sciant omnes habitatores terræ, & universi Orbis, vanum esse meum Imperium, vanas jussiones, & vanam potentiam Regni; & statuant, neminem verè dignum nomine Regis, præter eum, ad cujus nutum & mare quiescit, & omnia obediũt elementa. Eberhard. à Weihe, *de vanitat. glor. human. fol. 95.* Quódque summi Principes non soluti sint legibus naturæ, adparet etiam ex eo; quia plerunque brevioris sunt vitæ. Zamorienſis, *in specul. lib. 2. cap. 4.* Quâ ratione Fridericus III. Imperator, dicere solebat: Eos se Consiliarios amare, qui non magis Principem metuant, quàm Deum. Æneas Sylv. *in parall. Alphonsinis.*

IX. Ex hoc porrò immediatè subsequitur & illud, si à populo provenit Imperium, legibus Imperii seu Fundamentalibus, aut Status non solutum esse ullo modo Principem; quod & dixi *supra cap. 1.* Nempè populus non omnem transtulisse potestatem censetur, quam ab initio vel tacitè exemit, vel expresè; non secùs ac pacta incontinenti contractui adjecta formant, & legem dant conventioni. Schraderus, *tract. feud. part. 2. partis 9. section. 3. quæst. 6. num. 144.* Tiraquell. *de utroque retract. part. 1. §. 1. gloss. 13. num. 39.* Valdè sanè periculosum est, ut ait Bodin. *cap. 6. method.* Regem ita creari, ut nullis omninò legibus teneatur; sed omnia nutu, arbitrióque suo gerat, cùm facilè fieri possit, ut tale Imperium in tyrannidem degeneret. Quocircà Politicus in fundatione Status, maturè provideat, ut omnis occasio tyrãnidis prævertatur; quod non tàm fit Principem bonum eligendo, quàm ritè disponendo, ne regimen tyrannicum evadat; aut si eò flexerit, tempestivè occurratur. Idque legibus & pactis Imperialibus optimè caveri potest, quæ lex de forma majestatis esse censetur, quæ Principem efformat. Et ideò si eas evertere niteretur Princeps, consequenter seipsum & Principatum, nec non salutem publicam conturbaret, Bornitius, *cap. 9.* Tales leges quam plurimas singulari providentiâ Dei, præ aliis Ducatus Würtembergicus habet; quarum præcipuæ sunt Erectio, sive Cæsareum Diploma, quò Ducalis dignitas Eberhardo I. collata fuit, ut & der Tübingiſche Vertrag/ &c. adeò ut Statum illius Ducatus accenseat Aristocratiis Keckermannus *in polit.* Et porrò non extra Naturæ limites ponitur, & in Divorum refertur numerum, qui in Principem eligitur. Et Alexander Magnus à suis pro Deo habitus, pòst in prælio quodam vulneratus, ipse suam Divinitatem & Jovis Hammonis risit, quæ ipsi adscribebatur, a-

gnationem. Ergò naturæ jus, hoc est, rationem rectam observare tenetur, qui imperat. Naturale voco jus, quod in lege continetur & in Evangelio, *c.1.& 2.distinct.*11. quo quisque jubetur alii facere, quod sibi vult fieri, & prohibetur alii inferri, quod sibi fieri nolit. Estque lex divina & naturæ, seu rectæ rationis eadem, Alberic. Gentil. *de Nuptiis fol.552. &c.* Non audiantur à Rege illa verba, quæ Mosi respondit Pharo, Quis est Dominus ut audiam vocem ejus? Lex Imperatorum non est supra legem Dei, sed subtus, *c.1.& 2.distinct.*10. *c.tua extr.de decimis.* His sese Princeps subjectum fatetur, *l.penult.C.de legit. hæred. l.pen. in princ. C. de adopt.§. sed hodiè.§.minorem.instit.eod.l.47. in princ. ibi consentimus naturæ, C.de Episcop.l.*188.§. 1. *de reg.jur.* Hinc non pœnam meretur, sed præmium ille adquirit grande, qui legibus contra Dei voluntatem latis non vult parere, *c.1. dist. 9.* Magis enim Deo, quàm hominibus est parendum. An gentium jure liberata Majestas sit, non frustrà dubitatur. Persæpè in jure nostro jus naturale & gentium ponitur pro eodem. *l.1.in princ. & t.t.de acquir.rer.domin.l.84.§.1.de reg.jur.l.30. circa med. C.de jure dot.§.1.4.5.11.12.40. inst. de rer. divis.§. Ius autem Civile de jur. natur.* Sic jus civile ponitur pro jure gentium, *in l.32.de R. Iur.* Servi jure civili pro nullis haberi dicuntur, cum tamen servitutes jure gentium introductæ, non uno loco pronuncientur. Undè quicquid in contrarium Bronchorst, aliique disputent, in Primævum & Secundarium dispertiendum est jus, quod vocamus Gentium. Quædam enim quæ juri adscribuntur Gentium, à simplici ratione naturali proficiscuntur, & homini in primâ creatione insevit Natura, ut normæ sint honestorum, turpiúmque discrimina, cujus Exempla sunt religio erga Deum, Pietas in Patriam & Parentes, alterum non lædere, non cum alterius locupletari jacturâ. *l.2.de justit.l.nam hoc de condict.indebit.* Illud jus Gentium primævum vulgò dictum suprà indigitavi Divinum & Naturale. Jure quia naturali hæc animo hominis insita fuerunt, antequàm gens ulla esset, & ideò rectiús à potiore ac antiquiori causa Naturalia, quàm Gentiũ appellantur. Illustr. Enenckel. *1.cap.8.de Priv.nu.31. &c.* Ab hoc aliud esse bella, Servitutes &c. & alia quæ per ratiocinationem, usu & humanis necessitatibus exigentibus homines communi constituerunt assensu. Quis non nisi captus ratione perspicit, hæc ab illis planè esse diversa & ideò à se invicem separanda. Ergò quicquid naturam sequendo Gentium præscripserunt jura, Principem quoque tùm Naturali lege cogente, tùm publico consensu suadente, ligare ajo. Si quid verò aliquid contra naturam qualiscunque consensus introduxit, hoc Princeps corrigere debet. Enenckel. *cap.8.num.50. &c.* Si quid usu Gentium exigente inventum, si particularis suæ Reipublicæ id exigat usus, negligere potest,

quòd semper generi per speciem derogetur in jure, in eóque consistit ratio & necessitas Civilium Legum. Paritèr ut interdùm à naturali æquitate recedit rectè Gentium jus secundum, cujus rei exemplum est luculentissimum in præscriptionibus. Non enim eò, quòd naturæ conveniat, ne quis cum alterius damno locupletetur, *l. 14. de condict. indeb. l. 6. in fin. de jur. dot. l. 206. de reg. jur.* non propterea quòd æquum sit, ne id quod est nostrum, sine facto nostro ad alium transferatur, *l. 11. de reg. jur.* ideò iniquum est præsidium præscriptionis. Publica enim hîc utilitas, ne dominia sint in incerto, & ut lites abbrevientur præponderare debet privatæ. Vultejus §. *sed naturalia institut. de usucap.* Ergò restat ut cum Dione dicamus, *lib. 53.* legibus soluti sunt Imperitantes, liberi nimirùm ab omni legum necessitate: nec ullis constitutionibus seu scriptis coërcentur, non scilicèt à naturâ innatis, vel gentium omniũ consensu introductis. Positivo jure solutus est Princeps, quod scilicèt pro voluntate & judicio legislatoris ponitur & deponitur, Bodinus 1. *de republ. cap. 8.* Vultej. *instit. de jur. natur.* §. *sed & quod principi, &c.* & hæc propriè lex appellatur, §. 6. *instit. de jur. natur. l. 1. de llb. l. ult C. eod.* & à jure differt omninò naturali, *l. jubemus 37. C. de Episcop.* eodem verò ligatur quatenùs ratione, vel æquitati nititur naturali, vel ex ea necessariò sequitur, & per se Covarruv. 3. *variar. resolut. cap. 1. num. 8.* Anton. de Petra *tract. de jure quæsito cap. 3. quæst. 3. nu. 78. & c. & cap. 24. nu. 93. & c.* Non enim lex fit Civilis æquitas, si naturalis in scripturam redigatur: pariter ac consuetudo manet, si literis mandetur.

X. Ex hactenùs deductis nemini obscurum esse potest, à nobis quæ expectari responsio possit, ad quæstionem: An in gradibus jure divino, respectu copulæ matrimonialis prohibitis, dispensatio ullius hominis locum habere possit, Beust. *tract. de matrim. cap. 56.* Beza, *tract. de divort. & repud. pag. 75.* Covarruvias *p. 2. de matrim. cap. 6. §. 9. nu. 10.* Zepper, *de legib. Mosaicis. 1. cap. 10. num. 2.* Arithmæus, *in peric. 2. disput. de affinitat. fol. m. 58.* Ac de Cambyse sororem ducente, vide Gothofred. *ad l. 8. C. de incest.* Interim tamen suprema gaudens potestate, jus naturale determinat, & applicando quasi mutat. *l. 6 de Iustit. & Iur.* Sarmient. *2. select. interp. cap. 14.* Bortius *apud Arumæum, discurs. 30. cap. 3. thes. 15. fol. 870.* Eóque respectu nonnulli dicunt, etiam contra jus Divinum dispensare Majestatem. Lancellot. *in Templ. omn. jud. fol. 331. & c.* Vasquius, *in illustr. quæst. 25. num. 18.* Est enim dispensatio rationabilis temperatura, Vasquius, *ibid. num. 7.* Et quatenùs verò Princeps, etiam secundario Gentium jure sit obstrictus, consule Benedict. Winclerum, *tractat. de Princip. jur. 4. cap. 13.* Quódque Princeps, contravenire nequeat, quæ de jure Gentium sunt, tradit etiam Cravetta, *consil. 908.*

XI. Et

XI. Et cùm nulla humana Potestas sit infinita, Tob. Paurmeister. 1. *de jurisdict. cap. 3. num. 11. & seq.* Supremum etiam hocce jus, duo sepimenta habet; internè conscientiam, externè pudorem. Horum jurium obsequium (Naturalis scilicèt & Divini, seu Gentium Primarium hoc est, rectæ rationis) tàm Principi, quàm subditis, aurea imponit regula JCti *in l. 15. de condit. iustit.* Quæ facta lædunt Pietatem, existimationem, verecundiam nostram; & ut generaliter dixerim, contra bonos mores fiunt, ea nec facere nos posse credendum est.

XII. Quoque extraordinaria illa Potentia, cujus intuitu jure Positivo omni, absoluta reputátur Majestas *l. 31. de legib.* tùm demùm est usurpanda; aliàs quando juris legatis propter rigorem, salus publica, aut veritas aut justitia periclitaretur, *l. 23. de legat. 3. l. 4. ff. de Legib. l. 3. C. de Testament. § fin. Instit. quib. mod. testam. infirm.* Bacchov. *ad disput. Treutler. 1. fol. 22.* Ego *in œconom. tit. 3. & 4. lib. 1. ff. quæstion. 7. § sed cum hæc præcellentia &c.* Cujusmodi si absit causa, legibus quoque Civilibus, quæ ad ipsos rectà, vel per analogiam saltem referri possunt; obligati sunt etiam ii, majestatem qui habent, Bornitius *de majestat. cap. 10.* Imperium summum, semper jure extraordinario munitum est, sed non eo semper uti debet. Flagitiosissimi pernitiosissimiq; Consiliarii sunt, qui hanc legibus solutam potestatem, in horribilem licentiæ quidvis faciédi tempestatem, contra Dei, Gentium, Statúsque Reipublicæ leges improbè transmutare; & sic purpuram majestatis, maculoso tyrannidis vellere; Civium dignitatem ac libertatem, asininâ & servili abjectissimæ patientiæ veste, induere satagunt: nec aliter Principum jura, & existimationem, salva esse posse, confidentissimè nugantur, Dn. D. Lansius, *in dec. thes. per saturam. quæ extat tom. 4. disput. Basilecns. thes. 2.* Jus certè minuitur, si potestas crescat: nec Imperio est utendum, ubi legibus agi potest. Pierre Matthieu, *in Sejano, fol. 18.* Ac perpetua regula est, media extraordinaria cessare: ubi ordinario est locus. Tum demùm leges observantur, si Princeps eas servat. *No vi malguardadas leyes, quando el Principe las guarda.* La Loya, *en conceptos morales, num 436.* Aliter Respublica non constat, nisi Princeps ipse leges observet. Piccart. *observat. dec. 12. cap. 1.* Ergò non eò extendenda est regia potestas, ut pro lubitu negligere possit leges, sibíque competente absolutâ potestate ex affectu uti. Quo pertinet quod dicit Anton. Perez. *in Aphorism. fol. 23. num. 119. Camino à la ruina de las Monarchias, el abuso del poder absoluto.* Abusus solutæ potestatis, ruinam accelerat regnis, Πολιτικως tantùm, respectu rogationis, abrogationis, derogationis & surrogationis civilium legum, non innexus legibus dicitur Princeps. Cæterùm legibus vivere, nec contra pietatem, jus rationis, bonósque mores, quicquam audere tene-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 3, [71] - 69

tur. Propterea namque Imperium de Cœlo constituit Deus, ut difficilibus imponat, quæ apud eum sunt bona, & leges aptet secundum naturæ varietatem. *Novell. 73. in princ.* Rerum abusus venit ex justitiâ dominii, non ex justitiâ judicii, quarum hæc, non illa Principi competit, ut dixi *in polit. meis lib. 1. cap. 1. num. 36.* Quin & Remonstrantes æquè ac nos, absonum esse dicunt, quòd tradit Nicas. à Schure, Deum ex justitiâ dominii condemnare plures, quàm salvare. *Appendix prestiorii declarat. in præfat.* Non ideò legibus solutus est Princeps, ut ex lubidine, atque omnia ex animi sui impetu agat; sed ut pro ratione justitiæ liberè imperet: ferendo leges, mutando, atque omnia variando; prout salus Reipublicæ exegerit. Bornitius, *de Majestat. cap. 10.* Et quamvis Princeps dicatur lex animata in terris, *Novell. de Consulib. 105. ad fin.* tamen id non dicitur eo respectu, quòd suam voluntatem debeat præferre legibus positivis, vigorem adhuc habentibus, nec legitimè abrogatis; nisi id fiat absque alterius injuriâ. Quin potiùs ideò dicitur lex animata, quòd legi mutæ animam addat, eámque tueatur & defendat. Hegenitius *tract. de possess. 1. cap. 6. num. 25. &c.* Legésque suas, & suorum Antecessorum observet, Guyon. *lib. 4. tom. 2. cap. 23. des diverses leçons* utpotè quibus tantùm quò ad pœnam, non quò ad culpam est solatus. Claudius de Carmin. *in Turri Babel. part. 3. cap. 1. fol. 536.* Princeps non habet potestatem, nisi quæ ipsi vel à Deo, vel à populo est concessa. Præsumptio autem est, neutrum absolutam Principi dedisse potestatem, quâ nisi in casu necessitatis utatur. Princeps faciens quod non debet, resistit Deo: id autem non potest (potentia enim est jus) idcircò conveniunt debitum & potestas. Pulchrè M. Antonius Pitsillius, *colore 5. fol. 71.* Quin etiamsi geminâ, ait, sit præditus potestate: absolutâ quam vocant, id est, quæ ipsa in se, non ut negocialis ordo requirit; sed expeditiùs quæstiones decidit: & ordinariâ, id est, quæ rectè & juris ordine, civiliter communitérque procedit. Ordinariâ illi omninò utendum dixerunt prudentiores: absolutâ nunquam, nisi major urserit causa, si divinam vitare cupierit indignationem. Quocircà nec posse quidem illâ uti videtur; quando nec dicitur posse, quæ contra jus, ac sanè cum peccato fecerit. Est enim institutus, ut faciat justitiam &c. Hûc pertinet. *t. tit. C. si contra jus vel util. public. l. 3. C. de prec. Imp. offerendis*: ubi habetur, invalida esse rescripta, si sint contraria juri, & publicæ utilitati, nisi petenti prosint, nulli noceant, *l. 9. C. d. tit.*

XIII. In hoc à tyranno differt bonus Princeps, quòd ille absolutâ utitur potestate cùm non debet. vide Lælium Zecchium, *1. polit. 5. ad fin.* Vana est ergò distinctio, (ut & monui jam *supra*) quam hîc adhibent nonnulli, inter potestatem & voluntatem; inter posse & non debere, Wa-

re, Waremund *de reg. subsid. cap. 15. num. 6. fol. 178.* Keckermann. *disput. practic. 34. quæst. 13. à princ.* Non potest uti plenitudine potestatis, quando non debet; nisi dicere velimus; Tyrannum esse, & Imperii flagitia committere posse, sed non debere. Vetitum est sceleri nihil: summæ etiam potentiæ prohibitum & scelus. Principem non debere uti plenitudine potestatis, nisi rarò; nisi cùm magnâ causâ; nervosè etiam, & multorum authoritate probat, Ludovic. Rodolphin. *tract. de absolut. princ. potestat. cap. 4.* Qui idem, *cap. 6.* latissimè deducit, plenitudo potestatis, quando non operetur. adde Lancellot. Conrad. *Templ. omnium judic. 1. cap. 1. §. 4. fol. 443. & multis seqq.* Petra, *de potestat. Princip. cap. 3. quæst. 3. & cap. 21. ac seqq.* Camill. Borell. *in summâ decis. tit. 11.* Inprimis cum jure ordinario agi potest; haut utendum est absolutâ potestate. Amirato, *lib. 17. discurs. 2.* Hinc est quòd quando Princeps aliquid concedit, id secundum jus commune concessisse videatur; nisi contrarium liqueat speciatim. *l. 35. C. de inoffic. testam.* vide Rodolphinum *cap. 3.* Quòdque rescripta reducenda sunt ad jus commune, Gail. *1. observat. 33. num. 6.* nec extendenda ad ea, quæ facere non potest Princeps, nisi ex plenitudine potestatis. Undè ea quæ à solo Principe pendent, tàm censentur difficilia impetratu, ut in jure pro impossibilibus habeantur. *l. cum servus 39. §. final. de legat. 1.* Hinc etiam non retardari, impedirivè debere justitiæ secundum leges administrationem, ullâ pragmaticâ sanctione, etiam geminatâ, rectè sancitur *in Novell. 113.* Quod & ordinationi magni consilii Mechlinienſis insertum conspicimus, *tit. 1. art. 2.*

XIV. Omnia Principis arbitrio sunt relicta; sed arbitrium illud jure & æquitate informatum esse debet. Cum Imperium Principi ut viro bono concedatur, non in meram voluntatem conferatur, *l. 75. ff. de leg. 1.* vide Johann. Camman. *disput. 1. th. 105.* Ex solâ ideò necessitate & salute populi, metiri convenit hanc absolutam potestatem. Nec enim Principes Domini sunt subditorum, ut pastores Ovium, quas laniis vendere possunt. Boccalini. *2. di Parnaso cap. 6. fol. 32.* Rex tanquam populi sui tutor, præscriptam Tutoribus regulam servare debet; ut tùm demùm pro Domino habeatur, cùm pupillis providet, hoc est, cùm salutem & incolumitatem populi tuetur. Nicolaus Betsius, *de pact. famil. cap. 6. fol. 154.* Quod de Pont. Maximo pronunciat Hiero. Savonarola, *in Oraculis della renovatione della chiesa ad fin. lib. 1.* hoc nos etiam de Principe possumus usurpare. Papa omnia potest: *Quello* (omnia) *s' intende che può tutte le cose, che confanno con Christo, & che concordano con la sua intentione. Lsponi adunque quello* (omnia) *civè tutte le cose buone. Perche, quello ch'è male, ch'è ingiusto, è nulla.* Manus Regia, ait Scipio Gentilis *1. de Iurisdiction 1.* non minùs justitiâ, quàm potestate est definienda:

enda : sed inprimis simplicitate quâdam , & celeritate in exequendo quod est dictum. adde Sixtinum, *de Regalib. lib. 2. cap. 3. num. 41. & c. Assoluti Monarchi si monstrassero* (ita Principes instituit Boccalini 2. *di Parnaso, ragguagl. 6. fol. m. 31.*) *degli stati loro, nell essequire le deliberationi de negotti loro più importanti : ma nel consultarle , capi di una ben ordinata Aristocratia.* Quin imò Prudens Princeps, licèt subditis profit absolutam usurpari potestatem ; id tamen haud facit , nisi iisdem sit gratum: exemplo Henrici Magni Galliarum Regis ; *qui estoit resola , de ne point faire de bien par force.* Mercure François, *tom. 1. fol. 45. b.* Et Princeps qui uti cogitur contra æquitatem naturalem , sed tamen ad publicum bonum, vel ex necessitate, tali potestate absolutâ; eò minus est felix, optimè & ferè divinè Michel de Montaigne, *lib. 3. de ses Essais, cap. 1. fol. m. 810.* Interim tamen in Principe pro absolutâ potestate aliquid faciente, præsumitur in dubio justa causa. Lancellot. Conrad. *temp. omn. judic. 1. cap. 1. §. 4. fol. 422.* Tandem ne Sacrilegus videar , quòd tam latè de Principum disputo potestate, *propter l. 2. C. de crim. sacrileg. & constitut. sicularum. lib. 1. tit. 4.* munio me auctoritate & ratione Ludovic. Rodolphini, *concl. juris pract. 9.* adde Petram *de Potestat. Princip. capit. 1.* & meum *discurs. de jurisd. Imper. Rom. quæst. 1.*

XV. Quicunque potestate absolutâ, ac non ordinariâ sine causâ utitur, licèt hominem non habeat, sua qui facta dijudicet; certum nihilominùs est, quòd peccet apud Deum, ut dicit Isernia, *in c. unic. num. 7. quæsint regalia in usib. Feud.* qui potentes potenter exquiret. *Psalm. 82. Sapient. cap. 6.* Verissimum etenim est effatum Tauleri: Quò status est altior, tantò casus est gravior, & culpa major. Eleganter Seneca *in Thyeste*:

Quicquid à vobis minor expavescit,
Major hoc vobis Dominus minatur.
Omne sub Regno graviore Regum est.
Si genus humanum & mortalia temnitis arma;
At sperate Deum memorem fandi atq; nefandi.

Non equidem punitur ab aliquo judice humano Princeps ; sed hoc tantùm fit de facto, & propter publicam utilitatem. Dn. Bachov. *ad Treutler. disputat. 5. th. 6. lit. c.* Ioh. Gerhard. *loco de Magistratu num. 265. & c.* Pœnâ caret; sed non culpâ, Carnin.. *in oppugnat. Turris Babel. fol. 542. & c.* Non est jus contra Deum; nec quod peccatum est, jus dici potest. Sicque subditus punire Principem nequit, ex defectu jurisdictionis : non quòd is egerit jure. Graviter Dominicus Baudius. *Civil. sap. lib. 1. fol. 37.*

——— Ius habet Rex in suos,
Sed Numen atque immensa Majestas Dei

Reges

Reges in ipsos est, ut humanas vices
Tyrannus evitare possit, qui sacrum
Profanat omne, jusque jurandum Iovis:
Sed pœna quamvis tarda laneo pede
Progressa tandem deprehendit improbos,
Nec linquit unquàm debitum noxæ caput.

Quin & eum, qui omnia pietatis, juris ac honestatis repagula nefariè perfringit, in judicium vocari, & publicâ authoritate contra eundem procedi posse, magis communiter placuit. Cùm talis tyrannis, non ampliùs potestas sit; sed purum latrocinium, Johan. Gerhard. *in cent. quæst. polit. decad. ult. thes. 6.* Dn. D. Lansius, *discurs. de l. Regia. th* 94 *&* 101. Hócque si vi alicujus jurisdictionis fieri non possit; defensionis tamen jure ritè procedit; cujus rei tractatio, ad curationem Reipublicæ spectat. *de eâque re* ago ego, *polit. cap. ult. lib.* 2.

XVI. Facessant ergò ab hâc potestate, Tyrannicæ vel voces, vel cogitationes, Juvenal. *Satyr.* 6.

Hoc volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas.

Si lubet licet, an nescis te Imperatorem esse, & leges dare, non accipere? quibus verbis Imperatoris Severi vidua, filium est allocata, Spartianus, *in Caracallâ*. Et iisdem ferè verbis, in marito reprehendebat olim Izebela, animi abjectionem, & consilii inopiam, tanquam Rege indignam; cùm vineam ipsi denegâsset Naboth Iizrehelita: Túne nunc exerceres regnum super Israëlem? 1. *Reg.* 21. *vers.* 7. Exulet Caligulæ responsum, qui Antoniæ aviæ, pro suâ authoritate monenti, ut quædam secùs ageret: Memento, ait, mihi omnia in omnes licere, Erasm. *apophtheg. lib.* 6. Et hic idem, cùm destinâsset interficere fratrem, eúmque suspicaretur sese medicamentis præmunire adversùs venenum, ita locutus est: Antidotum adversùs Cæsarem. Quasi Cæsar multis aliis modis posset trucidare, quem vellet extinctum. Erasm. *ibid.* Ac etiam ille inter multos senatores discumbens, risu ferè disrupit. Interrogatus cur id faceret, respondit: Quia in meâ potestate est, hosce capite multare. Suetonius. Tyrannica est jactantia Neronis: Neminem Principum ante ipsum scivisse, quid sibi liceret. Improbandam esse arrogantem ejusdem vocem apud Senecam, *de Clement.* Joachim. Stephani dicit, 1. *de jurisdict. cap.* 2. *num.* 14. Ego vitæ necisque arbiter, quid cuique mortalium fortuna datum velit, meo ore pronunciatur. Nulla pars usquam nisi volente me, floret. Hæc tot millia gladiatorum, quæ pars mea comprimit, ad nutum meum stringentur. Quas nationes funditùs exscindi, quas transportari, quibus libertatem dari, quibus eripi, quæ ruant urbes, quæ

oriantur; Mea jurisdictio est. Non dicatur de Principe bono, quod de Achille Horatius canit:

——— *Iura negat sibi data.*

Sic & author belli Saxonici, de Alberto Archipræsule Bremensi scribit, quod Heinrico IV. Imperatori juveni adhuc inculcaverit, sequentia præcepta: Fac omnia quæ placent animæ tuæ, hoc solùm observans, ut in die mortis tuæ in rectâ fide inveniaris. Stultum est, si non in omnibus satisfacias desideriis adolescentiæ tuæ. Ille verò ita docebat, quasi sit in hominis potestate, in unâ horâ mutare vitam suam. refert etiam Lehman. *lib. 5. cap. 25.* qui idem *lib. 5. cap. 58. fol. 510.* consimilia alia exempla habet, & ego *in templo justitiæ, num. 101.* Utinam has vel similes voces, nunquam audirent Principum Christianorum aures; aut si audiant, severitate simili, quâ Antigonus Macedonum Rex, rejiciant. Qui cuidam dicenti, omnia Regibus justa, honestáque esse: Sunt per Jovem, inquit, Barbarorum duntaxat Regibus. At nobis ea tantùm honesta sunt, quæ honesta sunt, (sui scilicet naturâ) & ea tantùm justa, quæ justa sunt. Vasquius, *in præfat. lib. 1. quæst. illustr. num. 103.* Pii & prudentes Principes, aures habeant cum Homerico Ulysse, cerâ obduratas ad omne carmen; quod dulce solùm Aulicis; sed miseris subditis, & lugubre & funestum existit. Obdurent aures ad adulatorias illas suggestiones, quemadmodum Aspis ad vocem incantatoris; eámque præmuniat illis dictis: Potentes potenter exequentur, peccatum non remittitur, nisi restituatur ablatum, &c. Absoni sunt nonnulli JCti, qui in Topicâ legali, certum argumenti locum signant, ubi à potestatis plenitudine argumentum deducitur ad id, ut semper justum censeri debeat, illud quod Principi arridet, *l. 1. de constitut. Princip. §. sed & quod Principi Institut. & Iur. natur. gent. & c.* post Everhard. *in Topic.* Matth. Stephani, *2. dialect. Iur. loc. 77.* Graviter & cordatè Reinhard Lorichius Hadamarius, *in locis commun. de Institut. Principum tit. de Princ. potestat. fol. 43. b.* In nonnullis, inquit, Principum aulis sunt, qui ejusmodi quædam ad aures Dominorum occinunt. Quid etiam gratiosissime Domine hæsitas? an te Principem esse oblitus es, qui legibus (quæ solummodò pertinent ad homines plebeios) nullis obstrictus, regnas? An non jus est quod tibi placuit? Tua Celsitudo major legibus. Regnum non est ex præscripto; sed ex animi libidine vivere. Quicquid usquàm tuorum quisquam possidet, id omne tuum est. Tibi liberum donare vitam, liberum eripere. Tibi fas est addere rem, cui visum sit; fas est, ubi velis, adimere. Alia aliis vitio & laudi vertuntur: Tibi nihil non honestum, nihil non laudi futurum, Vis tu Philosophrastis istis ac Scholasticulis, præpostera Rempublicam sapientiâ turbantibus, auscultare? Faceßant isti, & hominibus privatis,

Sacer-

Sacerdotibus, Monachis dogma suum inculcent (Hæc quamvis non apertè dicantur, tamen has esse cogitationes multorum Aulico-Politicorum, eventus sæpius satsuperque docet, *argum. Psalm. 14. à princip.* At docti & prudentes Domini, licèt aliquando tartareis palponum Aulicorum stimulis ad maleficia impellantur, concessis tamen Imperij sui viribus, nunquàm abutuntur. Hactenùs Lorichius. vide etiam me *in templ. Iustit. num.* 100. *& seq.* Ac hûc quoque pertinet tota Tragœdia Sophoclis, Antigone dicta. Adulatores, ait Waremundus, *de subsid. regnor. cap. 15. à fin.* de plenitudine potestatis tradiderunt, quæ adeò sunt deformia & impia, ut abhorreant ab omni ratione, humanitate & pietate: ut quandoque dubitare cogar, an ab homine vel Diabolo sint prolata. Placeant magnis, mihi non placent. Placeant mancipiis Aularum & Dæmoni, Deo non placebunt. Estienne Pasquier, *lib. 6. des lettres fol. 239. &c.* Non immeritò Boccalini, *Pietra de Paragone, fol. m. 92.* expetit & optat; ut qui de casibus Conscientiæ, quotannis ingentia volumina protrudunt, & non nisi in Privatorum actiones sollicitè inquirunt, quandoque Magnatum Conscientiis parili ausu certos terminos ponere non dubitarent.

XVII. Alibi quidem Aristoteles, 4. *politic.* 8. Finis, inquit, summus Aristocratiæ, virtus est, Oligarchiæ opulentia, Democratiæ libertas. Videmus item Reges ac Principes, nõ aliud antiquius durare, quam sui Status firmitatem, quæ in existimatione & authoritate, promptâque subditorum obedientiâ, consistere putatur: In omni Republicâ componenda conservandâque præcipuè in consideration em venire experimur, securitatem eorum, penes quos est πολίτευμα, id est, summum Imperii jus, & præsentis Reipublicæ Status conservatio ac corroboratio. Hinc Imperiorum arcana, arcana dominationis, simulachra Imperii, de quibus tractat Clapmarius. Attamen Imperantium tranquillitas, tùm etiam præsentis Reipublicæ Status diuturnitas, quam communem rationem Status nominant Politici, non principalis, sed subordinatus Imperiorum finis est. Dum enim præsens Status conservatur, & Imperii Constantiæ prospicitur, eo ipso finis ille Imperiorum principalis, justitia nimirùm, honestas & salus publica, sarta tecta servari censetur. Undè Imperii arcanorum finem esse prodit Clapmarius, 1. *cap.* 5. bonum publicum, & *cap.* 6. iis limites præscribit fidem, honestatem, virtutem, quod exemplo probat Sepulveda *ad Aristot. lib. 3. polit. cap. 9. fol. m.* 149.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 3, [77] - 75

CAP. VIII.

Continens Dissertationem singularem,

DE

Iure Regio Samuelis Prophetæ: quod habetur, lib. 1. ejusdem cap. 8. vers. 11. & seqq. multis.

Junctâ brevissimâ exegesi, *versiculi 6. Psalm. 51. Davidu.*

NIL frequentius hodiè, & omni etiam ferè seculo fuit, quàm non ex Politicis solùm multos; sed & Theologos quosdam, Regibus ac Magnatibus aliis blandiri, & cumprimis absolutam iis, liberámque in subditos firmare potestatem: eúmque pariter in sensum, abuti sacrarum literarum authoritate; quò nempè conscientia Principum secura magis, & subditorum ad Imperium Tyrannidi compar, animo patienti perferendum, adstrictior siet. Minimè culpo eos, qui legitimæ aliàs studiosissimi libertatis, non vitio adulationis; sed eo tantummodò fine, duram quoque Regum tuentur potestatem, ut conatus quoscunque seditiosos, in herbâ, quod ajunt, succidant, nec succrescere ullo modo sinát: sed nolim tamen ego Regium jus, vel Regale nominari; quod si temerè usurpetur, in hoc seculo dominantes, æterni post exitii mancipia facit; Regésque licèt non ad pœnam temporalem, ad culpam tamen adstringit. Lubet nunc pressiùs examinare S.S. Scripturæ bina loca, quæ hîc urgentur; & primò quidem famosum illud *Regium Ius*, quod proponi videtur, *libr. 1. Samuel. cap. 8.* quódque secundum vulgatam versionem, ita se habet:

11. Hoc erit jus Regis, qui imperaturus est vobis. Filios vestros tollet, & ponet in curribus suis: faciétque sibi equites, & præcursores quadrigarum suarum.

12. Et constituet sibi Tribunos, & Centurio-

turiones & Aratores agrorum suorum, & messores segetum, & fabros armorum & curruum suorum.

13. Filias quoque vestras faciet sibi unguentarias, & focarias & panificas.

14. Agros quoque vestros & vineas, & oliveta optima tollet; & dabit servis suis.

15. Sed & Segetes vestras & Vinearum reditus addecimabit, ut det Eunuchis & famulis suis.

16. Servos etiam vestros, & ancillas & juvenes optimos, & asinos auferet, & ponet in opere suo.

17. Greges quoque vestros addecimabit: vósque eritis ei servi.

18. Et clamabitis in die illâ à facie Regis vestri, quem elegistis vobis: & non exaudiet vos Dominus in die illâ, quia petistis vobis Regem.

II. Uno ferè ore hîc omnes, qui Biblia ex Hebræo, alias in linguas converterunt, illud quod est in originali, *Misphat hammelech*, *Iudicium Regis* per *Ius Regis* reddunt. Ita fecit Hieronymus, seu Latinæ & à Romanâ Ecclesiâ approbatæ versionis auctor; Translatores Tigurini, Castalio & Pagninus interpretatur *Lex Regis*; Lutherus deß Königs Recht. Senes illi, quos septuaginta Interpretes nominare solemus, habent ibi δικαίωμα τῦ βασιλέως: & quod adhuc magis est, Chaldæus Paraphrastes נמוסא דמלכא seu Statutum, aut Lex Regis. Est namq; נמוס, ut alia Chaldaica multa, transsumptum ex Græco; & tàm literis, quàm significatu, idem quod νόμος notat. Britanniæ magnæ Monarcha, Jacobus, aliquot ante annos, & quidem nomine suppresso libellum publica-

vit, *de Iure liberæ Monarchiæ* vide Thomam Rosam, *in enarrat. de virtut. ib. Iacobi Reg. fol.* 50. *qui nunc Regius operibus est insertus*, ubi *fol.* 184. censere videtur: Monarchiæ constitutionem inter Judæos, atque ejusdem hancce legem, exemplar esse, ad quod omnes Christianæ & benè institutæ Monarchiæ possint, imò debeant conformari; utpotè ab ipsomet Deo fundatam, & oraculo sacerrimo, ejus ore prolato sancitam. cõsentit Conradus von Einsidel. *tractat. de regalib. quæst.* 1.

III. Alii jus hoc, in extremâ demùm necessitate; ubi tàm Princeps, quàm subditi, Patriæ debent parere omnes, *l. 2. ff. de Iustit. & jur.* usurpandum esse, contendunt. Waremundus de Erenberg, *tractat. de subsid. ac oneris. subditor. cap. 7. num. 13. & seqq. & cap. 9. num. 8. &c. item cap. 11. num. 21.* qui ait: generalitèr Dominum explicare populo voluisse morem, consuetudinem, statum, uniuscujusque Regni; videlicèt tempora sese objicere Regibus posse, ut nolentes volentes cogantur uti, & quasi abuti subditis, in salutem & commodum Regni. Cui consonat interpretatio Nicolai Lirani (ita dicti, quòd Brabantinus, oppidóque Lirâ oriundus erat, Drusius, *ad loca Genes. cap. 15. & ad loca Exod. c. 33.*) qui *ad d. cap. 8. Samuel.* censet, quòd ea sic ratio sit pro tempore necessitatis. Quibus quoque adstipulatur (hâc de re prolixè disputans) Joann. Camman. *disput. de Iurib. Majestat. 2. thes. 11. & seqq. multis.* & in eodem acquiescit Joh. Gerhardi, *locor. Theologicor. tom. 6. tit. de Magistrat. polit. num. 128.* Ac sic & *lib. 2. Chronici.* scribit Melanchthon: Deus ad petitionem Israëlitarum constituit Regem; sed prædicit onera Regni: *Hoc est Ius Regis, &c.* Hic dicunt aliqui describi Tyrannum, non Regem, nec dici hæc ità, tanquàm approbante Deo servitutem. Sed textus nominat Jus Regis, & loquitur de oneribus, stipendiorum causâ impositis, non tribuit potestatem instituendi extremam servitutem contra legem divinam. Quia *Deuteronom. 17.* præceptum est, ut Rex discat legẽ, & eam sequatur in tota gubernatione. Et punitur Achab, qui distinctionem Dominiorum, in lege sancitam, tollere voluit, cum Nabotho invito erepturus erat vineam: Quanquam autem & interdùm mitis & salutaris est forma Regni, tamen asperior est, quàm Aristocratia. Et pauci in magnâ potentiâ sunt moderati.

IV. Sed ferè est, ut veriorem, seu probabilem magis putem eorum opinionem; qui nullum hîc constitui Jus Regis; sed omnia, quæ Samuel eo loci habet, ad mores ac consuetudines pravas vicinorum Regum, referenda esse censent; cui sententiæ, dum viveret adstipulabatur quoque Dn. Matthias Hafenrefferus, Vir omniscià excultus doctrinâ: pro eâque in dissertatione quâdam publicè habitâ, operosè etiam propugnavit. Ita ut sermo hîc non de Privilegio vel Jure; sed de Tyranni-

de atque

de atque injuriâ esse videatur: quibus etiam legitima potestas, si summa & perpetua sit, non rarò subditos vexare solet. Hâc namque animi sumus infirmitate, potentiæ magnæ ut nil citiùs desit, quàm moderatio ejus, vide me *polit. l. cap 9. num. 24. vers. 1.* quæ repetii *intr. de comparat. rerumpubl.* Sic & D. Marta, *in tractat. de jurisdict. part. 1. cap. 35. num. 1. & seqq.* scribit: Samuelem cùm consecrâsset Saulem Regem, electum jussu Dei, composuisse librum, circa concernentia Principis Majestatem: sed à Hebræis annotatum inveniri, Reges successores illum concremâsse, ut sine lege in subditos tyrannidem exercerent; & ideò decipi Melanchthonem, putantem Jura Regum consistere in iis, quæ *d. cap. 8. Samuelis*, consignata inveniuntur. Ac rectiùs ea intelligi de his, quæ facturi sunt Reges, non legitimâ regnandi lege; sed abutentes potestate. consentit Johann. Molanus, *defid. hæretic. servandâ lib. 4. cap. 14.* & eruditissimus Martinus Becanus, *in analog. cap. 16. quæst. 9.* omníque exceptione majus est, quod scribit B. Gregor. Magnus, *Reg. 10. expos. 4.* Jus Regium hoc, non ad historiam præcipi, sed eo ostendi, quid acturi sint Reges reprobi, quid vitaturi boni. Item Georg. Buchananus, *de Iure Regni apud Scotos, mihi lit. B b. 8.* ubi ait: cavendum esse, ne quæ in tyrannorum vitâ Dominus execratur, nos Regibus ab eo concessa putemus. Et item Johann. Althusius, *Politic. cap. 19. num. 51. & seqq. multis.* qui putat, Samuelem illîc loqui de iniquis, immoderatis, & non necessariis contributionibus, servitiisque; ad lubidinem Regis, non ad Reipublicæ utilitatem exactis. Idque innuere censet, *vers.* 28. qui dicit: ideò Israëlitas ad Jehovam, pro exoneratione harum calamitatum clamaturos esse. Pariter Caspar Kloke, *de contributionib. conclus. 46.* opinionem hanc, non plausibilem modò; sed & æquitatis autumat plenam esse; ita ut ii, qui contrarium mordicùs tuentur, & Principibus habenas nimis laxant, sive adulationis, sive metus, sivè odii sivè obligationis insimulari possint: magis Placentiam, quàm Veronam iter dirigentes.

V. Argumenta & rationes, quæ pro firmandâ hac opinatione adduci possent, multa sunt: ex quibus aliquot hîc sistam, (1) Non dicitur hæc sectio, nisi ad metum ludæis incutiendum: ut loquitur Rab. Juda teste Drusio, *ad loca difficiliora Samuel. ibid.* Ex causâ finali Orationis, indagamus ejus mentem atque sensum; ea extendit, restringit, & declarat dispositionem omnem, & principaliter est attendenda. Tiberius Decian. *respons. 41. incip sequendo ordinem dubiorum, sub. num. 21. lib. 1.* Finis autem hujus Samuelis propositionis, dehortatorius est, constans malorum, quæ occasione, (non jure) hujus petitionis poterant evenire. Nihil Samuel constituit aut definit: sed minatur tantummodò mala, aut injurias à Rege metuendas. Per modum sollemnis contestationis, jus

illud

illud putativum proponit; non per modum præcepti. Minimè loco juris; sed prædictionis futuri mali. *argum. d. cap. 8. vers. 9.* (2) Loquitur ex ore Dei irati, *argum. vers. 7. & seqq. dict. cap. 8. Samuelis.* Idque disertis verbis apud Oseam *cap. 13. vers. 11.* dicit Jehova: Dedi tibi Regem in furore meo, & abstuli in irâ meâ. Futuri ergò Regis potentia, ut pœna temeritatis populo denunciatur. At verò legitima potestas, & magistratuum reditus justi, non sunt pœnæ subditorum. Ac sic quoque Flavius Josephus sentit, *lib. 6. antiq. Iud. cap. 4.* qui ait: Populi voluntatem de habendo Rege, vehementer Samuelem contristâsse, qui propter justitiam innatam, non amabat Regiam potestatem, ut nimiam; valdè enim Optimatum gubernatione delectabatur, non aliam existimans conducibiliorem ad populi felicitatem. Huic Deus se præbuit ad videndum, consolatus eum, ne postulata populi ægrè ferat: dicens, nõ tàm ad ipsum pertinere hanc contumeliam, quàm ad se, quem nolint sibi solum esse Regem. Idq; moliri cœpisse jam indè, ex quo primùm ope suâ ex Ægypto sint educti. Verùm non multò pòst futurum est, inquit, ut eos consilii hujus serò pœniteat, quando nec factum, infectum esse poterit, & ipsi suam erga me, æquè ac te, ingratitudinem damnabunt. Non jubeo te eis creare Regem, quem ego designavero: idque priùs quàm facias, præmonebis quantum malorum sibi ultrò adsciscant, protestaberisque eos, te invito, ad mutationem status in deterius properare.

VI. (3) Samuel noluit Populum subjicere servituti, contra legem; sive ratione primitiarum, sive distinctionis dominiorum & proprietatis, in Decalogo sancitam: Non facies furtum; non concupisces alienum &c. (4) jus Regis describitur *Deuteronom. cap. 17. vers. 14. & seqq.* illúdque pluribus explicat R. P. Martinus Becanus, *in analog. cap. 16. quæstion. 8. & seqq. multis.*

14. Cùm ingressus fueris Terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, & possederis eam, habitaverisque in illâ, & dixeris: Constituam super me Regem, sicut habent omnes per circuitum nationes.

15. Eum constitues, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum. Non poteris alterius gentis hominem

Regem

Regem facere, qui non sit frater tuus.

16. Cúmque fuerit constitutus, non multiplicabit sibi equos, nec reducet populum in Ægyptum, equitatus numero sublevatus: præsertim cùm Dominus præceperit vobis, ut nequaquam ampliùs per eandem viam revertamini.

17. Non habebit uxores plurimas, quæ alliciant animum ejus: neque argenti & auri immensa pondera.

18. Postquàm autem sederit in solio Regni sui, describet sibi Deuteronomium legis hujus in volumine: accipiens exemplar à Sacerdotibus Leviticæ tribus.

19. Et habebit secum, legétque illud omnibus diebus vitæ suæ: ut discat timere Dominum Deum suum, & custodire verba & ceremonias ejus, quæ in lege præcepta sunt.

20. Nec elevetur cor ejus in superbiam super fratres suos, neque declinet in partem dexteram vel sinistram: ut longo tempore regnet ipse, & filij ejus super Israël.

Hocq; Regium jus, ex Talmudicâ doctrinâ, ita explicat Paulus Riccius *cap. 2. fol. mihi 281.* Rex non judicat, & minimè judicatur. Nullum dicit testimonium, neque de eo dicitur: Discalceationis legem non subit, quam etiam cum ejusdem defuncti Regis uxore frater minimè observat. Non jungitur matrimonio defuncti fratris, nec frater defuncti

Regis vxori, alterius tamen Regis derelictæ viduæ Regem sociari licet. Funus pro arbitrio comitatur, ac ad funebre epulum in subsellio (quod cubile Fortunæ nonnulli vocant) recumbet, & universa multitudo residet humi. Bella gerit arbitraria, magni senatus consensu. Macerias (ut patens sibi fiat iter) & quascunque structuras diruit pro nutu. De militum prædâ, ipse imprimis sibi partem reservat. Plures quàm decem & octo uxores non ducat. Equorum copia non major sit, quàm equestris ejus ordo requirat. Argenti quoque & auri cumulum aggregare non sit sollicitus, nisi prout militiæ, & Reipublicæ usus deposcit. Legis pentateuchum sibi conscribat, quem secum foris retineat, & in castris ac domi collo appensum reservet. Regis inequitare equo, ejusque insidere solio non licet, regali quoque uti sceptro nefas. Regem capitis abradentem capillos, & in balneo nudum neque adire, neque intueri licet. Jus hoc Regis verè est, animo sanciendi legem, à Deo Opt. Max. prolatum; discrepans planéque contrarians ei, quod minitans & dehortans populo Samuel diù pòst indicabat. At regerit Albericus Gentilis, *disput. Regia 1. fol. m. 18. & seq.* Promulgare Mosem legem imperandi, Samuelem parendi legem; per hanc, quid ferre subditi; illâ quid facere debeant Reges, ostendi. In eundem sensum ferè, Guilielm. Barclaius, *contr. Monarchomach. lib. 2. fol. m. 255. & seqq. multis, item lib. 3. cap. 6.* Talia facere, quæ Samuel de Rege proponit, tyrannidem & injuriam esse in facto; jus tamen in impunitate delicti versari, ait. Potestatem hîc intelligi non eam, quæ competit ex præcepto, neque etiam eam, quæ est ex permissu, quatenùs liberat à peccato; sed quatenùs pœnis legalibus eximit operantem &c. Ac ita ex sensu Barclai, & eorum qui illum sequuntur; Officium Regis, propositum à Mose, à potestate licitâ, quam Samuelem explicare censent, sejungendum est. Non equidem ego nego, liberum haut esse populo, absolutum legitimèque vocatum Regem, solio turbare, etsi limites justitiæ, & charitatis transcendat, eáque & graviora etiam faciat, quàm quæ à Samuele prædicta fuerunt. Sed ambigo, an hoc juris nomen, propriè mereatur; non sit ex quâdam juris permissi prærogativâ; & tantùm scandali majoris evitandi causâ, (ita salvo aliorum judicio puto) & ne motus graviores suboriantur, subditi impedire non possint. Et haut justâ consequentiâ deduci videtur: Populus Principem in subditos injustum, punire nequit: Ergò licet Regi vel Principi præter fas in subditos sævire. Nam & cùm quis contumeliâ aliquè afficit, non propriâ authoritate is se vindicat ritè, *l. 25. §. 1. ff. de procurator.* Et tamen injuriam (non jus) esse, nemo dubitare potest. Non video, quomodo aliquid contra, vel præter officium factum, juris nomen mereri queat. Transgressio officij quæcunque, peccatum habetur: Peccatum

vix ullâ

vix ullâ ratione jus nominari posse, videtur. Quod & attigi, & latè deduxi *jam suprà*.

VII. (5.) Usurpantia subsequuta, quæ regina habetur omnium interpretationum, præclarè docet; illa à Samuele enumerata, non jurè in subditos usurpari: nec quoque populum Israëlis, ad ea patienda, obstrictum extitisse. 1. *Samuel.* 11. *vers.* 5. Saul etiam postquàm Rex creatus fuit, agros adhuc aravit suos: nec talem habuit aulam, qualem ipsi concedebat lex illa Regia putativa. Sed tamen mox ingruente necessitate, præcipit toto populo, ut iret ad bellum. Veteres enim Reges, inprimis eo fine creati fuerunt, ut præcederent populo suo, in bellum proficiscenti: quod & hodiè apud Canibales fieri solet. Montaigne, *des cosses lib.* 1. *cap.* 30. *fol. m.* 181. 1. *Samuel. cap.* 14. *vers.* 45. Populus impedit atque intercedit, quò minùs Regis filius iniquè puniretur. 2. *Samuel. cap. ult. &* 2. *Paralip. cap.* 21. *vers.* 23. dixit ad Davidem Ornan; Tolle & faciat Dominus meus Rex, quodcunque ei placet: sed & boves do in holocaustum &c. cui *vers. seq.* Rex David respondet; Nequaquam ita fiet; sed argentum dabo quantum valet, neque enim tibi debeo auferre. Verùm habuisset David justissimam causam hanc regiam legem usurpandi, & aream auferendi, ut eam consecraret, ibique erigeret altare. Adhûc magis urget, quòd tacuit de eâ ratione, sive jure aut judicio Regis Rechabamus; quódque hujus consiliarii, tam seniores, quàm juniores cuncti siluerunt; cùm Israël à jugo duro levari se vellet, 1. *Reg. cap.* 12. quod, (si Samuel parendi legem præscripsisset) tàm pertinaciter non ritè potuisset peti. Scelestissima conjuratio fuisset decem tribuum Israëlis; quòd eâ occasione à Rechabeamo defecit, & Jeroboam elegisset regem: quod tamen factum nullibi conspicitur vituperatum; quin magis diserte approbatur, *d. cap.* 12. *vers.* 24. A Domino quidem factum id fuit; sed non ille peccata facit, vel justificat contra jus facta. Quî Achabus, & Jezebela, 1. *Reg. cap.* 21. pretio magno, majoríque dolo, infamiâ maximâ, cupierint vineam Nabothi; quàm per verba legis, *Vineas vestras accipiet*, habere potuerunt? Improbatur *dict. cap. vers.* 19. quòd contra officium Regis, possederit illam vineam Achab. Jezabel Regina, *sæp. dict. cap. vers.* 7. dicit quidem ad maritum; Grandis es auctoritatis, & benè regis regnum Israëlis: quod geminum est cum illo itidem fœminæ impotentis; si libet, licet, an nescis te Imperatorem esse &c. ut attigi *jam supra*. Pœnam luit ille ob regii muneris abusum. Sed Naboth non ullo culpatur loco; quòd renuit, regíque respondit. Prohibeat mihi Dominus, ne dem hæreditatem Patrum meorum tibi. *vers.* 3. quod, si ex lege obediendi, vineas dare debuissent Israëlitæ, à Nabotho perperàm factum esset. vide Pareum, *exercit. theolog. lib.* 2. *cap.* 14. Ac Rabinicum commentum

tum est: quod Judæi ajunt: quia in ipso vitæ extremo anima ejus cum ardente ultionis desiderio emigraverit, factum fuisse ad explēdam vindictæ libidinem Spiritum mendacem in ore Prophetarum, Riccius, *in epitom. Talmudicæ doctrin. fol. 277.*

VIII. (6) Non aliud innuit proprietas genuina sanctæ linguæ. Haut textus Hebræus de jure quicquam dicit; sed *Misphat hammelech* (*Iudicium Regis*) idem significat hoc loco, quod *supra hoc lib. eod.* Samuel *cap. 2. vers. 13.* Hæc erat ratio sacerdotum (filiorum Eli) *Misphat hacohanim*, hoc est, hæc erat prava consuetudo, & injuria quotidiana. Eadem significatio vocis *Misphat*, quâ morem & consuetudinem notat, invenitur itidem, *1. Samuel. cap. 27. vers. 11.* Et hoc erat judicium (id est, ratio, mos & consuetudo) Davidis, omnibus diebus. *1. Samuel. cap. 30. vers. 25.* Posuit hoc in legem, seu statutum, ac in judicium, (id est, morem) Israëli. Nec Samuel solùm hâc voce *Misphat*, pro consuetudine, usurpat; sed & passim hoc in sacris Bibliis fieri solet. Sic *Genes. cap. 40. v. 13.* Dabis calicem Pharao, in manum ejus, secundum judiciũ pristinum, id est, *veterem morem.* Josuæ, *cap. 6. v. 15.* circumiverunt civitatem, secundùm judicium (*morem*) hoc. Judic. 13. *vers. 12.* quod erat judicium pueri, hoc est, mos & ratio vivendi, *ibid. cap. 18. v. 7.* juxta consuetudinem Sidoniorum. *Psalm. 81. v. 5.* Ritus Dei Jacobi. *Psal. 19. v. 132.* Respice me, & miserere mei pro judicio, (*consuetudine*) erga amantes nomen tuum. Ecclesiast. *cap. 8. vers. 5.* Tempus & judicium, (id est, *morem & consuetudinem*) cognoscet cor sapientis. *lib. 1. Reg. cap. 18. vers. 28.* Incidebant se, secundùm ritum, (hoc est, consuetudinem suam) suum, *2. Reg. 1. v. 7.* quæ erat dispositio viri. *2. Reg. 11. v. 14.* stetit ad columnam juxta morem. *2. Reg. 17. v. 33.* Diis suis serviebant juxta judicium (consuetudinem) gentium. *ibid. mox. vers. seq. 34.* Usq; in præsentem diem, sequuntur judicium, (id est, *morem*) antiquum. *Nehem. 8. vers. fin.* fecerunt sollemnitatem juxta morem. Ex quibus liquidò patescit, vocem *Misphat* accipi tam in bonam, quàm malam partem. Hìc verò in malam sumi, adducta suprà docere videntur argumenta. De eâdem re etiam Vatallus, ita *ad eundem locum* scribit: Ad verbum, *hoc erit Iudicium* Q. d. his moribus, & hac consuetudine utentur erga vos reges: talem exercebunt tyrannidem, cui parere necesse erit. Quidam Hebræorum dicunt, hæc esse licita regibus: alii verò dicunt, Dominum hæc dixisse, ut deterreret populum à petendo rege &c. Sic Arias Montanus, in versione interlineari, & etiam Tremellius, húncce locum vertunt: Hæc erit *ratio* Regis. Ac etiam Homerus, *Odyss. 4.* vocem (δίκη) pro consuetudine usurpat:

—Ἦ τ' ἐσὶ δίκη θείων βασιλήων &c.
— *Quæ consuetudo est divinorum regum,*
Alium odere mortalium, alium amant.

Addere lubet, quæ ad eundem locum notat, *in Comment.* Petr. Martyr. Oratio Samuelis est dissuasoria: Scopus est, ut populus sibi retineat libertatem suam. Contra illi omninò regem volunt; qui causas cognoscat, qui libertatem asserat, qui hostes profliget. Contrà Samuel enumerat incommoda, quæ sint secutura: ac si diceret, si vultis commodè vivere, & effugere tot mala, nolite vobis creare regem. Hoc Samuel exemplis non confirmat, cùm tamen suppeteret exemplorum copia. Habuerant enim Judæi Regem Abimelechum, hominem superbum & impotentem; qui, quas turbas in eâ Republicâ dedisset, non poterant non meminisse. Videbant vicinas gentes à regibus suis opprimi, & expilari. Meminerant, Pharaonem perdidisse & se & regnum suum: sed ista Samuel non commemorat. Tantùm monet, quid sit eventurum. Ita Deus, cùm homines deterret à peccatis, proponit supplicia. In quâcunque die comederitis, inquit, morte moriemini. R. Chimhi ait, Judæos inter se discrepare, an hoc verè sit jus regium. Alii ajunt, quòd nomen ipsum regis, sine hoc jure non possit consistere. Alii negant, quòd Deus nihil hîc constituat; sed tantùm minetur; quid sit secuturum. Simpliciùs responderi potest, verum jus Regis descriptum esse in Deuteronomio: hîc autem non verum jus proponi; sed tantùm usurpatum. Quis enim præscribat Regi? Cor ejus est in manu Dei. Tantum putat se habere juris, quantum libet. Sed quomodo, inquies, potest tueri Rempublicam, & jus dicere sine satellitibus? Quomodo pugnare potest sine armis & equis? Quomodo alet aulam suam, sine proventu? Verum quidem est: sed in exigendo adhibendus est modus. Aulam tueri debet, & aliquam pompam; sed ad usum Reipublicæ, non ad luxum. Tributa cum ratione & modo exigere licet: verùm per vim & oppressionẽ, ipsam animam miseris subditis, quod hodiè fit, auferre, intolerabilis tyrannis est. Tales erant aliarum Gentium Reges: tales sunt, qui splendore & pompâ, subditos perterrefaciunt. Tales isti sibi dari postulant. Primus Rex commemoratur fuisse Nimbroth. Itaque dicitur fortis venator coram Domino; quòd esset magnus Tyrannus, & oppressor populi. Peccata Judæorum excreverant in eam magnitudinem, ut omninò castiganda fuerint hâc servitute. Habuerant bonos & moderatos judices. Sed ut olim Ranæ non contentæ trunco Principe, impetrârunt à Jove ciconiam; ita isti, non contenti judicibus, postulant à Samuele Regẽ. Somniârunt fortasse, talem fore Regem, qualis describitur *in Deuteromio*: qui studeret legi Dei, & ejus verbum perpetuò legeret. Sed longè aliter accidit.

cidit. Nam in toto Regno Judæ, vix quatuor inventi sunt boni Reges: David, Josias, Josaphat, & Ezechias; quamvis ipsi quoque non parvis vitiis contaminati essent. Alii autem non Reges; sed pestes esse videbantur Reipublicæ. Et tamen quicunque erant, non licebat excutere jugum, & ab illis deficere. Hucusque Pet. Martyr. Planè cum hisce consentit Dn. Andr. Osiander, *in notis*. Judicium, ait, hoc loco, ut & aliis quibusdam Scripturæ locis, morem vel modum significat, quo aliquid fieri solet. Describentur autem paulò post Regis mores, non qui ipsum deceant; sed qui Monarchis ut plurimùm sint familiares. Non igitur adprobat vox divina ea, quæ contra officium Reges admittunt. Sic & Paulus Tossanus, *in notis margin.* voculam Recht/ à Luthero usurpatam, explicat per verbum Weise. Et inquit: Allhie wird nicht gehandlet von dem/ das einem König von Rechts wegen gebürt: Sondern dessen sie sich pflegen anzumassen.

IX. Licèt ea, quorum hîc Samuel facit mentionem, jure licita fuissent in Israëlitico regno, non tamen hæc ad alia regna trahi possent. Loquitur enim Propheta de Rege, à Deo irato, pœnæque loco dato: ut innui *jam modò suprà*. Loquitur de Dominatu, rerum & personarum dominium secum trahente. *arg. d. cap. 8. lib. 1. Samuel. vers. 17.* & dixi, *politic. lib. 1. cap. 5. num. 22.* Ecce quoque ipsi ajunt ad Samuelem: Pone nobis Regem, sicut omnes gentes. *vers. 5. & 20.* Atqui reges gentium vicinarum, tales proculdubio erant, quales hodiè Turci, Tartari, Moscovitæ, &c. Námque ut Asiæ populi, servili magis animo sunt, quàm Europæi; ita Tyrannorum Imperiis faciliùs semper parebant; quod ferè idem prædicari potest de Africanis. Indè sunt, qui particulam illam Deo displicuisse putant, *sicut omnes gentes*. Nam in gentibus non Deus imperitabat; sed Rex. Drusius, *ad difficil. loca Samuelis*. Acitidem Aristoteles agnoscit; Deum imperitare, ubi lex imperat, non regis absoluta potestas, *lib. 3. polit. cap. 21.* Eandem ob causam, noluit Gedeon dominium habere in Israëlitas: Non ego, ait, dominium habebo in vos: Jehovah habiturus est dominium in vos. *Iudic. 8. vers. 23.* Ergò non pertinet assertum illud jus, ad Monarchiam regalem, & adhûc minùs ad eam, quæ legitima vocatur, statibúsque mixtis aggregatur. Et certè omnia capita illius regii juris, dominatoria sunt. Namq; ait populum futurum regi in servum, *1. Samuel. 8. vers. 17.* Regem capturum filios subditorum suorum: id quod nunc facit Turca, qui hâc ratione colligit Janitsaros.

X. Nunc paucis agere lubet, *de versiculo 6. Psalm 51.* qui secundum Hebraicam verborum proprietatem ita se habet: *Tibi, soli tibi peccavi, & malum in oculis tuis feci; ut sis justus in loquendo te, mundus sis in judicando te.* Sanè Davidem, (quia Rex erat, aliúmque non timebat)

haut

haut in Uriam (cùm ejus subditus fuerit) verùm soli Deo peccâsse, non solùm dicit Ovvenus *lib.3.Epigrammat.51.*

Subditus in legem peccat, regémque Deúmque.
Rex peccat soli (Rex quia nempè) Deo.

Sed & hoc idem dicunt, (ac meo quidem sensu) admodùm inconsideratè ex sanctis Patribus nonnulli (quorum aliàs negligentiam sequi malo, quàm diligentiam quorundam sciolorum obscuram) idque etiam placet Henning. Arnisæo, *lib.1.de jure majestat.cap.3.num.3.* Sic B. Ambrosius, *in Apolog.David,cap 4.& 10.* Peccavit David, inquit, quod solent reges; sed pœnitentiam gessit, flevit, ingemuit, quod non solent reges. Quod erubescunt facere privati rex non erubuit confiteri. Qui tenentur legibus, audent suum negare peccatum; dedignantur rogare indulgentiam, quam petebat, qui nullis tenebatur legibus humanis. Rex utique erat, nullis ipse legibus tenebatur; quia liberi sunt reges à vinculis delictorum. Neque enim ullis ad pœnam vocantur legibus, tuti imperii potestate. Homini ergò non peccavit, cui non tenebatur obnoxius. In eundémque sensum allegantur etiam in aureâ catenâ, in 50. Davidicos Psalmos, Cyrillus ac Didymus quoque. Consentit Antonius Agellius, ex congregatione Clericorum regularium Episcopus Acernensis, *in libro qui inscriptus est, Commentarii in Psalmos, & in divini officii cantica, impressi Roma ex Typographiâ Vaticana, Anno 1606. pag. 236. ad Psalm 50. Tibi soli peccavi.* Quia cùm regiâ dignitate ac potestate cæteris præstem omnibus, & nulli factorum meorum rationem reddere debeam, tuo solius judicio subjectus sum, téque solum judicem habeo. Itaque si quid peccavi, Tibi soli peccavi, tuus reus sum, à te solo aut damnãdus aut absolvendus. At verò si quis ex fundamentis fidei Christianæ, hanc rem dijudicare velit; aliter eam se habere comperietur. Princeps Christianus, æquè proximum diligere debet, ac vilissimus quisque subditorum, si velit esse Christianus: hoc si negligat, erga proximum peccat, cui debet charitatem. Juri naturali, Princeps ut homo est obstrictus; quod docui *jam suprà.* idque inter nos quandam instituit cognationem; & consequenter, hominem homini nocere, nefas est, *l.3. de justit. & jur.* Quod si quis faciat, debitum certè reciprocum violatur, & impingitur in jus illud naturæ. Neque conclusio concludens est: Princeps à subditis puniri nequit. Ergò illos injustè offendens, in eos haut peccat. Diversa namque sunt, injuriam pati, & eam vindicare posse: nec est necesse, ut, hoc sublato, illud auferatur. Sic námque filius punire nequit Patrem; & tamen non perperàm dici potest, patrem in filium deliquisse. Sicque Saul peccavit in Gibeonitas, & fuerunt ii expiandi sanguine posterorum Saulis, *2.Samuel.21. vers.3.* Sic Pharao, dicit Mosi atque

que Aharoni: Peccavi in Dominum Deum vestrum, & in vos. *Exod. cap.* 10. *vers.* 16. Et erant tamen illi subditi Pharaonis, planè absoluti. Absit autem ut humaniorem Pharaonem prædicemus, quàm fuerit pientissimus David. Ac quoque, 2. *Samuel.* 12. apologus propositus à Nathane arguit; Davidem etiam in Uriam maximè peccâsse. Is itaque: Tibi soli, ait, peccaveram; id est, tu sciebas peccati gravitatem, cùm adhuc non palàm illud esset. vide Emanuel. Tremell. *notas ad d. Psalm.* 51. Dn. Johann. Arnd. In der Außlegung deß Psalters/ *Psal.* 51. *concion.* 2. *nu.* 2. Ideò etiam dicit ad Davidem Nathan. 2. *Samuel.* 12. *vers.* 12. Quòd Deus retributurus sit Davidi in propatulo, quod in abscondito perpetrârat. Soli Deo, cæcum domus scelus, ut *lib.* 1. *Æneid.* Virgilius loquitur, retectum erat. Et ita etiam intellexit hunc locum Paraphrastes Chaldæus; qui habet: Coram te solo peccavi, & malum coram te feci. Nec impertinenter Aretius Felinus, (quo nomine se occultavit Bucerus) *in explanat. Psalmor.* Peccârat, & in fidissimum militem Uriah, ac totum exercitum, quem hujus necandi causâ, in periculum adduci jusserat; sed dùm perpendebat, quantum hoc suo scelere contempserat, & offenderat Deum: indè ita torquebatur, & animo discerpebatur, ut id unum sentiret, unum quereretur, ac diceret Domino: *in te, in te unum peccavi.* Idque & quod tuum adeò verbum contempsi, quòd te tantoperè irritavi; hoc, inquam, me enecat, dilaniat, excarnificat, &c. Quæ posteà Flaminius, ferè ad verbum, inseruit suis explicationibus in Psalmos. Sed non omittam etiam, quæ habet de hoc loco Savonarola. Nimium tibi soli peccavi: quia mihi præcepisti, ut diligerem te propter te, & creaturarum amorem ad te referrem: ego autem dilexi creaturam magis quàm te, diligens eam propter se. Quid est autem peccare, nisi amori inhærere creaturæ propter se? Quid autem hoc, nisi facere contra te? Certè qui amat creaturam propter se, facit creaturam Deum suum. Ego itaque tibi soli peccavi, quia creaturam Deum meum constitui. Abjeci ergo te, tibi soli injuriam feci. Non enim contra aliquam creaturam peccavi, si finem meum in re creatâ constitui: quia non mihi præceptum fuit, ut aliquam creaturam diligerem propter se. Si enim mihi mandâsses, ut Angelum solum propter se amarem, & ego pecuniam propter se dilexissem, utique Angelo peccâssem: at cùm tu solus diligendus sis propter te, & creatura amanda in te, & ad te, equidem tibi soli peccavi; quoniam propter se, creaturam amavi. Sed quod deteriùs est, Et malum coram te feci. Non enim erubui peccare coram te. O Deus, quot peccata commisi coram te, quæ nullo pacto coram hominibus perpetrâssem, imò quæ nullo modo homines scire voluissem? Timui magis homines, quâ te, quia cæcus eram, & cæcitatem amabam; ideò nec videbam, nec considera-

siderabam te; oculos solùm carnis habebam; ideò solùm homines, qui caro sunt, cernebam, eósque timebam. Verùm, tu omnia peccata mea intuebaris, & enumerabas ea: idcircò nec ea celare te, nec tergiversari, nec fugere à facie tuâ potero. Quo ibo à spiritu tuo? & quo à facie tuâ fugiam? Quid igitur faciam? quò me vertam? Quem inveniam defensorem? Quem obsecro, nisi te Deus meus? Quis adeò bonus? Quis ita pius? Quis tam misericors? Qui pietate omnes creaturas incomprehensibiliter superas. Tibi enim proprium est misereri & parcere, qui omnipotentiam tuam, maximè parcendo & miserando manifestas. Fateor Domine, tibi soli peccavi, & malum coram te feci. Miserere mei, & omnipotentiam tuam manifesta in me, ut justificeris in sermonibus tuis. Nam tu dixisti: Non veni vocare justos; sed peccatores ad pœnitentiam. Justifica me Domine, in sermonibus tuis; voca me, suscipe me, da mihi agere fructum dignum pœnitentiæ: propter hoc enim crucifixus es; propterea mortuus & sepultus. Dixisti etiam: cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum. Justificare in sermonibus tuis. Trahe me post te: curremus in odorem unguentorum tuorum. Dixisti iterùm: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Ecce ego venio ad te, onustus peccatis, laborans die ac nocte in gemitu cordis mei. Refice me Domine, ut justificeris in sermonibus tuis, & vincas cùm judicaris. Nam multi dicunt: Non est salus ipsi in Deo ejus; Deus dereliquit eum. Vince Domine istos, cùm ita judicaris ab eis, ne me derelinquas usquequaque. Da mihi misericordiam & salutem, & victi sunt. Ajunt enim, quòd mei non misereberis, quòd me projicies à facie tuâ, quòd me ampliùs non suscipies. Ita judicaris ab hominibus, ita de te loquuntur homines, hæc sunt eorum judicia: sed tu pius, tu misericors, miserere mei, & vince eorum judicia; ostende in me misericordiam tuam, laudetur in me pietas tua. Fac me unum de vasis misericordiæ tuæ ut justificeris in sermonibus tuis, & vincas cùm judicaris. Te enim homines judicant rigidum & severum: vince tuâ pietate & dulcedine judicium eorum, discant homines peccatoribus misereri; & accendantur delinquentes ad pœnitentiam, videntes in me pietatem, & misericordiam tuam. Hactenùs Savonarola. Varias explicationes variorum habet R. P. Johan Lorinus, Theolog. è Societ. Jesu, in erudito operosissimoque Commentario in Psalmos.

Sed hæc omnia, cunctaque mea, censuræ rectiùs candidéque sentientium submissa sunto.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 3, [91] - 89

CAP. IX.

Consectaria hactenùs dictorum: & variæ, de absolutâ potestate, quæstiones.

QUamplurimæ ex hujuscemodi absolutæ potestatis rectâ dijudicatione resolutionem habent quæstiones maxumi momenti. Exindè enim deduco: Majestatem sine causâ, hoc est, publico commodo non suadente, Civibus res suas, earúmque dominium, aut jus etiam ex jure civili descendens, auferre, vel subditorum bona usurpare non posse. *l. 13. ff. commun. prædior.* Del Castill. *quotid. controvers. cap.* 28. Pinel, *part.* 1. *rubr. cap.* 2. *de rescind. vendit.* Cævallos *tom.* 4. *quæstion.* 906. Latè Dn. D. Harpprecht, *in pr. Institut. de rerum divis. num.* 94. *&c.* Dn. D. Bocer, *de Investit. cap.* 3. *num.* 74. *& de collectis, cap.* 6. *num.* 25. *&c.* Cravetta, *consil.* 172. 463. 625. 630. & 749. Betsius, *de pact. familiar. fol.* 515. *&c.* Bornitius, *de Majest. cap.* 10. *fol.* 76. Bronchorst. 2. *evasi.* 63. & 1. *Miscell.* 1. Pruckman, *in* §. *soluta potestas. fol.* 292. *&c.* Freherus, *ad Petr. de Andlo lib.* 1. *c.* 8. *fol.* 187. Hardevv. *ad Dassel. consil.* 1. Camman. *1. th.* 59. & 2. *th.* 33. Arumæus, *disput. feud.* 3. *thes.* 11. Brunning. *disput. de univers. thes.* 4. *a.* Bornitius *in Ærar.* 7. *cap. ult.* Hunnius, *de transact. cap.* 4. *exercitat.* 1. & 2. Keckerman. *disput. practic.* 34. *quæst.* 7. *ad fin.* húcque pertinet tot. tract. Petr. Ant de Petra, *de jure Principis. Lex.* 15. §. 2. *de rei vindic. & l.* 11. *de evict. l.* 11. §. 1. *de publican.* quæ in contrarium adferuntur, exaudiendæ sunt de hostium agris; quos dedititiis relinquebant non jure mancipii, sed possessionis, hosce expellere, & prædia militibus pòst assignare vel publicare, ex jure belli licebat: in quo casu nos non versamur. Gothofred. *ad d. l.* 11. *ff. de evict.* & idem latè *ad l.* 20. *de captiv. & postlim.* ac dixi ego *in œconom. tit.* 5. *& 6. lib.* 1. *ff. quæst.* 3. Adde Ærod. *rer. judicatar. lib.* 4. *tit.* 7. *cap.* 3. *ac tit. seq. cap.* 1. & de æquitate Romani Senatus, in aquæductibus ducendis, vide Frontinum *de aquæduct. Romæ, fol. m.* 126. Nulla Majestas, nec libertatem, nec bona mihi sine causâ auferre potest, nec sufficiens causa est, si ornatus vel delectationis gratiâ hoc fiat: ut probat interitus domus Achabi. 1. *Reg.* 21. & pertinet hûc maxima pietas cujusdam Regis Arabis: de quâ notanter Boterus, *de detti. fol.* 107. Sic & Cicero, *pro Cecinnâ*, inquit: Si populus jusserit me tuum servum esse, putas ne id jussum ratum atque firmum futurum? Et idem, 2. *offic.* Videndum erit ei, qui Rempublicam administrat, ut sua quisque teneat, neque de bonis privatorum, publicè deminutio fiat. Quin nec in casu publicæ utilitatis,

tilitatis, rem mihi meam adimere potest Majestas, nisi pretio refuso: etenim necessitatis periculum ad omnes, non ad unum spectare debet, vid. Gail. 2. *observ.* 56. *& ibi in concluss.* latiss. Græveum. Et facit hûc quod Principis Imperio, non Dominio, omnia sunt subjecta, ut dixi *lib.* 1. *polit. cap.* 1. *num.* 36.

II. Ex hoc deducunt nostri Doctores, Fidei commissariam substitutionem, à Principe everti non posse, etiam de plenitudine potestatis: Cravetta *consil.* 736 nisi concurrente aliquâ causâ, respiciente publicam utilitatem, & quòd fidei commissarius ad minimum æstimatione recompensetur. Petra *cap.* 32. Intrigliol. *de substit. centur.* 3. *quæst.* 95. Principem ex imperfecto testamento, non adire hæreditatẽ, nec capere legatum, Pruckmann. § *soluta potestas. membr.* 3. *effect.* 10. *fol.* 801. Testamentum, quod ob defectum sollemnitatum irritum erat, vi solutæ potestatis confirmare, Pruckman. *effect.* 7. *fol.* 746. vel testamentum justum, firmúmque immutare, aut clausulas à testatore dictas commutare. Sueton. *in Tiberio cap.* 33. Covarruv. *variar.* 3. *cap.* 6. *num.* 5. *&c.* Vasquius *illustr.* 52. *num.* 26. Pruckmann. *effect.* 8. *fol.* 770. Nudo decreto, alienationem Pupillarium bonorum non firmare, Dn. Nebelkra *decis.* 7. Tollerève jus antiquæ possessionis. Cravetta. *consil.* 639. aut jus Ma oratus. Castillo. *lib.* 1. *pract. quæst. quæst.* 28. Non item in præjudicium agnatorum filiam habilitare, Pruckman. *fol.* 312. Invito marito statutum, ne uxor absq; consensu ejus testetur, tollere: Peck. 3. *de Testam. conjug. cap.* 25. peremptoriam concedere, aut remittere exceptionem, Cravetta, *consil.* 555. Bronchorst. 1. *miscell.* 3. ad venditionem rerum suarum cogere aliquem, Arithmæus, *peric.* 1. *disput.* 9. *thes.* 3. aut similia, non posse.

III. Hîc itidem notanda esse videtur distinctio, inter casus ex quibus jus tertii lædit; & inter illos, ubi tertio haut præjudicium infertur. In priori solùm necessitas & utilitas publica, in posteriori Principis mera gratia aliquid operatur. Verùm de potestate absolutâ in præjudicando jure à tertio quæsito, vide latè disputantem Petrum Antonium de Petrâ, *tractat. hâc de re singular. cap.* 24. 25. *& ferè per tot. libr.* Ac ajunt nostrates, etiam circa ea, quæ indirectè jus tertii lædunt, nil posse illam potestatem: indéque nequit Princeps institui in re litigiosâ, Petra, *cap.* 14. De Clausulâ motu proprio, *fol.* 633 ex certâ scientiâ, *fol.* 640. ex plenitudine potestatis, *fol.* 651. non obstante, *fol.* 655. *dicti tractatus*, pluribus agit Petra, & consulatur Marta, *tractat. de Clausulis.*

IV. Sic Princeps, non naturali tantùm; sed & civili ratione, contractibus, ut alius quisque privatus obligatur, nec revocare, etiam cum subditis initum Contractum potest. *l.* 26 C. *de donat. inter Vir. & uxor.* Scheplitz. *ad consuetud. Brandenburgic. part.* 2. *tit.* 8. § 3. Petrus

Wesembec. *consil.2. num.65. &c.* (quippè nam hîc maxumè Principem decet esse sincerum, Marnix. *section.7.resolut.2.*) nisi aliqua justa causa, quæ bonum publicum respicit, illum suadeat revocari. Cæphallos, *opin. commun. contra commun. tom.2. quæst.852.* Vincent. Cabotius, *2. disput. variar.cap.10.* Betsius, *de pact. famil. fol.47. &c.* Camman, *disp.5.th.17.* Brunning, *disputat.de Vniversit.th.4.b.* Bronchorst. *1.miscell.2.* Keckerman. *disput. pract.29. problem.13.* Heinricus Velstenius, *decad.8. thes.7.* Distributivam justitiam, nõ ita ad unguem observare cogitur Princeps: ut jam modò monui: Commutativæ verò respectu, cùm contractus nequeant claudicare, Princeps non minùs obstringitur, quàm privatus. Henricus Scotanus, *disp.ex lib.1. C. th.5.* Sed tamen ex causâ liberare se potest Princeps obligatione, ex contractu descendente; ut ante aliquot annos fecit Hispaniarum Rex, Rod. Potereius, *histor.lib.3.fol.102.* idque & jam antè etiam attentavit, Meteranus *lib.5. fol.284.* Si Princeps duobus vel pluribus eandem rem indulserit, promiserit, vendiderit; &c. priorem, quamvis posterior rem teneat, potiorem putant: contràque in privatis fieri solet. Scotanus *dict.disput.thes.6.* Hîc tandem quæri potest, num fidei Principis stetur, siquidem is solus de facto attestetur? & magis est, ut Bodino adsistam; qui Principis attestationem, adminiculis aliis deficientibus, insufficientem putat. *1. de Republ.10. & lib.6.cap.fin.* Fridericus Tilemannus, *disput.ff. volum.2. disput.3. th.37.* (qui alios plures allegat &c.) Bachovius *volum.2. disp.5. thes.7. lit.a.* Volcmar. *tractat. de Testib.centur.1.part.1.fol.6.* Mynsing. *centur.5.observat.34.* Sed trimembris hæc mihi videtur esse disceptatio. Aut enim Princeps pro alio testimonium fert, aut pro Imperio, seu in Regni, aut verò proprium ipsius commodum. Princeps cùm pro alio testimonium dat ut Privatus, aut ut Princeps, officii scilicèt ratione, unius omninò testis responsionem, non esse audiendam, etiamsi præclarè Curiæ præfulgeat honore, rescripsit olim Constantinus, *in l.9 §.1. C. de testib. l.20. de quæstion.* idque more majorum comparatum scribit Cicero, *pro Roscio.* hócque juri divino, seu ut nos loqui malumus, naturali, videtur esse consentaneum; secundum illud: In ore duorum vel trium testium omnis consistit veritas. Jurisjurandi religione, testes priùs quàm testimonium perhibeant, arctandos esse, *m supr.d. l.9. in prin. & c.51. extr. de testib.* sancitur, & testium depositionem duobus constare, ipso testimonio & juramento, quorum alterum sine altero non valeat, notatur *in c. fraternitatis extr. dict.t.* adeò ut tralatitium sit apud nostrates testes, præcisè ad juramentum, & quidem sollemne, compelli posse, Ruland. *de commiss. part.2. lib.2.cap.11.* in tantum ut consuetudo non impediat, etiam de Illustribus differens personis, Ruland. *dict.loc. & lib.4.cap.11. ad fin.part.2.* quò

confe-

conferunt, quæ scribit, *in tract. de Existim.* Freherus *lib. 2. cap. 4. num. fin.* Quin nec sufficere Hand gegebne Trew an eines Eydsstatt/ in personis quoque Illustribus, signat idem Ruland. *part. 1. cap. 10. lib. 4. num. 26. &c.* Hæc autem an in Principe locum habeant, & an nimirùm Principi pro privato aliquo sibi subdito, & contra subditum, testimonium dicenti, contestem si non habeat, credatur? an Principi non jurato adhibeatur fides, dubitatur haut immeritò. Scio quidem Principem, justitiæ plenum præsumi, & omnia deliberatè prout convenit, facere, ac ideò non esse dubitandum, quin dicat verum. Quæ ratio effecit, ut nostri dicant Dd. simpliciter, Principis assertioni credendum esse planè, nec solùm Papæ, Regis & Imperatoris; sed etiam cujuslibet alterius habentis jura Imperialia & regalia, Farinac. *de oppos. contra Pers. test. quæst. 63. cap. 3. num. 84. &c.* Scio sanctitati & sinceritati Xenocratis, tantum apud Athenienses tributum olim fuisse, ut cum aliquando testimonium dicere coactus, ad aram jurandi causâ accessisset, universi consurrexerint judices, & ne juramentum daret, proclamârint. Indéque incivile esse, non injuratorum Principum dicto fidem habere: cum partium plerunque ipsarum consensu, & voluntate corporale remittatur juramentum claris & opinatis universim, Freher. 2. *de Existim. cap. 6. num. 18.* Sed potest tamen incidere casus, & negotiorum quorundam hoc exigere momentum, ut ad amussim necesse sit hanc discuti controversiam. Et tunc sanè nec Principi injurato, nec unicus si sit testis, credendum esse, interrogatus responderem. In omnium quia est ore, dictum unius, dictum nullius, *l. Iuru jurandi C. de testib. c. licet universis. c. veniens. &c. cum similib. ext. de testib.* Idque non solùm de Jure Canonico & Civili; sed & de jure procedit divino. *Deuteron. 17. & 19. Matth. 18. 1. Corinth. 13.* Quoniam nec Evangelium, nec ulla divina humanáve lex unius testimonio, etiam idoneo, quempiam condemnat vel justificat, *c. admonere 33. quæst. 5.* adeò ut statuto vel consuetudine, nec etiam à Principe vel Papâ fieri possit, ut unico testi plena adhibeatur fides. Farinac. *de Oppos. contra Pers. test. quæst. 63. num. 8. &c.* Cùm Q. Scævola, vir excellentissimus, testis in reum productus, testimonium dixisset, discedens adjecit, ita sibi credi oportere, si & alii idem asseverâssent: quoniam unius testimonio credi, res esset pessimi exempli, Valer. Maxim. 4. *cap. 1.* Hoc idem facere debet bonus Princeps. Hócque exemplum imitari si nolit Princeps, vestigia Parlamenti Parisiêsis sequi debet bonus quilibet Senatus. Cùm enim Rex Galliæ Henricus II. hominem quendam damnare jussisset, quòd eum in Crimine capitali deprehendisset, nec tamen nomen & circumstantias criminis pervulgari vellet, judices tùm ei Parisienses responderunt, se juratos esse, nisi sceleris convictum damnaturos ne-

ros neminem. Bodinus *6. de Republ. fol. 757.* cui assistit Tilemann. *2. part. disput. 3. thes. 37.* Eundem regem in causâ quâdam gravissimâ, privati modo & quidem jurato coram judicibus testimonium dixisse, idem refert Bodinus, *ibid.* Hûcque confert, quod receptum est communissimè, Principi nullatenùs credendum esse soli, si de facto attestetur alieno. Farinac. *dict. quæst. 63. cap. 3. num. 157. &c.* vel si tertii præjudicium inde metueretur; aut si Principis assertio, alteri sit allatura detrimentum, Mascard. *concluf. 139. num. 14. concluf. 141. & concluf. 1234. num. 104.* Farinac. *quæstion. 63. num. 174. & seq.* Sic in iis, quæ non dependent à Principis voluntate & potestate, non est standum assertioni illius, sive respiciat factum alienum, sive proprium. Farinac. *sæp. dict. quæst. 63. nu. 151. & seqq.* putà si attestetur, quòd talis proditor fuerit, & quòd propterea ad se redierit feudum, Aurel. Corbul. *de jure emphyteutic. cap. 12. quæst. 5.* Contrarium respondendum, & Principis dicto fides adhibenda plenissima, si officii ratione aliquid à se, vel coram se actum vel gestum esse, verbo vel literis, attestetur. Farinac. *d. quæst. 63. cap. 3 nu. 80. 98. 139.* Hinc verba literarum apostolicarum, quibus Papa proprium factum narrat, plenè probant, si super illis gratia vel intentio Papæ fundetur, *clem. un. de probat.* Nam si statur literis judicis attestantis aliquid de his, quæ pertinent ad officium suum, *l. si Publicanus §. de rebus. ff. de public.* Baldus *in rubr. C. de fid. instrum.* Hócque si præcedit, licèt Judex esset, Ribaldus, ut post Bald. dicit Jason, *l. pacta novissima num. 7. de pactis.* quantò magis standum erit dicto Principis, cujus authoritas superemine t omnes? Mascard. *concluf. 1234. num. 1. & multis seqq.* Magis credendum est Principi, quàm Notario uni, vel etiam pluribus. Anto. Gabriel. *tit. de probation. concluf. 2. num. 11.* Ubi tamen & hæc videtur adhibenda esse limitatio Oldradi, *concluf. 258.* ubi distinguit, quòd verba Principis aut sint narrativa, aut assertiva, aut dispositiva. Primo casu non probant, verba assertiva in facto proprio probant. Et verba dispositiva, sive per modum causæ prolata, indistinctè probationem inducunt. Ad hócque ut verba Principis etiam officii ratione aliquid attestantis, sufficienter probent, necessariò requiri, quod super iis intentio fundetur. Mascard. *dict. concluf. 1234. nu 93. &c.* Adeò ut verba enunciativa, quibus Principis haut nititur intentio, nec etiam præsumptionem inducant, quâ de re latissimè Mascardus, *concluf.* 622. Cephalus, *cons.* 465. *num.* 47.

SECTIO

SECTIO SECUNDA
DE
ECCLESIASTICO
MAJESTATIS
JURE.
CAP. I.

Vitia primæ Tabulæ, etiam dijudicari, & puniri ab Imperio Politico.

SI ullâ in parte Politicæ tractationis; certè vel maxumè in hâc præfari lubet illud B. Augustini, *lib. 1. de Trinitat. c. 11.* Non pigebit me, si cubi hæsito, quærere; non pudebit, si cubi erro, discere. Hâncque præscriptionem præpono animo simplici & sincero. Fateor enim, me aliorum narrare scita, & ad confessionem Ecclesiæ, in quâ nunc vivo, accommodata. Quæ si cui libuerit suggillare, sciat me invidas calumnias non curare: censuram verò ut maximè expetere bonorum. Sed jam exordiri lubet.

II. Summa & perpetua, legibúsque soluta potestas, majestatem quam dicunt; propria quædam connexa habet. Summum & absolutum Imperium illud, vim suam in Republicâ exerit distinctim. Certæ sunt affectiones, quæ ἐπομένω superioritatem concomitantur: sine quibus neque regnum salvum & incolume consistere, neque Regia vis & dignitas eluceſcere potest. Ea in Monarchicis Imperiis, Regalia, Regia ac Basilica, Regiæ item potestatis jura, à Regis vocabulo indigitantur: Keyſerliche Hochheiten vnd Reſervaten, &c. vide Johann. Cammann. *disput. de Iurib. Majestat. 1. thes. 86. & seqq.* Paurmeister. 1. *de jurisdict. c. 4. per tot.* Rectiùs voce generaliore, summi Imperii seu Majestatis vocantur jura. Non enim solùm Imperatores ac Reges; sed & populi liberi, aliísque in Rerumpublicarum formis, ii, apud quos summa est potestas, ejusmodi eminentias habent. *argum. trad.* à Deciano, *resp.* 8. *nu.* 315. *volum.* 1. quas ideò gentium magis, quàm civili juri adscribo. Contra Dn. Bocerum, *tract. de Monet, cap. 1. num. 24.* Cæterùm Imperium hócce

hócce summum, quamvis tàm latè pateat, quàm latè ejusdem cura, officiúmque sese extendit; ejus tamen vis omnis, duo summa genera habet: quorum unum Politicas, alterum res Ecclesiasticas concernit, Matth. Bortius, *apud Arumæ. discurs. 30. cap. 3. thes. 2. fol. 861.*

III. Jus rerum sacrarum; quod jus sacratum Vergilius vocat, (quódque conciliat ingentem reverentiam, atque majestatem) ad summum quoque Imperium, Arnoldus Clapmar. refert, *1. de arcan. Rerumpubl. cap. 15.* Et certè ita proprium esse Principis, curare & tueri sacra, veteres statuerunt; ut plerique habuerint sacerdotii & regni munera conjunctim. Petr. Gregor. Tholosan. *8. de republ. 2. num. 6. & c.* Henning. Arnisæus. *tract. de exemption. Clericor. cap. 1. num. 4.* hinc & Vergilius, *3. Aeneid.* canit:

Rex Anius, Rex idem hominum, Phœbíq; sacerdos.

Quin & conjuncta olim fuit scientia juris divini atque humani; vid. Marcil. *in epistol. dedic. comment. ad instit.* latè Cluverius, *de Germaniâ fol. 204. & seq.* hócque intuitu, rerum etiam divinarum notitia, jurisprudentiæ adscribitur. *l. 10. §. ult.* ubi Gothofr. *ff. de justit. & jur.* & in utroque simul jure, renunciantur adhuc hodiè Doctores. David. Pareus, *tractat. de potestat. Regum contra Papam, fol. 74.* vocat potestatem Regiam circa Ecclesiastica; item potestatem Ecclesiasticam externam. Hócque jus adeò ad majestatem spectare dicunt nonnulli ex iis, qui à Pontifice Romano discesserunt, ut eos, qui in re divinâ, & in causâ religionis constituendâ, superiorem sibi Romanum Pontificem tenent, supremos Principes vocandos esse negent. Alberic. Gentil. *disput. reg. 1. fol. 8.* Waremund ab Ehrenberg, *cap. 1. verosimil. num. 5. 11. 21. & c. & cap. 2. num. 11. & seqq. & præsertim num. 16. & 27.* vide Fridericum Balduin. *disputat. de Hæretic. cap. 2. th. 51.* Hócque respectu non absolutè verum esset, quod Sixtin. *1. de regalib. cap. 4. num. 1.* dicit: Regalium materiam, merè secularem esse. Sed tamen videri posset, Ecclesiasticum jus, reverâ separatum quid esse à Majestate; eò quòd Turca id non habeat in Christianos in suo territorio habitantes.

IV. Hâc verò de re, cùm variè à variis differatur; mihi nunc ex multis pauca, ullo fine cujusvis sectæ præjudicio, delibare lubet, lubens tamen me subjiciens meliore suppeditanti. Et primùm quidem, certum expeditúmque esse videtur; Magistratum Civilem, custodem esse Decalogi Tabulæ utriusque. Vitia nempè morum, etiam contra primam tabulam commissa; Blasphemiam putà, Magiam, Atheismum, Epicureismum, perjurium, &c. quia prohibet punitque. Et hûc pertinent ea, quæ mixti fori esse dicuntur; de quibus Dn. Rutger Ruland. *de proces. executiv. cap. 9.* Blasphemiæ, cujuscunque eæ generis sint, ad seculare forum,

rum, sub quo acciderunt, cognoscendæ, puniendæque pertinent. Jeh. Papon. *de arrest. lib. 22. tit. 3. per tot.* Theodor. Petreius, *in thesaur. concluss. criminal. thes.* 57. Cardinal. Tuschus *lit. B. conclus. 96.* de earúmque pœnâ vide Eber. Speckhan, *centur. 1. quæst. 94.* Zepper. *de legib. Mosaicis 4. cap. 8.* Berlich. *tom. 4. conclus. 2.* Quin & tale crimen, qui non manifestat, punitur, *can. si quis per capillum. 2. quæst. 1.* Const. August. Elector. *part. 4. artic. 1.* Const. Principis Anhaltini, *artic. 4.* Idémque jam olim sancivit, Ludovicus Pius Imperator, *in Comit. Aquisgran. artic. 52.* & Richard. Anglus, Rom. Imp. *apud Goldastum tom. 3. fol. 229. & 404.* Aliud verò est tentatio Blasphemiæ, quali etiam B. Jobus tentatus fuit, cùm malediceret horæ suæ nativitatis, Albertus Magnus, *tract. de adhærendo Deo cap. 11. à princ.* Perkinsus, *in tractat. de casibus Conscient. lib. 1. cap. 10.*

V. Sic & hoc intuitu Magiæ crimen, ad Laicos judices spectat. Papon. *arrest. lib. 22. tit. 3.* Binsfeld. *in prælud. 14. fol. m. 119.* Magos autem (qui vulgò Malefici, ob facinorum magnitudinem nuncupantur) etiam gentes, tametsi veram religionem ignorarent, ac in idololatriâ prorsùs essent demersi; attamen lumine quodam naturali, damnandos esse intelligebant, *l. cæteræ. §. 1. ff. fam. erciscund. & 12.* Tabul. Lex fuit adversus eos, qui fruges excantâssent. vide Theod. Marcil. *in interpr. 12. tab. §. 79.* Hincque B. Augustinus, *in libris de Civitat. Dei.* veteres laudat Romanos, quòd licèt multa impia sacra fuerint amplexi: semper tamen ejecerint Magiam, omnésque præstigias Chaldæorum. Si quis per monumentum transisse vespere argueretur, ut Veneficus, sepulchrorúmque horrores, & errantium ibidem animarum ludibria colligens, reus capitis interibat; ait Ammian. Marcellin. *lib. 19.* Magiam hîc voco pactionem cum Diabolo, quâ homo se totum tradit in Diaboli potestatem; eúmque sibi vicissim ad obsequium, beneficium & maleficium devincit. Jerem. Nicolai *Theol. 3. cap. 16.* Quod variis modis fieri solet. vide Zepperum, *4. de legib. Mosaic. 4. & seq.* Alberic. Gentilem, *ad tit. C. de malefic. & lect. Vergil. cap. 16.* Georg. Pictorium. Villingan, *tractat. de sublunar. dæmonum ortu, unà cum epitome Magiæ ceremonialis.* Nec verò ejusmodi artibus dæmonibus necessitatem imponi, (quod quidē Theodoretus etiam *sermon. 10. Græcar. affect. curat. fol. m. 139.* fateri videtur) ullus credere debet: quamvis interdum vigore pacti initi cum superiore, spiritus inferiores verè cogantur, hócque est per Beelzebub Dæmonia ejicere. Tales omnes, legum Cæsarearum præscripto, flammis exuruntur, *l. 3. & ult. C. de malef.* Serenissimus Magnæ Britanniæ Rex Jacobus, *in Dæmonologiâ.* Petrejus *in conclus. crimin. thes. 164.* Interdum verò & ii convertuntur, qui se, suámque salutem hosti generis humani,

sollemni etiam scripto devoverunt. Exemplum egregium est, *in vitis Patrum lib.1. in vitâ Basilii fol. 120. edit. Dn. Rosvveidi.* Aliud & recentissimum habet Magnif. Dn. Martin. Magerus, *in tractat. de Clientelâ armatâ.* Et summa porrò est impietas eorum Magnatum, qui Magos ejusmodi nefandos in delitiis habent. Qualis fuit nostrâ patrúmque nostrorum memoriâ quidam Placentinus, nomine Scotus, ac etiam hoc vitio laboravit Wilhelmus Hollandus Rom. Imperator, si vera sunt quæ de eo ac Albert. Magno scribit Johann. de Beka, *in Chronic. Vltraject. fol. m. 69.* (& consentit Lehman, qui ex Trithemio, aliisque hanc eandem historiam refert, *lib. 5. der Speyrischen Chronick cap. 90.* Sed certè Magiam detestatus est, Alb. Magnus, vir verè pius, & ad miraculum doctus, vide *ejus vitam, ejusd. libello de adhærendo Deo subjunctam, & nuper Antuerpiæ impressam. cap. 9. & seqq.* aliæque fabulæ multæ, de eo referuntur quas Autor ejus vitæ *cap. 50. & seqq* refutat, & falsitatis convincit.) Sed dictus Johann. de Beka, ita ait: Appropinquante Theophaniâ Domini, Rex migravit ad Coloniam, ut ibidem in honore trium Magorum sollemnem immolaret hostiam. Fuit enim illis diebus regens & legens apud Coloniam Dominus Adelbertus Ratisponensis Episcopus, de ordine Prædicatorum, magnus in Nigromantiâ, major in Philosophiâ, sed maximus in Theologiâ; qui Regem humillimè precabatur, ut in die sollemni secum discumbere dignaretur. Rex autem sperans aliquod prodigiale signum videre, noluit eidem reverendo Patri preces supplices denegare. Celebratis igitur Epiphaniæ sollemniis, idem Episcopus à studorio suo progrediens, Regem cum suâ familiâ gratiosè suscepit. Quem extra cænaculum in quodam viridario secum adduxit, ubi ministeriales miræ pulchritudinis fuerunt; qui ad convivalem lætitiam quævis necessaria præparaverunt. Fuit utique diebus illis hyems asperrima, totáque superficies terræ cooperta nive maximâ; quapropter universa multitudo procerum murmurare cœpit adversus Episcopum, quod in tàm horrido frigore convivas suas absque foco prandere jussit intra pomarium. Sed postquam Dominus Episcopus futurorum omniũ conscius, unâ cum Rege resideret ad mensam, & omnis conviva secundum statum dignitatis suæ locatus, expectaret escam: ecce glaciei & nivis immensa moles in momento disparuit, ac æstivus calor, emicantibus Solis radiis ferventer invaluit, terra gramineum germen edidit; ut vernantes flores in mirâ venustate floruerunt, una quævis arbor frondibus extemplò viruit, & maturos fructus ad vescendum cunctis exhibuit; vinea florens odorem suavitatis reddidit, & recentes uvas in ubertate magnâ citò præbuit, garritus volatilium applaudentibus alis illîc introivit; quarum grata modulatio cunctis accumbentibus magnam exultationem

nem intulit. Quare in longius algor hyemalis frigiditatis prorsus evanuit, & fervor æstivalis caliditatis in tantum everbuit, ut quidam discũbentium propter aëris intemperiem, exutis duplicibus indumentis seminudos se facerent, & plurimi sub frondosis arborum frondibus hinc indè refrigerium appeterent: ministeriales verò detulerunt ubique copiosam epulatum plenitudinem; ita ut abundè satiarent populosam convivarum multitudinem: & lætatus est Rex cum similiter discumbentibus, in eâdem Curiâ tot & tanta cernens inaudita mirabilia. Expleto demùm convivio, turba ministerialium quasi fantasma disparuit; garritus avium omninò siluit, germen arboreum confestim evanuit, florida tellus marcescens exaruit, copia nivis iteratò repentinum rediit, & gelu truculenter inhorruit; ut omnes, qui pridem exutis vestibus desudaverunt intra convivium, nunc trepidantes accelerarent ad ignem infra cænaculum.

VI. Dæmones negare; est negare animorum immortalitatem. Cardan. *de rer. varietat. lib. 16. cap. 93.* Carrerius *tractat. de sponsal. & nuptiis lib. 5. cap. 17.* ubi Aristotelem & Pomponatium refutat. Sed plures adhuc sunt, qui de laniis, quæ dicuntur, figmenta esse putant, inprimis Wierus & Cardanus, *lib. 15. de varietat. rer. cap. 80.* Ast hoc experientia refutat luculenter. An autem à capitalis pœnæ acerbitate, laniæ sint eximendæ; præsertim si adhuc nemini damnum aliquod intulerunt; an verò ob solam abnegationem, mortis reæ censendæ? vide Wierum, Bodinum. Binsfeld. Martin. Del-Rio, *lib. 5. in append. fol. m. 292. &c.* Godelmann. Danæum, Remigium, *dæmonolatr. lib. ult. cap. ult. & nuperum* Antonii Prætorii *tractat.* von Zauberey vnd Zauberern/ gründlichen Bericht. Adde Augustin. Lercheimers Bedencken von Zauberern. *item Epistolam* Brentii, *quæ habetur ad fin. decad. 7. Consilior. theologicor.* Dn. Felicis Bidembachii. Dn. D. Theodor. Thumm. *disp. singular.* Johan. Forster. *disput. ad Decal. decad. 7. problem. 5.* Frideric. Martini, *dissert. singularem, junctam ejusd. tractatui de annuis redditibus.* Georg. Pictor. *in resolut. hujus quæst. sermonibus convivialibus suffixâ.* Consulantur item de hoc delicto auctores Mallei maleficarum, flagellum Hæreticorum, Fascinariorum Nicolai Jaquerii, Paracelsus, *multis in locis.* Schvvenckfeld. *epistolar. contra Catholic. epistol. 51.* Georg. Everhard. *consil. 1. tom. 1. & consil. 1. tom. 2.* Berlichius, *tom. 4. conclus. 3. & seqq.* Metzger. *consil. 1. & 7.* (ubi de laniâ minorenni) Wittumb. *consil. 1.* De Idololatriâ etiam, & sacrificiis laniarum, tractatum habet singularem doctissimus Filesacus. Aliqua etiam exempla memoriâ dignissima refert Rosset *in sua hist. Tragicis Gallicus, num. 3. 10. & 20.* ac de earum Magiâ, multa habet Trithemius, *quæst. 5. & 6.* Hill. *nu. 46. & 87.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1;Leibn. Marg. 0,1, Stück 3, [101] - 99

Estque laniarum Magia præ alijs fœda, & in eorum magorum numerum referenda, quas Lactantius *lib. 2. cap. 15.* ait: à dæmonibus terrestribus auxilium petere, & ita morbos inferre. addatur etiam Psellus. *de dæmonib.* Sed quoque acriter contendi solet, an corporaliter, ad alia loca transportentur? Campanella. *tractat. de sensu fol. 333.* Disputatur item de illo, annè Sortilegi, incubos & succubos habeant; aut quomodo Dæmones coire possint. vide Perer. *in Genes. lib. 8. fol. 269.* Delrio. *in major. comment. ad Senecæ Tragœd. fol. m. 259.* & Gualtper, *in collat. version. Genes. cap. 6. vers. 2.*

VII. Damnandæ itidem sunt aliæ impiæ, vetitæque artes, quibus implicito pacto (simulacris, characteribus verbisve, Hill. *in Philosoph. Epicurea, num. 440.*) cum hoste generis humani sese nonnulli (imprudentes frequentiùs) devincire solent. Conjuratores nempè, quos Germani Segensprecher nominant, vide Bidembach. *in Consil. Theolog. dec. 2. consil. 1.* Warsager & similes ejus farinæ. De divinationum, magicarúmque artium generibus, commentarium singularem edidit Peucerus, & etiam Camerar. adde Benedict. Perer. *tractat. de Magia lib. 1.* Goclenium *in Synarthrosi fol. 5. &c.* & Jacobum Heilprunner, in opusculo erudito quidem (sed in quo odio religionis in contrarium nimis latè videtur recessisse) *quod inscribitur Dæmonomania Pistoriana.* De Magicis operationibus contra Bodinum disputat Biermannus, apud Jac. Martini, *disp. miscel. fol. 664. &c.* sed frigidè satis, ut quidem ego puto. Diabolus Christi in plurimis simia, certis item verbis & ceremonijs, ceu sacramentis efficax est. (vide *tractat. egregium Dæmonis Mimica inscriptum*, autore Heinrico à Monteacuto: ut & librum Gallicum, *cui titulus, la philosophie des esprits:* ut & Josephi à Costa, *histor. Indiæ occidentalis. lib. ult.* eóque periculo irretiuntur multi, sub specie artium abstrusarum, R. item. P. Martin. Becanus, *in analog. fol. 211.* de implicitâ invocatione, Diabolique quasi sacramentis; tacitóque ac expresso pacto, multa habet: ut & Trithem. *quæst. 3.* ac Binsfeld; *de confess. malefic. prælud. 6. & 9.* ubi docet, quòd etiam Naturalia usurpent Magi; sed iis accedat verbum vel simile quid; cui se instar cujusdam sacramenti adstrinxerit hostis generis humani. De Fascino, vide Alberic. Gentil. *ad Eclog. cap. 18.* Aliud est vera & laudabilis Magia: ex harmonia mundi procedens, & mira efficiens, de quâ Campanella, *lib. 4. de sensu rer. per discurs.* Bulenger, *ad Arnobium, & in tom. 1. systematis.* Et talis fuit Bileã, Regina Sabæ, Magique Christum natum statim colentes. Baronius ad A. C. 1. Venerunt autem ii ab Oriente, hoc est, ex Persida. Persarum enim sapientes, Magi vocabantur: nec nisi ex eorum numero, eorúmque disciplinis imbutus, Rex creabatur. Strabo. Hinc *1. Reg. 5.* Præsapientia omnium filiorum

rum

rum Orientis: sed multa impia commixta eorum disciplinis erant. Fuerunt enim Astronomi, & callidi in linguâ avium. *Esaiæ* 19. *vers.* 10. Respicit ad veram Magiam Eccardus apud Taulerum *dom.* 16. *post Trinitat. fol. m.* 271. cum ait: Es ist ein frag vndern Meistern / welches besser sey vnder der Krafft der Kräuter / der Worten vnd der Steinen? deß soll man sich berathen oder versehen / alle Wort hand Krafft von dem ersten Wort. Wiewol der Vnnutz ihrer Manigfaltigkeit (den vnbesindten Menschen nit ansehent) entedelt die Wort / daß ist / das sie verachter werden vnnd keinen Nutzen bringen. Darumb solt mann gar fleißig wahrnemmen / was mann rede / vnnd wie die Wort gethon weren / wann nit ohn grosse vrsach das ewig Wort deß himelischen Vatters Christus sprach / von einem Jeglichen Vnnützen Wort / das die Menschen geredt hand / werden sie Rechnung darvon geben am Tag deß Vrtheils / Aber dz sicht man (leyder) wenig an / darumb entspringet so grosses Vbel vnd Jammer darauß / daß es zuerbarmen ist. Kraut hat auch grosse Krafft / Ich vernam daß ein Schlang vnd ein Wisele mit ein ander stritten / da lieff die Wisel hinweg vnd holet ein Kräutlin / vnd bewandt das mit einem andern Kraut / vnd warff das Kraut auff die Schlang / da zerbrach die Schlang von ein ander vnd war Todt. Was gab der Wiseln daß sie die Krafft in dem Kraut wußt? daran ligt auch Weißheit. Wort hand auch große Krafft / man möcht Wunder thun (als auch dick beschehen ist vnd beschicht) mit Worten. Stein hand auch grosse Krafft von der gleichheit / daß die Sternen von deß Himmels Krafft darinnen würcken. Wann gleich in gleichem viel würcket. Addam & mirabile exemplum, *ex historiâ tripartitâ, lib.* 5. *cap.* 45. quomodo Nisibiam, contra Saporem Persarum Regem defenderit, Jacobus Episcopus illius loci, quod tamen miraculosum, non Magicum fuit. Tunc igitur Ephrem Vir mirabilis, & scriptor egregius apud Syros, sacratissimo Jacobo supplicabat, ut veniret ad murum, & videns Barbaros, maledictionis jacula contra eos emitteret. Flexus ergò venerabilis homo, ascendit in quandam turrim: & cùm millia millium videret exercitus, aliam maledictionem eis non imprecatus est, nisi Cyniphes & Culices, ut per parva animalia supernam virtutem potuisset agnoscere. Orationem verò sequuta nebula Cyniphum & Culicum, & Elephantorum quidem proboscidas, cùm sint concavæ, equorum verò aliorumque jumentorum aures simul & nares impleverunt. At illi ferre vim parvorum animalium non valentes, sessores suos ductoresque excussos dorsis projecerunt, & diruptas acies confuderunt: exercitúmque relinquentes summo impetu fugiebant. Hoc modo miserrimus Imperator parvam clementémque correptionem in se agnoscens factam à Deo, habente providentiam anima-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 3, [103] - 101

rum ipsum piè colentium, suum indè reduxit exercitum, confusionem non victoriam ex illâ obsidione percipiens.

VIII. Porrò etiam homini Christiano, maleficorum, sive sortiariorum operâ, in morbo alijsve casibus, salvâ animi pietate, & conscientiâ, haudquaquam licitum est, uti. Del-Rio *lib. 6. cap. 2. sect. 1. quæst. 2. fol. m. 409.* Lex quippè DEI condemnat Ariolos, Magos, & hujusmodi incantatores ac impostores; nec ullo modo illorum auxilio utentium distinguit fines; sed artes illas execratur absolutè: imò in jure Romano, etiam consulentes capite plectuntur, *arg. l. 3. & 5. C. de Malefic.* Stephan. Forcatul. *Necyom. jur. Dialogo 58.* Pareus, *exercitat. theolog. lib. 1. cap. 11.* Hicque notanda sunt S. Cypriani verba: *in tractat. de Idolor vanitat.* Membra distorquent, valetudinem frangunt, morbos lacessunt; ut ad cultum sui cogant, ut nidore altarium, & rogis pecorum saginati, remissis quæ constrinxerant, curâsse videantur. Hæc est de illis medela, cùm illorum cessat injuria: nec aliud illis studium est, quàm à Deo homines avocare, & ad superstitionem sui, ab intellectu veræ religionis avertere &c. adde Lactantium. *2. cap. 15.* vide tamen Paracelsum, *lib. 5. de origine morbor. invisibilium fol. m. 111.* Habuerunt etiam Ethnici sacrificia, ac remedia certa, quibus se phantasinata & magicas artes avertere posse putabant, Natalis Comes, *Mytholog. lib. 3. cap. 15.* Hucque pertinent, quos Hispani *Saludadores* vocant, de quibus Anton. Torrecemada, *giorn. 3. ad fin.* & qui in Insula Cypro, dividunt cultro ventos. Steph de Lusignan. *in description. Cypri cap. 27.* qui licèt in crucis formam feriant aërem, & bona pronuntiant verba: hoc tamen ibi superstitionis est, ut oporteat cultrum illum nigrum habere capulum. Quid verò, annè salvâ conscientiâ (quod vulgò fit) cogi potest saga, ut morbum quem intulit, tollat? vide Remigium, *lib. 3. cap. 3.* Prætorium, *tractat.* von Zauberey *fol. 106.* & meum tract. *devit. & mort. consideration.*

IX. Atheistæ, hoc est omnium religionum contemptores, directè vindictæ Magistratus committi debent, Ærodius, *rer. judicat. lib. 1. tit. 6. capit. 1. &c.* Quemadmodum enim ex omni genere Reipublicæ morborum, deterius nullum est Anarchiâ; ubi nemo imperat, nemo paret: sic etiam nulla pestis Ecclesiæ (& Reipublicæ pariter) gravior accidere potest, Numinis carentiâ; quam Græci Atheismum vocant, Bodinus *4. de Republ. num. 485.* Campanell. *in politic. cap. 8. §. 14.* ego *lib. 2. polit. cap. 1.* ipsis Ethnicis etiam quæ fuit exosa. undè Protagoræ Abderitæ libri, in foro olim fuerunt exusti: quòd docebant de Diis certò nihil sciri, an sint vel non sint. Lactant. *de irâ Dei cap. 9* Quare, ut Atheos cæcos esse ostenderent Ægyptii, oculum sub calceo posuerunt, ut ait Orus *in Hierogl.* Etenim quòd Deus sit, ac princeps quædam causa, quæ res omnes

mnes creârit, atque conſervet, tùm oculi ipſi, tùm lex naturalis docet, Bulenger *in eclog. ad Arnob. cap.* 2. Peſſimè ergo fit, quòd alicubi ſtrenui viri putantur, alacres & obſequentes; qui excuſsâ omni pietate, nullâ religione impediuntur, quò minùs quidvis audeant, Antimachia vell. *lib.* 2. *theorem.* 1. *à princip.* Summum hoſtis humani generis arcanum eſt, latenter & per auctores, qui vel ob ingenii ſubtilitatem, vel aliter commendantur, propagare Atheiſmum. Atheiſta autem maximus fuit Lucianus, qui ſequitur Epicuræos & providentiam ridet: ac Stoicos ita convincit. Si omnia fiunt fato: Ergò, nihil Religio juvat, vid. Lucian. *in Iove confutato. m. tom.* 4. *fol.* 250. *&c.* Atheiſtæ etiam fuerunt Cynici & Epicuræi, Lactantius, *lib.* 2. *cap.* 1. Quos refutat idem, *de ira Dei cap.* 2. *& cap.* 10. pro providentia propugnat. inter Latinos, Lucretius Poëta: Epicuri enim ſunt omnia, quæ ille delirat. Lactant. *de opific. Dei cap.* 6. Impurior adhuc fuit (namque gradus ſuos illa ſecta habet) Martialis, *vid. lib.* 4. *epigrammat. num.* 21. Inter recentiores, Pomponatius, Pomponius Lætus, & Calderinus Atheiſtæ ſeu Epicuræi fuerunt. Bucholtzer, *in Chronolog. fol. m.* 434. Superioribus annis, hanc impietatem fovit Julius Cæſar Vanninus, qui de admirandis naturæ arcanis, ſcripſit librum ſatis eruditum, ac à Theologis Pariſienſibus approbatum. Qui tamen ſtatim mihi ſuſpectus fuit, cùm omnia tribuat naturæ, eámque etiam Deam magnam vocet, ac frigidè ſatis Epicuræos refutet. Ac is idem anteà conſcripſerat tractatum, titulo ſpecioſo ornatum: eum enim indigitavit *Amphitheatrum Providentiæ æternæ*: in quo ex profeſſo Epicuræos oppugnat. Sed tamen poſteà Atheiſmi, ejúſq; propugnationis callidæ atq; occultæ convictus, ſupplicio crudeli in Galliâ effectus fuit. Roſſet, *hiſtoir. tragiques num.* 5. Eo etiam nomine vitanda ſunt plurima dogmata Hieron. Cardani, & quoque Philoſophiæ Epicurææ Democritianæ, Nicolai Hill. Angli. Atheiſmo item illi ſubtiliori addictus olim fuit Franciſcus Junius, Theologus inter Proteſtantes præclarus, poſteà iſto errore feliciter liberatus, *vid. vitas Theolog.* Melch. Adami, *fol.* 195. Epicureiſmus autem in eo cumprimis laborat, ut omnis religio contemnatur, meútque divino omni animus liberetur. Lucretius *lib.* 1. Ac ſola Natura pro Deo habeatur, Lactantius *lib.* 3. *cap.* 28. quod & fatetur Lucianus, *in Alexandro Pſeudomante tom.* 1. *fol. m.* 570. ubi paſſim Chriſtianos & Epicuræos committit. Hodiè his omninò ſunt aggregandi, qui Religionem uſurpant pro ſtatus ratione. Boccalini, 2. *di Parnaſo. ragguagl.* 13. Qui ſciunt errores religionum, & ideò nullam colunt, Lactantius 2. *cap.* 3. Veriſſimúmque Atheiſmi principium eſt, negare omnia, quæ non videntur: Deum, Angelos, animam, Dæmones, conſcientiamque ipſam, vide Lactant. *lib. ult. cap.* 9. *& 13. ad fin.* Sicq; Lucretius, *lib.* 3. ſatagit probare,

bare, inferos non esse metuendos. Ac pro atheismi probatione habetur, spiritus negare, Jacob. magnæ Britanniæ Rex *in operib. fol. 87.* Dæmones non credere, sagas, & quæ de sagis feruntur, imaginaria esse docere. Binsfeld. *de confess. maleficor. fol. 3. &c.* animas vel omnes, vel saltem impiorum, mortales reputare, Cardinal. Bellarminus, *lib. 4. de Christo cap. 7.* Pii magis firmiter credunt & suspiciunt, quæ non vident: indeque fides & spes præcipuæ sunt virtutes Christianorum, quas Epicuræi ignorant: & omnia quæ fides suggerit, superstitiosa esse putant. Hisque similes videntur, qui miracula omnia tollunt; & adunco naso suspendunt, ac dum superstitionem fugiunt, contrarium vitium incurrunt. Athei etiam omnia, sensuali ratione, probare, nullam credere rationem rectam, conscientiæ impressam. In omnibus sequi brutalem naturam, eique frena laxare, nec (quod urget religio Christiana) studere mortificationi. Nil turpe existimare, quod bestialis non improbat natura: ut solent Apostatæ Mahumetani, Budo Wez. *in circulo, fol. 176. &c.* Atheorum etiam proprium est, statuere omnia esse incerta: ut Pyrrhonici faciunt; cuncta defendere, omnia evertere, ut nescio quis, qui se sub nomine N. C. Cosmopolitani occultavit, & libellum, cui titulus, *libera Philosophia*, conscripsit. Tales etiam sunt auctores, qui quæque certissima convellere, & in dubium vocare nituntur, quemadmodum Sanchez. *in tr. Quod nil scitur.* Certè quod invitus dico, multa habet ad Atheismum declinantia Michael Montanus, *in libro des essais.* Gallorum Socrates, & quem summis laudibus evehit Lipsius, *in Epistol. ad eum scriptis.* Hic certè perpetuò dubitat, jus naturæ rationale negat, gentes solo naturæ ductu viventes, quales fuêre olim Amiricani, aliis præfert: sensibus certitudinem adimit, brutis rationem adscribit; sed tandem tentatio Atheismi est felicitas impiorum, *Psalm. 73. vers. 10. &c.* quam facilè vincet, qui credit post hanc vitam aliam esse; in quâ præmiorum, pœnarúmque justissima distributio erit.

CAP. II.
DE
Potestate seculari, in Personas, ac Bona Ecclesiastica.

POtrò etiam potestas secularis, seu Laica, ut nunc appellant, indirectè attingit RES SACRAS; non quidem ut sacræ sunt, sed quatenùs naturâ sunt constitutæ. & ad naturæ ordinantur finem. Cujusmodi præcipuè duo censentur: BONA inimirùm ECCLESIASTICA

&

& PERSONÆ. Ea quippè cùm per religionis consortium non egrediantur mundum; sub seculari proindè Imperio manere censent, etiam Catholici nonnulli, Nicolaus Crassus, *in Antipareneſi ad Baronium, pro Republicâ Venetâ fol.15.* Ærodius. *1.tit.4.cap.2. & seq. & tit.5. per discurs.* videatur Gerhardi *loco de Magistratu nn.440.* Barthol. Musculus, *de successione cenventionali, membr.2.fol.90. &c.* Henric. Eckard. *tract. de magistrat. fol.252.* David Pareus, *de jure Principum contra Papam, quæst.2.* Reinkingk, *lib.3.claſs.1.cap.8.num.7. &c.* Et proindè exemptiones, immunitatésque Clericorum, ad Ecclesiásque spectantium bonorum, jure positivo introductæ censentur: & in potestate esse ejus, cui Imperium est summum. *argum.novell.83.auth.statuimus, C.de Epiſcop. & Clericis.* Cæphallus, *quæst.commun.contr.comm.550.* Ventura Vincēt. *conſ.de controverſ. Venet. cap.8. per tot.* Thomas Michaël *de Iurisdict. theſ.10.* Hùc spectat quod dicitur vulgò, Ecclesiam esse in Republicâ, non Rempublicam in Ecclesiâ. Optat. Milevitan. *lib.3.* Et ἀπεδύτως omninò Catholici nonnulli argumentari putantur: Ecclesiastici sunt exempti ab officiis civilibus, propter privilegium. Legibus proindè civilibus amplius non sunt subjecti, & totaliter exempti. Diss. Carnin. *in turri Babel.part.3.cap.2.fol.562.* & consule omninò Bellarmin. *1. de Clericis. cap.28. &c.* Ac quoque ex sententiâ communiori, Ecclesia ejúsque personæ, in; non verò de territorio sunt. Cardinal. Tuschus, *lit. E concluſ.15.* Sed verò Anticatholicis, doctrina reputatur Antichristiana, quæ subtrahit Principibus tot, quot Clerici fiunt. Nullo cum statu (ajunt) axioma hoc stare posse, quin eum sub jugum Romani Pontificis mittat. Non tutum putant, si Clerici patriam peculiarem, Rempublicā constituant peculiarem. Hácque plenariâ exemptione, nihil posse cogitari Reipublicæ magis perniciosum. Nihil iniquius existere, quàm si dicatur, Clericos subditos non esse: cogi pro Papâ contra Rempublicam pugnare, &c. Et hæc eadem doctrina, immediatè Regum parricidia parere, autumat Leidhresser. *1. cap.4.* Exemptio Clericorum replet Rempublicam hominibus peregrinis; qui Reipublicæ quidem non prosunt, sed tamen civibus præripiunt fructus. Exemptio hæc eripit Ecclesiis jus eligendi pastores: trahit homines & pecuniam Romam, ut putat Arnisæ. *tractat. de subject. & exemptione Clericor. cap.2.* Qui idem *cap.3.* docere satagit: Clericos quò ad Personas, non esse exemptos à jurisdictione seculari, ex jure divino, vel praxi Ecclesiæ primitivæ; sed secundum quid, ex privilegio Principum, latè Petrus Molinæus, *tractat. de Monarch. cap.15.18. & seqq.* Et item *cap.4.* evincere conatur Arnisæus, adstipulatúrque Cævallos, *quæst.899.* Bona Ecclesiarum & Cleri, non transire extra Reipublicæ jurisdictionem. Juvat audire, quâ ratione,

tione Anno 1606. Parmensis Princeps, Clericos suæ ditionis adegerit ad contributionem, apud Mercurium Gallicum, *tom.1.fol.*101.*b.* Prohibuit enim, ne decimas ipsis Laici solvant. Sed tamen etiam apud Ægyptios olim Sacerdotum bona immunia erant, Pererius, *in Genes.tom.*4. *fol.* 956. Ac item apud Ethnicos quondam, Juliano Imperatore teste; Præses qui templum ingrediebatur, privatus: Sacerdotes intus judices erant. histor. Tripartit. *lib.6. cap.29.* Ac apud Christianos, in Conciliis antiquis, Episcopi ab Episcopis judicati fuerunt, Tripartita. *lib.5.cap.*34. An Pontifex sub Imperatore, & ab eo puniri queat? disputat Cardinal. Bellarminus, 2. *de Pontificib.cap.26. ac seqq.maxumè cap.29.* Ac item tempore Heinrici VI. Imperat. ad eum Episcopi scribunt: Vobis quem Deus Principem, & Imperatorem Romani orbis exaltavit, cui hominũ fecimus, à quo & temporalia possidemus, ad assequendas omnes justitias vestras tenemur assistere. Lehman. *lib.5. cap.67. fol.*547. Sed id fit intuitu temporalium bonorum, Lehman. *dict. cap.fol.*540. *& seq.* ubi Hadrianus IV. P.M. per legatos coram Friderico Imperatore, proponi fecit, Episcopos Italiæ solum sacramentum fidelitatis sine hominio facere debere Imperatori. Ac idem Imp. apud Radevicum, *lib.2. cap.*30. Episcoporum Italiæ ego quidem non affecto hominium, si tamen & eos de nostris Regalibus nihil delectat habere. Qui si gratanter audierint à Romano Præsule: Quid tibi & Regi? Consequenter quoque ab Imperatore eos audire non pigeat: Quid tibi & possessioni? Anno Christi 1430. Clerici Spirenses, jus civitatis impetrârunt, Senatúsque jurisdictioni in temporalibus sese submiserunt, vide Lehman. *lib.* 7. *cap.89. ad fin.* Absurdum pariter judicant Protestantes capitulum 10. *extr. de constitut.* ubi dicitur; quòd Laicis super Ecclesiis & personis Ecclesiasticis, nulla sit attributa facultas; quos obsequendi maneat necessitas, non auctoritas imperandi. A quibus si quid motu proprio fuerit statutum, quod Ecclesiarum respiciat commodum atque favorem, nullius existere firmitatis &c. consentit *distinct.96. & seq.* Sed vicissim Catholici urgent, semel ita constitutum, ac totius ferè orbis consensu receptum fuisse. Quâ de re dispiciat, qui in antiquitatibus, tam politicis, quàm Ecclesiasticis sunt versati. Certè Alemannus, *in notis ad Procop. histor. secretam.fol.*110 putat, magis peccâsse Justinianum, quod de rebus Canonicis tulerit leges, ac si eas evertisset.

II. Sed pergunt argumentari Protestantes. Quamvis administratio illa quæ animum regit, dignior sit alterâ quæ corpus; sed tamen eam dignitatem non metiendam esse ex usu seculi; sed cœli. Rittershus. *ad Novell.part.*1.*cap.*7.*num.*109. *&c.* Hâc itaque ratione, & intuitu dignitatis spiritualis; non habere putantur Clerici prærogativam in his,

quæ

quæ concernunt dignitatem temporalem. vide Ærod. *lib.* 1. *tit.* 4. *cap.* 1. Cunæum, *de Republ. Iudæorum fol.* 131. Ac quemadmodum regnum spirituale, toto genere differt à mundano; ita & dignitas utriusque. Licèt Ecclesiasticæ dignitates, quamvis inferiores gradu, non perperàm quibusdam secularibus præferantur. vide Conrad. Lancellot. *templ. omn. Iudic.* 2. *cap.* 1 § 1. *fol. m.* 533. Venit Christus è cœlis, eam ut Politiæ partem, quæ animi bonum spectat, procuraret: & quosdam instituit quasi magistratus, hos tamen ministros maluit appellari, *Iohann.* 13. *vers.* 16. 2. *Corinth.* 3 *vers.* 8 & *cap.* 4. *vers.* 5. 1. *Corinth.* 4. *vers.* 1. & *cap.* 3. *vers.* 5. *Coloss.* 1. *vers.* 25. Daniel Chamier, *de Oecumen. Pontif.* 1. *cap.* 1. *fol.* 96. Sicque nullam potestatem habere putant Divini verbi ministros, ne in conscientias quidem. *Matth.* 20. *v.* 25. ubi Beza, *in adnot.* Ac de Ecclesiasticâ potestate Pontificiâ, ac illa quam veram & concessam putat, pluribus agit Gerhardi, *loco de Ministerio. num.* 191. *ac multis seqq.* Atque, nùm liceat Ecclesiæ ministro, magistratum publicè peccantem arguere, docet Gerhardi, *dict. loc. num.* 287. Licet item huic ministerio, hoc est, disciplinæ atque doctrinæ, juxta verbum Dei subesse & obtemperare, per conscientiam etiam teneantur ii, qui majestatem habent: Oves enim debent audire suos pastores. Attamen hoc eatenùs tantùm verum autumant, quatenùs pastoris peragunt munus. Zepper. 2. *de legib. Mosaicis. cap.* 5. *fol.* 161. Pareus, *de jure Princip. fol.* 86. Christ. Matthias Dithmarsi. *colleg. politic.* 2. *disput. ult. thes.* 21. Pari ratione, quâ ipsi Catholici dicunt; Papam Sacerdoti, cui tenetur confiteri, in illo actu subjectum esse: Sacerdotem posse illum ligare, absolvere, Panormitan. *extr. de pœnitent. & remiss.* Bellarminus, 2. *de Pontific. cap.* 29. *ad fin.* Sicque Theodosius Imperator pœnitentiam publicam egit, Ruffin. *histor. lib.* 10. *c.* 18. & vide omnin. histor. Tripartit. *lib.* 9. *cap.* 30. Ita & Valentinianus Imperator, fatetur, Episcopum supra se esse: ejúsque monita patienter tulit. Tripartit. histor. *lib.* 7. *cap.* 8. Ac item honoris ergò Episcopi Cæsari prælati fuerunt, Bellarmin. 1. *de Pontific. cap.* 7. *fol. m.* 199. *col.* 2. qui tamen *fol. seq.* concedit: Etiam Episcopos Regi subjectos esse debere, in iis, quæ pertinent ad politicum statum. Et hinc apparere ajunt: primatum in temporalibus & spiritualibus, quem sibi arrogat Pontifex. *cap. unam sanctam. in extravag. de majorit.* veram & genuinam esse notam Antichristi: omni ex parte Salvatori nostro, ejúsque Apostolorum functioni cùm sit contrarius. Quin nec etiam ministerium verbi, Hierarchia ipsis est, ut vult Concilium Tridentinum, *sess.* 23. *can.* 6. vide Henric. Eckhard. *de ordin. eccl. siast. part.* 1. *sect.* 2. *quæst.* 1. & David Pareum, *tract. de potestat. Principum contra Papam quæst.* 3. (vide tamen Dionys. Areopagit. *de eccles. hierarch. cap.* 2.) Et neque Pontificem Romanum,

etiam optimè se habentem, pro capite Ecclesiæ, seu universali Episcopo, ne humano quidem seu positivo jure agnoscendum; eámque agnitionem, non tàm unitati in Ecclesia conservandæ, & licentiæ diversum de religionis articulis sentiendi, loquendi, docendi, impediendæ; quàm libertati necessariæ, & verbo Dei consentaneæ auferendæ, & tyrannidi introducendæ serviisse hactenùs, & naturâ suâ servire. Veruntamen alii minùs rixosi, religiosæ semper sapientiæ esse asseruerunt, Curiam Romanam ab Ecclesiâ, in quâ Pontifex sedet, interstinguere. Jacob Arminius, *in coroll. disput. Theolog. publ. 21. fol. 203.* Et Philippus Melanchthon, *in locis ipsi Formulæ Concordiæ insertis*, reputavit, Pontificem & Episcopos suo modo à Protestantibus tolerari posse. Vicissim etiam Catholici multi, subjiciunt Pontificem Maximum Concilio universali; adidque à Pontifice adpellari posse concedunt. Hervvart. *contra Bzovium, pro Ludovico IV. fol. 243. & seqq.* ubi etiam de causis, ob quas talis suscipi appellatio queat.

III. Hâc itaque ratione, quâ Clericis totalem denegant exemptionem; quotiescunque aliquid contra honestatem, statúmve politicũ ii attentant; ullo fine fori privilegio, à magistratu coërceri queunt Civili. Roman. *cap. 13.* & ibi Divus Chrysost. *1. Petr. cap. 2. vers. 13. can. magnum. 28. cauß. 12. quæst. 1.* Cævallos, *tract. opin. commun. contra comm. quæst. 901.* Diss. Cardinal. Tuschus. *lit. C. conclus. 385. &c.* Hâc eâdem ratione, statutum Principis secularis, etiam bona Ecclesiastica regulariter ligat. Morla, *in empor jur. tit. 1. quæst. 6.* Sic olim Vestales, qui pudicitiam prostituerunt, à Prætoribus Urbanis, non à Pontificibus coërcitas fuisse, historiæ attestantur. In Ecclesiâ primitivâ, ne minimam quidem jurisdictionem, Pontifices in Sacerdotes sibi arrogabant, teste ipso Justiniano, *Novell. 123. l. repetita. C. de Episcop.* Ex hoc deducunt, Læsæ Majestatis Crimen, Clericos æquè ac Laicos committere posse. Dn. D. Bocer. *3. de regal. num. 102.* Alberic. Gentil. *de Crimin. Majest. disput. 5. fol. 113.* Johann. Camman. *disput. de jur. majest. 10. th. 34.* Quin & ipsum Papam, si adversus Imperatorem insurgat, crimine majestatis se polluere, censent Dn. D. Bocer. *de crimin. majest. cap. 1. num. 16. & c.* & dixi *supra discurs. 1. de majestate in genere, ubi de Pontifice egi*, addatúrque *lib. 2. Feud. tit. 100.* Hácque de causâ Salomon, summum Pontificem Abiatharem exauctoravit. *1 Reg. 2.* idémque in Galliis accidit Episcopis nonnullis; sed adhibito consilio aliorum Episcoporum, Jehann. Papon. *lib. 22. tit. 1. arrest. 2.* Ac de Caroli Magni in Episcopos potestate, consule Lehmann. *lib. 2. cap. 41.* Sed verò semper ille extollit Statuum potestatem, quam habuerunt in Francicos Reges: eosdem tamen absolutos facit, cùm de auctoritate Regis in Ecclesiasticos agit, *v. dict. cap. ad fin.*

IV. Et

IV. Et hoc itidem innituntur fundamento, Serenissimæ Reipublicæ Venetæ Statuta: de Bonis Emphyteuticis Ecclesiasticis; & de non ædificandis novis Ecclesiis inconsulto Senatu; Laicorum item immobilia, in Ecclesiam ne alienentur prohibentia, quibus Pontifex Maximus, ejúsque allectæ, antè aliquot annos eo nomine litem moverunt. Barthol. Musculus, *de succes. convention. memb. 2. fol. 60.* Brunning. *diss. de jure Universitat. th. 55.* Et videndi pro Venetis qui scripsêre, Giovan. Marsilio, Paolo da Venetia, *dell' ord. de servi.* Fulgentio Brescian, Ventura Vincentius, Nicolaus Crassus, item Mercure François, *tom. 1.* sub Anno 1606. *& seq.* & Tractatus cui titulus, *Pieces du memorable proces, esmeu entre le Pape, Paul. V. & le Seigneurs de Venise.* ac item Goldast. *tom. 3. de Monarchiâ.* Cui præcipua Venetorum scripta inserta sunt. vide etiam Arumæum, *discurs. 2. vol. 2. jurispublic.* ac me *lib. 2. polit. cap. ult. fol. 828. & seq.* Sic Valentinianus, Valens & Gordianus vetuerunt, Ecclesiasticos aliquid per se, vel interpositos adipisci, ex bonis viduarum & pupillorum, nisi jure propinqui: aliter id Fiscus usurpabat, *l. 20. C. Theod. de Episcop. & Cleric.* Simili exemplo alibi prohibitum fuit, Ecclesiæ & Clericis testamento aut fideicommisso aliquid relinqui, à Diaconissis & viduis, quibus supererant affines & proles, *l. 27. C. Theod. dict. tit.* scilicèt ne opibus insolescentes & corrupti, minùs pii essent, minùs integri. Exemplo Æsopicæ Gallinæ; quæ strigosa & malè habita, singulis diebus singula ponebat ova, saginata pòst, parere desiit. Etiam ne prætextu religionis, legitimi & consanguinei spoliarentur heredes: ac ut simplicium & credulorum animis, non ampliùs heredipetæ, & sordidi testamentorum illudere queant captatores. Quas ideò Constitutiones laudavit D. Hieronymus, *libr. de vitâ Cleric.* & illas arte tacitâ dolet eludi. Non de lege, ait, conqueror; sed doleo quòd meruimus hanc legem. Provida severáque legis sanctio; & tamen ne sic quidem refrenatur avaritia: per fideicommissa legibus illudimus &c. vide Guil. Forner. *select. 1. cap. 28.* Verùm paulò pòst lex ea fuit abrogata, *l. 48. C. Theod. d. tit.* At denuò Carolus Magnus veteri renovato jure, vetuit bona tradi Ecclesiis in fraudem heredum, ut est in capitularibus 1. *cap.* 89. adde Servin. *tom. 1. plaidoye* 2. & *tom. 3. plaidoye* 4. Sed sanè & olim in Angliâ, nequaquam fas fuisse videtur, heredia nisi Regis gratiâ impetratâ, Cœnobiis addicere. Johann. Selden. *in Ian. Angl. lib. 2. fol. 91.* Nec hoc jus in Germaniâ omni tempore infrequens fuit. Ita Carolus IV. Imperator privilegio singulari Reipublicæ Francofurtensi cavit, Daß die Geistlichen was ihnen von Weltlichen verschafft worden / in Jahrsfrist an einen Burger zuverkauffen schuldig sein sollen. Hoc idem volunt Civitatis Coloniensis Statuta, seu concordata, *artic.* 7. Wie man Erbe / so kein

kein Schreingut ist (das man in ein Kisten einschliessen kan) verbriefen soll an weltlichen vnd geistlichen Personen / *& artic.* 64. Erb vnd Güter so geistlichen Leuten gesetzt / binnen Jahr vnd Tag zuverkauffen. Et in iisdem Statutis, *fol.* 64. *vide aliquot articulos sub rubr.* Das seind die alten Gesetze vnserer Vorfahren / zuverhüten / daß die weltliche Erbe / in die geistliche Hand nicht kommen / noch verbleiben soll / Anno 1385. auffgericht. Ac extat apud me Ferdinandi Austriaci, Romani Regis, & tùm temporis Würtembergici Ducatus possessoris, pragmatica sanctio, de Anno 1524. 14. Octobr. propriâ illius manu subsignata, ad omnes Würtembergiæ Cives, daß den Geistlichen forther kein Grund / Gült oder Zinß / dann auff ewige Widerlosung verkaufft werde. adde tractat. Petr. Peck. *de amortisat. bonorum.* Rutger Ruland. *de proceß. executiv. fol.* 60. *&c.* Dn Bocer. *de collectis, cap.* 11. *num.* 22. *&c.* Klockh, *de contribut. th.* 33. *in disput. Basileens.*

V. Fuerunt etiam ante Carolum Magnum, divitiæ Ecclesiarum, Principibus Francis odiosæ. Undè *apud Gregorium Turonens. lib.* 6. *histor. Francor. cap. ult.* Hilpericus Rex; Ecce pauper remansit fiscus noster: ecce divitiæ nostræ ad Ecclesias sunt translatæ. Nulli penitùs nisi soli Episcopi regnant: periit honor noster, & translatus est ad Episcopos Civitatum. Quod & refert Lehman. *lib.* 2. *cap.* 35. *fol.* 136. ubi scribit, in Germaniâ pauperes tùm Ecclesias fuisse, eámque ob causam, quòd olim alia ibi, quàm in Gallia religio esset. Sed probabiliter magis causa hujus rei assignatur eò, quòd minùs culta, magisque tùm barbara esset Germania nostra, & post Gallias demùm ad fidem conversa. De divitiis Ecclesiarum, vide etiam Cusam, *3. de concord. Catholic. cap.* 27. & Reinkingk. *lib.* 3. *class.* 1. *cap.* 8. *num.* 26. *&c.* Ac ratio, cur olim Ecclesiæ divitiis cumulatæ fuerunt, hæc affertur, *in d. tract. Pieces du proces. entre le Pape & le venit. fol.* 118. *& seq. Anciennement que l' Ecclesiastic. estoit gouverné en la maniere institué par les saincts Apostres, & observee par les Saincts Peres; il estoit utile qu' il possedast de grands biens: estant au corps de la republique comme un estomach, qui reçevoit bien toute la viande, mais en retenoit fort peu pour soy, à fin d' en beaucoup distrubuer aux autres. C'est pour quoy aussi il y avoit presse à qui donneroit aux gens d' Eglise; parce que tant plus ils avoient de biens, d' autant plus grande estoit l' utilitè publique: en faveur de laquelle, ils se faisoyent tuteurs & curateurs des pauures, de façon, qu' il n' y avoit aucune monstruositè en la Republique: attendu, que les biens Ecclesiastiques estoient communs, & donnoient avec proportion aliment à tout le corps, & non pas à une partie seulement. Mais depuis que ceste loüable coustume est cessee, les richesses ecclesiastiques sont tellement accreües, que le corps de la republique, en est tout*

dispro-

disproportionee. Et alibi. *En ce domaine l'estat des Ecclesiastics est un membre, qui peut faire le centiesme partie du nombre universel des personnes; & cependant il a non seulement une portion des biens à l'equitè, mais en à tiré sur le Padoüan plus d'un tiers; & sur le Bergamasque plus de la moitie: & n'y alieu, ou il en possede pour le moins un quart des biens. Que s'il estoit permis d'en acquerir encore; il n'y a point de doute, qu'il se rendroit en peu de temps maistre, Seigneur, & proprietaire de toutes les terres, & heritages du Pais.* Et hæc sunt quæ pro causæ suæ defensione Veneti Patroni prætendebant. Ac in Galliis $\frac{2}{5}$ omnium Proventuum, Ecclesiasticis cedere, adnotat Auctor Thesauri Politici, *edit. Ital. part. 1. fol. m.* 180. Quando verò ibidem divites redditi fuerint Ecclesiastici, vid. Dn. D. Lansium, *in Consultat. Orat. pro Gall. fol.* 170. Habent verò plerunque Principes ac Reges jurisdictionem in ecclesiastica bona, jure reservationis; quia ab eis provenerunt. Sicq; in Silesiâ Abbatiæ & Monasteria pleraque in Patrimonio Principis sunt. Henel. *in Silesiograph. cap. 6. fol. 66.* ut & in Bohemia idem receptum ajunt: ac id nuperis motibus ansam dedit, quòd hoc Ecclesiastici fateri noluerunt, & in majestatis literis subditos ecclesiasticorum comprehendi negârunt. Pertinet hûc jus Advocatiæ, seu Clientelæ aut Patronatus, quod sibi asserunt Principes in Monasteria, ac Ecclesias suarum ditionum, vid. Dn. Magerum, *de Clientelâ armatâ.* De Constantini donatione fictâ, alicubi jam supra dixi: & in eam falsè invehitur Ariosto *in Orlando, cant. 34. Stanza 80.*

VI. Omnem insuper religionis abusum, in præjudicium legitimè constitutæ Reipublicæ tendentem, Imperium politicum rectè tollit. Et sic Reges Francorum, ad coërcendum & refrenandum abusus & supergressiones Ecclesiasticorum, & ipsorum etiam Pontificum Romanorum; jam supra annos plusquàm mille, multas leges sancivêre, & Edicta, Molinæus, *de Monarchiâ Franc. num. 99. & num. 139. &c.* De libertate Ecclesiæ Gallicanæ, scripsit du Tillet, ubi multa pro potestate Regis, contra Ecclesias, Ecclesiasticásque personas. Ita etiam Romæ, nocturna sacra nunquam tolerata fuerunt: ne velamenta essent cætibus illicitis, Livius *lib. 39. ubi de sacrilegiis Bacchi sacris.* Et illicitis collegiis mantellum ferè sunt ceremoniæ atque sacra. *l. 1. §. 1. de colleg.* Idem statuunt multi de Ordinibus & Monasteriis novis. *Par le moien d'un Monastere nouvellement erigè, beaucoup d'estrangers de diverses nations, mesme quelquefois de volonte contraire à ceux du pais, peuuent facillement s'assembler soubs un chef: corrompre la fidelitè de subjects; par le facilitè qu'il sont de conferer ensemble, soubs pretexte des confessions, & autres*

conver-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 3, [113] - 111

conversations & exercices spirituels. Pieces du proces entre le Pape & lui venit. fol. 106. Et hoc idem graviter illustrat Ludovic. Servin. *tom.1. plaidoye.3. contre la congregation des penitens bleus. fol.* 217. Carolus M. etiam prohibuit; nec liber subterfugiendo militiæ onera, Monachus reddatur: quod & Imperator Mauritius fecit; eóque nomine à B. Gregorio M. reprehensus fuit, Pasquier, *4. des recherch. cap.6.* Porrò autem in Republicâ Castellanâ, qui à judicibus ecclesiasticis, vi vel censuris opprimuntur, ad Regios Auditores & Consiliarios, in supremis Prætoriis jura reddentes, provocare queunt. Itidem in universum apud Hispanos, potestas Legatorum seu Nuntiorum Apostolicæ sedis examinatur; ut maturè admoneri possint à summo Regis prætorio, quibus uti cõveniat dispensationibus & commissionibus, ne in reipublicæ dispendium quid fiat. Covarruv. *practic. quæst. cap.* 35. Morla, *in empor. tit.2. quæst.*14. Cævallos, *tom.*4. *opin. commun. quæst.* 897. Quod & utrumque in Galliis fieri solet. Ac inibi vocant *Appellations comme l'abus.* Gilles de Maistre. *aux decis.* Jehan Papon. *aux arrests. lib.9. tit.2.* Coras. *in centur. S.c.c. Curiæ Tholosan. cap.*81. Estienne Pasquier. *3. de recherches. cap.*27. *& seq.* Petrus Costalius, *in adversar. ff. ad fin. tit. de legib.* ego, *in tractat. de appellatorio juvamine, cap.*4. *num.*11. *fol.*141. vide Thuanum, *lib.* 16. *fol.* 735. De potestate Nuntiorum Apostolicorum, in Galliæ regnum missorum, vid. Servin. *tom.*4. *cap.*3. *&* 4. Quâ verò ratione in Italiâ, & aliis itidem in locis, ecclesiasticis sub religionis prætextu rempublicam turbantibus præstruatur, docet Nicolaus de Morbais, *en la supplicat. à l'empereur &c. sur les causes d' assembler un concile, fol.m.*240. *&c.* Quomodo inhibitiones vel citationes, in causis civilibus à consistoriis ecclesiasticis impetratæ debeant impediri, latè sanciunt Cõlnische Statuta, *art.*60. *& seqq. item artic.*94. Pariter etiam, ultima cognitio de excommunicationibus, ideò ad jus majestatis referri debet, ne ecclesiastici eâ abutantur, nevè pœnam ultra ecclesiasticam disciplinam extendant. Bõrtius *apud Arumæum tom.*1. *discurs.*30. *cap.*3. *th.*38. *fol.*888. Hâncque majori excommunicatione innodandi potestatem, non ab Apostolis; sed ex Druidarum disciplinâ sumpsisse sibi Pontifices, aliósque ecclesiasticos, probabile putat Joann. Selden, *lib.*1. *Iani Angl. fol.*17.

adde Johann. Zanger, *tract. hac de quæst. singular.*

CAP.

CAP. III.

An & quatenus ipsa Religio, cultusq; Religiosus, in Principis, eorumque, qui Majestatem habent, sit administratione.

Hæc omnia verò hactenùs dicta, ut non admodùm impedita esse videntur: ita nunc propiùs ad rem accedendo; ipsa Religio & cultus religiosus, nùm in Principis sit administratione? (salvo tamen semper rectiùs sentientium judicio) dispicere lubet. Peculiaris est Ecclesiasticus ordo, à Politico & œconomico distinctus, Henric. Eckhard. *de ord. Ecclesiast. part. 1. sect.* . Huicque ordini competens interna potestas, à solis Ecclesiasticis exercetur ritè: solvendo, ligando, sacramenta administrando. Excommunicatio quoque minor, seu retentio peccatorum (aut etiam exclusio à SS. Cænæ communione, Dn. Felix Bidembach. *Dec. 10. cons. ult.*) pertinet ad Jurisdictionem hanc interiorem. Indè etiam Ecclesiæ Minister, non est sub Magistratu seculari, ratione perceptæ confessionis: undè eam revelare nulli tenetur. vid. R. P. Mart. Del-Rio, *6. cap. 1. sect. 2. tractat. de magis.* Sic & Saul perdidit Regnum, quod ipse sacrificâsset; remque ad Sacerdotem propriatim spectantem, attentâsset. 1. *Samuel* 13. *vers.* 11. *&c.* quod tamen aliter interpretatur, Drusius, *in notis ibid.* Ergò in hoc solo, omnis controversiæ cardo versatur: An vigore architectonicæ potestatis, Princeps quò ad externum cultum leges ferre, & quatenùs item Fidei negotium promovere queat? Quæ quæstio à Pareo, *tractat. de Iure Princip. contr. Papam fol.* 72. magni momenti dicitur: & explicatu tàm difficilis, quàm maximè digna. Verùm enim verò, Religio & Pietas etiam ex mente Protestantium saniorum directò non curæ sunt politicæ administrationi. Ea enim externam tantùm incolumem servat honestatem; ac ita circa alias res, quàm circa quas Evangelium versatur, Wigel. *in tr.* orth der Welt *cap. 24. ad fin.* Indéque non propriatim Imperii vi, Regibus aliisque Imperantibus, ordinatio seu Regimen Ecclesiæ, & Ministerii Ecclesiastici competere videtur, arg. *Ioh. 7. vers. 48. &c. & cap. 18. vers. 36. 1. Corinth. 1. vers. 26.* Timpler. 4. *Politic. cap. 2. quæst. 1. ad fin.* Martinus Luther, im Büchlein von der Weltlichen Obrigkeit. Vt quæ ad benè beatéque corporalem hanc vitam degendam necessaria sunt, habeamus: Respublicæ sunt institutæ; quas etiam extra Ecclesiam, Deus & vigere voluit, & conservat quandiu videtur. Ipse

quippè Christus inquit: Date Cæsari quæ sunt Cæsaris. *Matth. 22. vers. 21.* Ac ut deprecationes & preces fiant pro Regibus,& quibusvis in eminentiâ constitutis,adhortatur B. Paulus. 1.*Timoth. 2. vers. 1.* & item Daniel Propheta,*cap.6.vers.22.* Qui tamen eo tempore hostes Ecclesię fuerunt. Christus verò è cœlis venit,assùmptâ servi formâ, ut Ecclesiam cõstitueret,id est,eam philosophiam & Politiæ partem, quæ animæ atque spiritus procurat bonum: instituítque quosdam magistratus, quos tamen (ut jam modò dixi) ministros maluit appellari. Cujus ministerii juri, nihil est commune cum alterâ politiæ parte, quæ temporalia concernit:& è contra. Confess. August.*in artic. ubi recensentur abusus, tit. de potest. eccles.* Henric.Scotanus,*in parat.lib.1.C.tit.13. fol.91.*

II. Nihilominùs,quia (1) Ecclesia aristocraticè, (haud democraticè,Bellarmin.1.*de Pontif.cap.6.* nec etiam monarchicè) gubernari debet,latè Parckerus,*tract.de Politia.eccles.lib. 3. cap.13.& multis seqq.* Beza,*ad cap.Matth.18. vers.17.* Balthasar Meisnerus *de regimin. eccles.* ego *in tractat.de appellat. cap.4.section.* 10. (operosè tamen contrariũ probat Bellarminus,ac pro Monarchiâ propugnat,quem vide 1.*de Pontific.cap.5.& 9.ac seqq.ut & lib.2.per discurs.*) Et ii, (2) qui majestate pollent,ejus præcipua membra censentur: omnes enim corpus unum in Christo sumus, singuli autem Christi, atque alii aliorum membra. Gregor Nazianzen.*orat. 26.de moderat. in disput. servandâ.* Ac omnia (3) quia ordinatè, maxumè in ecclesiâ fieri debent. Magistratus ideò civilis,& præsertim summus (tanquam defensor & protector ecclesiæ, ecclesiasticæque disciplinæ) id quod unà cum ecclesia constituit, exequi,errores tollere,puráque in ecclesiâ,secundum scripturam,ut vigeat religio,curare & ordinem debitum instituere debet. Georgius Cassander,*consultat.de artic.inter Catholic.& Protestant. controvers. artic.16.* Cusa,3 *de concord.catholic.cap.7.& 11.item 26.* Et quidem solùm ob faciliorem exequutionem,non proprio jure. Nec ut Principi (namque aliâs hoc competeret etiam infideli) sed ut Principi Christiano, hocce attribuunt jus. Huc pertinet consilium Philippi Melanchthonis,quod scripsit Anno 1537. & quod ante aliquot annos Heidelbergæ,ac etiam Ambergæ,recusum fuit. Ubi probat,curam constituendi ecclesias, non ad solos Episcopos pertinere; nec etiam auctoritati superioris Domini obtemperandum esse,sed magistratus quoque inferiores hîc sese intromittere posse. Et ita ordinem, non Imperium requirit Melanchthon. Illustrissim. tamen Bellarminus, 1. *de Pontific. cap.6.* evincere conatur, non penes Presbyterium (seu seniores) regimen ecclesiæ esse,quod voluit Johann.Huss,& plausibilem rationem habet,præsertim intuitu ecclesiarum singularum: Sed cardo negotii in eo consistere videtur, quis

totam

totam ecclesiam catholicam & universalem regat? Quæritur ergò, an una ecclesia sit in toto mundo constituta à Deo Opt. Max. an verò ecclesiæ singularum nationum à cæteris sint sejunctæ, quemadmodum Imperia sunt diversa, quæ nihil invicem commune habent. Pontificis ideóque Romani assecla prætendunt, ecclesiam catholicam seu universalem esse, cujus etiam Apostolicum symbolum mentionem facit. Sicque porrò Bellarminus, *lib. 2. de Pontific. cap. 18. fol. 256.* dicit: Ut in ecclesia civitatis magnæ Episcopus est, in Provincia Archiepiscopus, in regno Metropolitanus; pòst Patriarcha: ita Pontificem esse super omnes.

III. Prætendunt Reformati, servitutem exitialem esse; ad nutum si Episcopi vel Pontificis (omni de religione Laicis adempto judicio) Imperantes credere, subditos ad credendum cogere, & in cunctantes gladium stringere teneantur, quod tamen defendit, D. Marta. *tract. de jurisdiction. part. 1. cap. 51. vid. can. oves. 2. quæst. 7. c. ubi nam. distinct. 96.* Ex hâc enim Jesuitis imputatâ traditione, Princeps & magistratus seculares, non nisi Pontificum carnifices feruntur spirituales: qui utpotè in eos, quos synedrium Inquisitionis reos judicat, animadvertere; rerúmque à Clericis judicatarum vigorem, in spiritualibus ac ecclesiasticis negotiis, cæcâ obedientiâ ad effectum deducere cogerentur; non secùs ac olim à Pilato, Scribæ atque Sacerdotes petierunt. *Iohan. 18. v. 30. & seq.* vide Barthol. Keckerman. *disputat. practicar. 35. problem. 14.* Id tamen ferè placet Reformatis quibusdam; qui omne judicium de religione Politicis adimunt, sibique solis transcribere nituntur. Contra quos disputat Hugo Grotius, *in pietat. Ordinum Holand.* Quæ contraria esse alii dicunt, Dei Opt. Max. mandato, quod Regi electo, Deuteronomii librum tradit; quem legat omnibus diebus vitæ suæ: ut discat timere Dominum Deum suum, & custodire verba ac ceremonias ejus, Deuteronom. 17. *vers.* 18. *&c.* Josuæ. 1. *vers. 8.* Et porrò non solis ecclesiæ ministris competere ajunt, ecclesiæ nomen. Parkerus *de polit. ecclesiast. 3. cap. 15.* Albicius *in exercit. Theolog. 4. de ecclesiâ, quæst. 1. fol. 52.* Nec ideò quæ ecclesiæ conveniunt, ab iis solis sunt expedienda. Quamvis Constantinus M. Imperator de Theologis noluerit judicare. histor. Tripartit. 2. *cap. 2.* ut & Justiniano vitio vertitur, quòd curiosus fuerit in decidendis theologicis controversiis, Aleman. *in notis ad histor. Procop. secretam. fol. 71. & c. ac 86.* Sicque Imp. Valentinianus, de dogmatibus noluit judicare: Mihi quidem, inquit, cùm unus de populo sim, fas non est talia perscrutari. Tripart. histor *lib. 7. cap. 12.* ut & Bellarminus. 3. *de verb. Dei cap. 7.* ex usu ecclesiæ, Laicis nil de religione decrevisse, ait, Sed Clericos & Papam. *etiam cap. 8. & lib. de Laicis.* idem *cap. 17.* nil pertinere

nere ad magistratum judicium de religione. *cap.* 18. dicit, magistratum debere defendere religionem, & errare eos, qui ajunt, omnem religionem esse permittendam.

IV. Vicissim verò, ut Imperantibus jus sacrum, catholici adimere conantur: ita è contra, è via regia (imò ferè magis) excedere puto eos; qui potestati architectonicæ, seu nomotheticæ, spiritualium rerum curam propriè attribuunt: & Principem, Imperio ac jure regio, cultum Divinum reformare posse, subditósque reformationi locum dare debere, censent. quod pluribus probare connititur David Pareus, *in præfat. dedicat. Commentarior. Oseæ. ad Mauritium Haßiæ Landtgravium, & tractat. de jure regum contra Pap. quæstio. ult.* Zepper. *2. de legib. Mosaic. cap* 2. cui ferè consentit Henric. Eckard. *tractat. de magistrat. fol.* 204. *&c.* Christian. Matthias Dithmarf. *colleg. polit. 2. disputat. 6. thes.* 4. *&c. & disputat. de normâ ac judice controverf. theolog. thes* 61. Jacob Arminius, *in articulis, junctis Epistolæ ad Hippolit. de Collibus, tit. de magistrat.* Parker, *de polit. ecclesiast. 1. cap.* 34. Ordinum Hollandiæ Decretum, pro pace ecclesiarum, de Anno 1614. *in comment. statim à principio.* Quæ opinio ut mitigetur, legendum est Consilium Brentii, **Ob die Widertäuffer zutödten.** quod extat *in dec. ad.* 4. *consiliar. Theologic. Felicis Bidembachi & est in ordine* 1. Minutius Celsus Senensis (quo se nomine occultare voluit Sebastian. Castellio, teste Simlero, *in epit. Biblioth. Gesnerianæ*) *tractat. de hæret. non occidendis.* Varii auctores, an hæretici sint persequendi, à Joachimo Cluten recensiti. (Sed à Sebast. Castell. compilati, ac sub nomine Martini Belli vulgati, vide Budovvez. *fol.* 238 *in circul. horolog.*) Lustranda itidem sunt ea, quæ contra Justum Lipsiũ, pluribus disputat Theodor. Coornhert. **Harmont etlicher Puncten vnd Artickel Christlicher Lehr / *tit.* von der Kirchen /** *per tot. fol.* 82. *&c. fol.* 150. *&c. fol.* 221. *&c.* Anonymi auctoris (quem puto esse Theophilum Agricolam, symistam Caspari Schvvenckfeldii) **in dem Bedencken von dem Geschrey / so man jetzt außgibt / daß man niemands soll leiden / der nicht ohn alle Widerred Bäpstisch oder Lutherisch seye.** de Anno 1558. adde Puritanismum Anglicanum, *Francof. editum. cap. 6. per tot. fol.* 40. Ac satis sufficienter Bellarminus contra Angliæ regem Henric. VIII. probat: ecclesiasticum regimen penes Principes non esse. Egregiè pro sententiâ hâc, Martin. Chemnitius, *in locis Theologic. tit. de ecclesiâ cap.* 4. *fol. m.* 324. Sicut Pontifex Romanus, cum suis committit sacrilegium in eo, quòd electionem & vocationem ministrorum eripuit ecclesiæ, & ad se solum suósque transtulit: ita ejusdem criminis reus est etiam magistratus; quando exclusis ministerio & reliquâ ecclesiâ, sibi soli potestatem ecclesiam constituendi vendicat. Pius enim magistra-

tus

tus non est tota ecclesia, sed tantùm membrum ejus. Nec est Dominus ecclesiæ; sed nutritius: imò tantùm minister &c. Jacob. Heerbrand. *disputat. de Adiaphoris & Calend. Gregor. th. 86. & multis seqq.* Quia magistratus non solus est ecclesia; sed si sit pius, membrum ejus est: ideò non solus de ceremoniis & aliis rebus ecclesiasticis; sed cum aliis membris, quorum præcipua sunt ecclesiæ ministri, de his decernat. Atque ita ecclesia, quæ mater est familiâs, & claves gerit, de istis causis statuendi potestatem habet, &c. Polycarp Leyser. Jun. *disputat. ad Formul. Concordiæ dec. 9. quæst. 6.* Errant itaque, qui magistratui politico, potestatem liberam, ceremonias suo arbitratu obtrudendi aut abrogandi concedunt. Non enim ecclesia, ex solo magistratu constat; sed etiam ex pastoribus & auditoribus &c. Vix est, ait Zachar. Fridenreich. *polit. cap. 12.* ut in politiâ ecclesiasticâ, vel constituendâ, vel gubernandâ, ullam supremam & absolutam magistratus potestatem & judicium cognoscamus; sed cum ecclesiasticis & ecclesiâ conjungamus: exemplo Davidis, 2. *Samuel. 7. v. 2.* & Hiskiæ, 2. *Chronic. 30. v. 22.* omnes autem verbo Dei subjiciamus. *Esaiæ, 8. v. 20.* Excepto, quod religionis rectæ constitutæ patrocinium; ut nempè ministros ecclesiæ alat & defendat, planè proprium & peculiare magistratus officium videatur &c. Undè eos Esaias ecclesiæ nutritios vocat. Ita etiam Nicol. Vigelium capio, à Joh. Camman. *disputat. de jur. majestat. 3. th. 4.* perperàm (ut puto) intellectum. Si enim Princeps haberet liberam in ecclesiasticis potestatem, major esset quàm Papa: qui ab optimis quibusque Concilio subjicitur. Et hoc esset politicum facere Antichristum, de quo, quid senserit Martin. Luther. vid. apud Wolff. 2. *memorabil. fol. 987.* & me *in templo justitiæ. num. 64.* quem nunc regnare dicit Paracelsus, *in comment. ad Daniel.* Sobriè ergò intelligendum est, quod contra Fachinæum Rittershusius disputat, *ad Novell. part. 1. cap. 3.* suo jure, de rebus ecclesiasticis leges ferre posse Imperatores; cùm Rex magis sit executor; qui ab ecclesia sanctas leges promulgat, exequitur, tuetur. Et adhuc magis, sanâ indiget interpretatione, quod in Concordiâ Anglicanâ scribit Ricardus Harris: Regem supremum esse gubernatorem regni, tàm in spiritualibus sive ecclesiasticis rebus, aut causis, quàm temporalibus. Ab eóque primatu, regem vocat primatem, & supremum ecclesiæ caput. Et ex ipsâ coronâ regni sui, hunc habere primatum contendit. Nec absurdum esse ait: Regem quoque ethnicum, ecclesiæ esse primatem &c. (forsan quia etiam Romani, post Pompei victoriam, de Judæorum sacerdotibus disponebant. Euseb. 1. *histor. cap. 12.*) ut & Galfridus Bourdon, *in visione Scipianis Christiani, in epistol. ad Casaubon. fol. 64.* potestatem regis spiritualem esse assertat. Sobriâ hæc (inquam) interpretatione indigere mihi vidē-

tur: nî pro Papâ Rege, Regem Papam agnoscere velimus. vide Thuan. 1. *histor. fol.* 14. *col.* 2. Sibrand Lubert. *in respons. ad pietatem H. Grotii fol.* 197. *&c.* Ac porrò si omnes, qui habent superioritatem, caput ecclesiæ nominaremus, quid dicendum esset, Democratia ubi viget, aut ubi in uno regno multi Principes, Comites, Barones vel etiam Nobiles sunt, summo feréque regali jure gaudentes ? Sicque Catholicis ridiculum est, fœminam (Elisabetham Reginam) caput ecclesiæ fuisse. Bellarmin. *4. de eccles. cap.* 9 *fol.* 76. *col.* 2. Ac refert alicubi Pierre Matthieu prædictam Reginam, in gratiam Legati cujusdam Galliæ Regis, saltâsse: eúmque interrogatum, quid de hac saltandi ratione sentiret, aliter nihil respondisse, quâ: *En verité le chef de l'Angloise danse bien.* Ac quod Henricus VIII. Angliæ Rex voluerit caput ecclesiæ suæ nominari: eo nomine tàm à Catholicis, quàm Protestâtibus erroris ac temeritatis accusatus fuit. Nescio etiam an locum tueri possit, quod Jacobus magnæ Britanniæ Rex scribit: *ad fin. monitoriæ præfat.* Christiano regi concessum esse, externam in rebus ecclesiasticis regiminis formam suis præscribere; quæ ad civilis administrationis quàm proximè accedat: dummodò à fidei, veræque religionis fundamentis, nec tantillum abscedat. vide Parckerum, *de polit. ecclesiast. lib.* 1. *cap.* 26. *fol.* 66. Omnibus ætatibus in ecclesiæ gubernatione homines politici, ignari doctrinæ Evangelii, finxerunt sibi ecclesiam quâdam imaginatione politiarum, & magni errores hoc modo stabiliuntur, *ex Melanchth.* Richterus, *axiomat. ecclesiast.* 21. Multò minùs ipsa religio, statûs rationi est accommodanda: quod primus Jeroboam fecit, & apud Christianos Theodoricus Rex Gothorum. Boccalini. 2. *di Parnas. ragguagl.* 13.

V. Nunc rationes nonnullas, firmandæ sententiæ præsuppositæ, subjungere lubet. (1) Ab Imperii, jurisve regii, si penderet judicio vel potestate, externum ordinariè divini numinis cultum; Deus ac divina ab homine dependerent; quo nomine Romanos, post Tertullianum, Eusebius ridet, *lib.* 2. *histor. cap.* 2. *ad fin.* subditi tenerentur obedire reformationi, ut alii alicui politicæ sanctioni: sempérque mutabilis religio esset. Æquè enim Architectonicâ potestate Rex Ethnicus & hæreticus gauderet; eâq; potestate uti vellet, quia nemo se hâc in parte errare credit. Vel religio aliis conatibus prætexeretur. Nam varietas religionũ, ait Eberhard. à Weihe. *de prærog. succes. E. 5. b.* citra controversiam, indè nata est; quòd somnia traditiones, ac scabiem hominum, gubernatores politici voluerunt Christi doctrinæ conferre, tantùm salvam ut haberent rempublicam. (2) Dissentire de vera religione, non hæresis ampliùs aut schisma; crimen sed foret læsæ Majestatis. Ac jam olim in ecclesiâ primitivâ reprobatum fuit, dicere: sequor religionem

Impe-

Imperatoris.histor.Tripartit.*lib.7.cap.9.in rescript. Valentin Valentis & Gratiani.* (3) Ipse Dominus noster Jesus Christus, haut mundani Imperii subsidio, regnum suum spirituale instituere, firmaréque voluit. Num quis ex primoribus credidit in eum, aut ex Pharisæis: sed turba quæ non novit legem.*Ioan.7.v.48.&c.*Cernitis,inquit, D.Paulus 1.*Corinth.* 1. *v.* 26. vocationem vestram fratres: vos non esse multos sapientes secundum carnem,non multos potentes, non multos nobiles, vide omninò Hilarium *adverſ. Auxent.* Neque ex necessitate Christus & Apostoli, sine magistratus præsidio suam propagaverunt, & tutati sunt doctrinam: quòd nempe nullus aderat magistratus Christianus,religio cui cordi esset.Fuit namque omnipotens Salvator noster, & aliter, si è re ecclesiæ fuisset,sanè hoc efficere potuisset; neque pro bonitate suâ optimâ omisisset Christus; sed quia regnum illud, quod introducebat, mundanum haud fuit. *Iohan.18. v.36.* Quâ occasione Brentius, *ibidem* scribit: Non est quod hujus mundi Principes glorientur,se esse ecclesiæ Christianæ defensores. Ecclesia namque armis defendi nequit, propterea quòd regnum Christi non sit de hoc mundo. Quòd si quis voluerit Protector esse ecclesiæ, Petri, Pauli ac aliorum Apostolorum, & Martyrum gladium accipiat;non Augusti ac Neronis. Nam Imperatores defendunt externo suo gladio oppida ac vicos: Apostoli autem defendunt ecclesiam gladio spirituali;hoc est verbo Evangelii,& passione suâ. In eundem propè sensum, *ad illum locum*, notat Melanchthon. Hæc est natura impiorum doctorum, ut cùm ab Evangelio judicantur, tueri se vi humanâ contendant;quia Deo non fidunt: hoc est, quòd Judas cohortes accersit. (4) Vim legis ecclesiasticæ, habuerunt decreta prima Concilii, *Actor.* 15. absque afflatu Aulæ Cæsareæ. At ais, vim non habuisse corporalibus censuris coactivam, ut replicat Concordia Anglicana, *fol.*49. Respondetur: non eam requiri, aliàs enim primitiva ipsius Dei nostri Salvatoris ecclesia eâ careus, haud perfecta (vel rebellis) fuisset. (5) In Deuteronomio commendatur Regi lectio L. Divinæ;sed dicitur,quòd accipere debeat hunc librum à Levitis. *Deuteronom.17. verſ.* 18. Hûcque pertinet quod Græci Latinis, post Balduini Flandri expeditionem,Pontificiam jurisdictionem introducere volentibus,responderunt apud Logothetam, *in Chron. Constantinopol. fol. m.* 18.*&c.* Sed an magistratus politicus ecclesiæ ministris injungere queat, ne libros edant in negotiis religionis,disputatur in Consiliis Theolog. à Dn. Felice Bidembach. collectis, *dec.*8. *consil.*7. *& tribus seq q.* Ac Johan. Gerhardi.*loc. de ministerio num.*269. disquirit: An iisdem præcipere possit,ne hæreticos reprehendant.

CAP.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 3, [121] - 119

CAP. IV.

An & quatenus vocatio ministrorum, spectet ad magistratum secularem.

EX hactenùs deductis, justâ consequentiâ concludere se putant asseclæ Augustanæ confessionis: Jus vocandi ministros, non soli competere magistratui, ut politici hodiè contendunt. (Et jam olim hoc voluit Hæresis Henriciana, ex Baronio Lehman, *3. cap. 24. fol. 240. col. 2.*) neque populo soli, ut Anabaptistæ docere dicuntur: neque Episcopis solis, ut Catholici prætendunt; sed ecclesiæ toti. (Ita ut jus apud ecclesiam sit; sed exercitium apud eos, qui eam repræsentant) Martin. Chemnitius *loc. de eccles. cap. 4. fol. 324.* Henric. Eckhard. *d. ordine ecclesiastico fol. 90.* Johann. Forsterus, *disputat. ad decalog. decad. 1. problem. 10.* Gerhardi, *loco de minist. ecclesiast. num. 86. &c.* Christ. Matthias, *Colleg. polit. 2. disputat. 6. thes. 40. & 42.* Cothmann. *consil. Academ. 2. à princ.* Ant. Albizius, *exerc. theolog. rit. de minister. Evangel. quæst. 13. fol. 217.* Reinkingk. *3. class. 1. cap. 6.* vide Hugonem Grotium, *in tract. Pietas ordinum, insignito. fol. m. 56. usque ad fin.* Et Hadrian. Saraviam, *tractat. de gradibus ministror. cap. 23. num 27. fol. 363.* Sed junge Bellarmin. *lib. 1. de Clericis cap. 2. & seqq.* Sanè in electione Sacerdotum, & Pontificis etiam Summi, non tantùm cleri; sed & populi partes olim fuisse, Vincent. Cabotius fatetur. *1. disputat. 4.* adde Isaac. Pontan. *6. orig. Francicor. cap. 5. fol. 437.* Sed hoc jus, populum ex consuetudine magis, quàm ex lege, habuisse, ait. Ex lege; ut expeteret sibi aliquem in Episcopum: ex consuetudine, ut jus suffragii haberet, vid. Joach. Stephani, *4. de jurisdict. cap. 11* Duaren. *de benefic. ecclesiast. lib. 1. cap. 6. lib. 3. cap. 2. & lib. 5. cap. 1.* Quod & convenit capitulis Caroli M. Lehman. *2. cap. 33. fol. 125.* junge Bellarmin. *2. de cleric. cap. 7.* idémque, *1. de Pontif. cap. 6.* conatur edocere: in tota sacra scriptura, ne vestigium quidem inveniri; quod plebi competierit jus ministros vocandi; sed Apostolis solis. Cúmq; ministri, jus clavium habeant, hoc ipsis nec plebem, nec Principem dare posse, Catholici contendunt.

II. Certè de jure Collationis seu Investituræ, inter Pontifices & Imperatores Romano-Germanicos, acerrima contentio fuit Gerhardi, *loc. de minister. num. 131.* vide Filesacum, *tract. de auctor. Episcop. 177. &c.* Nervus negotii in eo consistere videtur: an prædia omnia sacerdotalia, sint sub Pontificis patrocinio atque tutela; ita ut Episcopi vel Sacerdo-

cerdotes, hæcce ab eo recognoscant, vide Joach. Stephani, *ult. de jurisdict. cap. 12. num. 22. &c.* Quâ de quæstione Heinricus IV. Heinricus V. Fridericus I. & Fridericus II. aliíque Imperatores, vario Marte cum Pontificibus decertârunt. Vincent. Cabot. 1. *disputat. 5.* Arnold Engelbrecht, *disquisit. de jurisdict. thes. 67.* Lehman. *5. cap. 67.* donec Fridericus III. certa cum Nicolao P.M. pacta faceret, quæ vulgò Concordata Germaniæ vocant, (quæque collectaneis illustravit Georgius Branden.) ne Archiepiscopis Regalia ab Imperatore aliter concedi possent, quàm confirmatis à Papa. Undè fieri hodiè dicunt, ut immutatæ Religionis Archiepiscopi, ac Episcopi, ea ab Imperatore habere, aut ad Sessiones aut vota in Comitiis admitti nequeant. Contra quæ disputat, *dicto loco.* Engelbrechtus. Quin & jus deponendi Episcopos, spectat ad Imperatorem. Börtius apud Arumæum *discurs. 30. cap. 3. th. 39. fol. 889.* Schepliz. *ad consuetud. Brandenburg. fol. 9. &c.* De remotione autem ministrorum, vide Gerhardi, *loco de ministerio. num. 174.* (& vide etiam, quæ hâc de re suprà alicubi dixi.) Ac item de vocandis & removendis Sacerdotibus, consule Ærod. *lib. 1. m. fol. 42. 52. 53. 60.* Sed Bellarminus, ut electionem, ita & depositionem Episcoporum, Pontifici Romano transscribit. 2. *de Pontif. cap. 18.*

III. Hûc referri possunt, *Primariæ*, quas vocant in Germaniâ, *preces*: vigore quarum Imperator Coronatus, ex antiquâ consuetudine, in omnibus cathedralibus ecclesiis, atque etiam monasteriis per Germaniæ regnum, suffragium habet & facultatem, unius Canonici pro arbitrio nominandi. Freher. ad Petr. de Andlo, *fol. 179. &c.* Cluten. *in Sylloge th. 19.* Syringus, *disputat. de pace relig. th. 31.* Arumæus ad Auream Bullam, *discurs. 3. th. 34. & seq.* Cranius, *de pace relig. part. 1. problem. 4.* Wehner. *verb.* Paßbrieff. Quod jus, an & post pacem Religionis, in Reformatis adhuc Episcopatibus locum tueri queat, vid. apud Matth. Stephani. *tractat. de ecclesiast. jurisdict. cap. 4. num. 18. &c.* Sed sunt & in Galliâ Primariæ preces. Papon. *5. des arrests, tit. 1. arrest. 2. &c.* Húcque pertinet, daß man wolverdiente Soldaten oder Hatschier in den Klöstern / ex ordinatione Cæsareâ, erhalten muß. Also werden die Stulbrüder von Kayſ. Mayestät in die Canonicaten gesetzt. Lehman. *ult. cap. 109. ubi de litibus indè ortis &c.*

IV. In Galliâ, *le droit de Regale*, ut vocant, super Episcopatus quamplurimos competit Regi: quo statim post mortem Episcopi, Rex est administrator & dispensator bonorum ad eum gradum pertinentiũ, beneficiorúmque collator. *Comme grand Evesque en ce Royaume.* Guidon. de Finances. *part. 1. fol. 77.* Louys Servin, *tom. 3. playd. 1. & seq.* Pasquier. *3. de recherch. cap. 29. & seqq.* Sic exuvias Episcoporum, sibi adscripse-

scripserunt olim Imperatores Germano-Romani. Lehman. *5. cap. 67. fol. 542. &c.* Sic item in Anglia, jus Patronatus Rex habet, & Patronus hereditarius existit. Ricard. Harris, *in Concordiâ Anglicanâ.* Ac inibi ab antiquo, penes Clericos ac Monachos electio erat, sed electum à Rege postulabant. Nulla electio Prælatorum mera, libera & canonica erat: sed omnes dignitates, tàm Episcoporum, quàm Abbatum, per annulum & baculum Regis Curia, pro suâ complacentiâ conferebat. Selden. *in Iani Anglor. lib. 1. num. 39. fol. 55.* Ita etiam in Polonia, aliquam potestatem habet Rex, in Abbatibus constituendis. Statuta Polon. §. *Abbates.* Sic & Patronatus jus tale, in Sicilia sibi asserunt Reges, & cum id Baronius, *in annalib. lib. 11. in Vita Vrbani 2.* pernegaret; non solùm impeditus fuit à ministris Hispanis, quò minùs Anno 1605. ad Pontificalem perveniret dignitatem: Mercure François, *part. 1. fol. 3.* Sed etiam singulariedicto Philippus III. Rex Hispaniarum coercuit eos, qui sibi hoc jus denegabant. Premiere Continuation. de Mercure François *fol. m. 11. &c.* Quibus in locis verò beneficiorum Ecclesiasticorum collatio ad Pontificem spectet, recensetur in Thesauro politic. *part. 1. relation. d. Roma. fol. mihi 42. & seq.* De jure autem patronatus, vide Gerhardi, *loco de ministerio, num. 113. & seq. item num. 117.* itémque Reinkingk. *lib. 3. claß. 1. cap. 9. num. 25. & 53.*

V. Tandem moneo omnes, ad ecclesiasticas qui aspirant dignitates; ut Francisci Lamberti (Theologi & Monachi Galli, qui ad Protestantes tempore Lutheri accessit) monitum ne spernant, qui, *tractat. de fid. lium vocatione in Regnum Christi, cap. 8. & 9.* ita scribit: Externa ad ecclesiæ ministeria vocatio, opus habet internâ. Dum quis externè ad verbi sancti ministerium vocatus est, & sentit ac experitur, quòd priùs internè vocatus ac missus à Domino sit, ipsam externam vocationem à Deo esse, est certissimum. Quod si interna minimè præcessit, aut saltem non mox sequitur, indubitata res est, quòd ipsa externa vocatio est Dei expavescendum judicium: quo punit ingratam plebem, satians eos Prophetis, non nisi à Sathanæ spiritu missis. Vitet ergò fidelium quisque omnem externam vocationem, ne scilicet eandem suscipiat, nisi priùs ad eam Sancto Spiritu moveatur. Cognoscet autem per id se moveri à Domino, si ad externam vocationem admittendam, non aliter adficiatur, quàm conveniat, impollutis eloquiis Domini: quæ suæ voluntatis, suique spiritus certissima testimonia sunt. Igitur quisquis ad sacra Regni Christi ministeria, maxumè ad summum illud, quod est ministrare verbum Dei, externè vocatur: antequam suscipiat vocationem, expendat an spiritum ad id acceperit, quod est internè mitti seu vocari: quem si non accepit, postulet à Deo qui dat omnibus adfluenter dona

sua;

sua; sicut, & quantum opus est, qui & dabit postulanti, si ipsa externa vocatio ab eo est profecta. Quòd si ipsam vocationem, internâ minimè confirmârit, nullatenus est admittenda: ne si alioqui fecerimus, falsi Apostoli, ac Pseudoprophetæ simus. Ejusmodi sunt omnes regni Antichristi vocationes, hoc est, sine internâ. Imò vix etiam ab hominibus externè vocantur, & eliguntur: quin potiùs per adulationem, Simoniam, Tyrannidem, & alia id genus execrabilia media, in Episcopatus & Sacerdotia se intrudunt. Si autem volunt esse Episcopi, ut nunquam sint aliquid minùs quàm Episcopi. Nam summum Episcopi ministerium, quod est prædicare verbum Dei, calcant & abominantur; sua autem mendacia & traditiones nunquàm non inculcant. Hoc autem erit cuique signum certissimum, quòd à Deo sit ipsa vocatio, si adest qui internè mittit: quod tum est, dum cupit non lascivire, videri inter alios doctior. Sed opus & laborem verè bonum (nempè ut sit Episcopus, hoc est, superDomini populum advigilare & superintendere) magnâ solicitudine & charitate, operari nitatur: ita ut velit potiùs mori, & quidvis perferre, quàm aliud docere populum, quàm ignita & purissima eloquia Dei. Is est fidelis, indubitatusque Pauli sermo 1. *Timoth.* 3. Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Hactenùs Lambertus. Qui, quæ vitia in catholicis improbavit, jam etiam in alias sectas inundârunt. De Episcopis item veteribus, vide Henricum Susonem, *cap.* 7. *fol. operum.* 369. quæ adscribere placet: Adspicias velim Episcopos, uti nunc vivant. Quos quidem oportebat noctes atque dies in eam curam incumbere, ut subditis suis consilio & sanctis institutionibus auxilio forent, quò in fide catholicâ constantes ac firmi redderentur: atque ubi minùs id ipsi præstare possent, Doctores quosdam vitæ inculpatæ ac integræ precibus sibi in adjutorium adsciscerent, eisq; suam impertirent authoritatem sive potestatem: adhæc vitam castam & pudicam ducerét, ut quotquot id de eis rescisceren, ad meliora provocarentur: Dei honorem & Deum ipsum ante omnia semper amore ac intentione prosequerentur, seipsos minimè. Sed res planè in diversum abiit. Siquidem nunc divitias, honorem, cognatos, potentiam secularem vel dominia impensiùs spectant & amant, quàm curent animas ipsorum fidei commissas, pro quibus tamen ego (inquit Christus) ipse sanguinem fudi. Ubi aliqua sedes Pontificia vacat, quàm iniquè & præter fas ac ordinem pro eâ obtinendâ laboretur, abundè perspectum est Deo. Undè cum ad eam jam res redacta sit consuetudinem, idcircò Deo permittente, tàm prosperè scilicèt hodiè cum hominibus agitur. Prisci s temporibus, qui in Episcopos fuissent humano judicio electi, divinitùs ad id muneris suscipien-

dum compelli oportebat. Atque eâ ex causâ, familiari utebantur amicitiâ Dei, & in excellentis meriti ac sanctitatis viros evadebant.

CAP. V.

De Consiliis, & Synodis ecclesiasticis.

EX hoc itidem majestati competente sacrorum jure; & quia magistratus summi, potestate gaudent supremâ, & ecclesiæ simul præcipua membra sunt: Ecclesiasticorum ideò conventuum, ecclesiæ judiciorum extraordinariorum, Consessus Seniorum, id est, Collegii totius Presbyterii convocandi potestatem, residere penes Imperantes, reputatur. Sicque in Nationali seu Provinciali Consilio, præsidet qui eò loci imperat cum majestate. Conciliorum verò generalium, non Papam, sed Imperatorem præsidem esse debere. *contr. distinct.* 17. evincere conatur Flaccius, *in Catalog. testium veritatis lib.* 4. *fol. m.* 264. *&c.* Andr. Osiander. *in tract. Papa non Papa, indigitato, loco* 12. *fol.* 94. Daniel Chamier, *de Oecumenico Pontifice lib.* 5. *fol.* 602. *& mult. seqq.* Joach. Stephani, *in tract. de conciliis, singulari, Institutionibus Iuris Canonici ejusd. Auct. adnexo.* Concio habita coram sereniss. Angliæ &c. Rege, *de jure ac potestat. convocand. cœtuum.* Anno 1606. David Paræus, *in tract. de jure Princ. contra Papam fol* 108. *&c.* Johann. Camman. *disputat. de jure majest.* 3. *thes.* 31. Hugo Grotius, *in pietat. ordinum Holland. à princ.* Petr. Molinæ. *tract. de Monarch. Pontif. cap.* 16. *&* 17. adde Lancellot. Conrad. *templ. omn. judic.* 1. *cap.* 1. §. 4. *fol.* 384. Ærodium. 1. *tit.* 6. *cap.* 12. Arumæ. *tom.* 5. *discurs.* 1. Cardin. Tuschum, *lit. C. conclus.* 549. Reinkingk. *lib.* 3. *class.* 1. *cap.* 4. Lehman. 5. *cap.* 67. *præsertim. fol.* 538. vide item judicium Jovii, *de conciliis lib.* 2. *histor. fol.* 40. De conciliis pulcherrimè Cusa, 2. *de concord. catholic. per discurs.* & quatenùs iis Laici debeant interesse, vid. Cusam, 3. *de concord. cap.* 8. *& seqq. item cap.* 13. *& seq.* Quòd verò Papa præsideat in conciliis, deducit Bellarmin. 1. *de concil. cap.* 19. *latè & cap. seq* Quod Papa convocet concilia, tradit idem Bellarminus, 1. *de ec cles. cap.* 12. *ubi cap.* 14. quando possit convocari concilium absq; Papa, quod vocat quasi concilium seu imperfectum. Constantinum Magnum, in Nicæno concilio, choragum egisse, probare satagit Balduinus, *lib.* 1. *de legib. Constant. Magn. fol. m.* 61. *&c.* Eusebius, 1. *de vita Constantin. cap.* 37. Cùm quidam, ait, Episcopi, inter se diversis locis dissentirent, tanquàm communis Episcopus à Deo constitutus, ministrorum Dei coëgit concilium; & in mediâ istorum frequentiâ, ac congressu adesse, & unà considere non est dedignatus, *&c.* (sed constat ex Historia

Tri-

Tripartita, *lib. 2. cap. 5.* quàm timidè & consideratè egerit idem.) Hócque itidem inductione octo conciliorum œcumenicorum probat Christian. Matthias Dithmarſ. *Colleg. polit. 2. diſputat. 6. th. 12. &c.* Non tamen alii Principes, in conciliis universalibus ab Imperatore convocatis, ut subditi comparent. Petr. Costalius, *in adverſ. ff. ad l. 1. d. conſtitut. princ.* Quin etiam Anno 1589. Philippus II. Hiſpaniæ Rex, oratorem extraordinarium, Romam miſit, ad intimandum Sixto P. M. generale concilium ſuper declaratione Simoniacæ electionis, & ad requirendum Dominos Cardinales, aliósque eccleſiaſticos ad comparendum in concilio Hiſpalenſi. Ac ferunt, intimatione factâ, Sixtum præ deſperatione mortuum eſſe. Novus Homo, *in ſupplic. ſuper cauſis generalis concilii convocandi, à princ.* Morbais, *en la ſupplic. à l' empereur, &c. fol.* 10. 12. *& fol. item* 280. *&c.* At tradit Bellarminus: Epiſcopos à Papa, & Papam non ab ullo ſeculari judicari; eúmque (quod ſatis durum eſt) nec ab eccleſiâ, vel concilio corrigi poſſe. 2. *de Pontific. cap.* 26. *& ſeq.*

II. Ejusmodi autem eccleſiæ judicia, meritò componi debere volunt noſtrates, non ex Clericis ſolis; ſed ſimul ex gravibus & honeſtis viris Laicis: qui nempè æquè ſunt pars eccleſiaſtici cætus. vide omninò Chriſt. Matth. Dithmarſum. *Colleg. polit. 2. diſputat. 6. th. 32. &c.* ubi inter alia ita ſcribit: Tanquam unus eorum unà judicet, (Princeps) judicium promulget, promulgatum legibus ac pœnis ſanciat, &c. (Et qui ad concilia ſint vocandi, tradit Bellarmin. 1. *de eccleſ. cap. 15. & ſeq.*) Sic & toti eccleſiæ competit jus ferendi eccleſiaſticas leges. Meiſner, *tract. de legib. lib. 4. ſect. 2. artic. 1. aſſert. 1. & 2. fol.* 435. De ſynodis verò & conciliis, an & quando ea congregari conveniat, vide Paræum, *in Irenico* & qui id ſcriptum oppugnant, Sigvvartum ac Hutterum.

III. Ad Principis etiam, aliorúmque magiſtratuum ſecularium curam ſpectat, ex analogiâ & inſtitutione eccleſiaſticæ diſciplinæ noſtratis, Judicia eccleſiaſtica ordinaria conſtituere, de quibus extat oratio Chytræi, *tom. orat. fol.* 289. & per ea de Epiſcopis & Paſtoribus vocandis, examinandis, in officio dirigendis, judicandis, diſponendis, leges dare. Wertheimiſche Acta, *fol.* 418. Ea autem judicia, itidem Presbyterium eccleſiæ repræſentant, nec abſolutè ad Principes ſpectant, ut Curiæ merè ſeculares. quod tamen Thomas Smithus, *ult. cap. ult. de republic. Anglor. fol.* 164. ſentire videtur. Ut & leges olim Imperatorum circa eccleſiaſticas cauſas, non ſunt leges, aut eccleſiaſticæ ſanctiones, aliquid definientes ſeu ordinantes; ſed ſunt meræ executiones, Canonum priùs ab eccleſiâ ſancitorum. Ad quem verò pertineat corrigere Miſſale; ad Papam né, Epiſcopum vel Regem, diſputat Servin. *tom. 1. plaidoy. 1.*

Letmatius, *lib.7.per tot.* Ac an Jus Canonicum, apud nos sit in usu, tradit Schepliz. *part.1.tit.1.§.22.*

IV. Et hinc quoque in Germania, apud Principes Augustanæ Confessionis, directio est jurisdictionis ecclesiasticæ, juriúmque Episcopalia quæ vocant. Matth. Stephan. *tractat. de jurisdict. eccles. cap.1. num. penult. & ult.* Joach. Stephani, *in præfat. Institut. Iur. Canon. & ibidem 1. cap.7.* vide omninò Gerhardi, *loco de ministerio ecclesiast. num.* 112. Indè iidem præsident matrimonialium causarum cognitioni, Knichen. *cap. 3. de territor. jure num.*234. Dn. D. Bocer. *de jurisdict. cap.3. num.*44.51. 80. *&c.* Zanger, *tractat. de excommunicat. major.* ego, *tract. de Nuptiis cap.5.* vide *Consultationes & Responsa.* Marsilii de Paduâ. & Guilhelmi Occami, *super divortio Iohannis Filii Regis Bohemiæ, & Margarethæ, Ducissæ Carinthiæ. & Ludovici Marchionis Brandenburg. ac ejusdem Margarethæ.* Quâ de re vide omninò Hervvart. *in Ludovico IV. Imp. fol.* 278. *&c. item fol.*844. *& 859. &c.* Item Jacob. Gretser, *disputat. matrimoniali altera, quæ est de judice in matrimonial. caus.* Ludovic. Servin. *5. tom.3. plaid.5. fol.51. &c.* & in gradibus dispensant jure positivo prohibitis, *l.31. de ritu nupt. l.8. de adopt. l.5. de condict. sine causa. l.37. C. de nupt.* Pruckmann. *de regalib. fol.331.* Beza, *de divortiis, fol.75.* Joach. Stephani, *Institut. jur. Canon. lib.2. cap.1. num.31. &c.* Valent. Arithmæ. *in peric. secund. disputat. de adfinit. ad fin. fol. 58. b.* Attamen si ipsi Principes reformati, vel alii Regalia habentes, nuptias in gradibus jure positivo prohibitis, contrahere velint; hoc facere eos posse absque dispensatione, scribit Arithmæus, *d. disputat. graduum prohibit. fol.*35. Omnia hæc maxumam partem per consistoria ecclesiastica, (de quibus Reinkingk. *3. class. 1. cap.*10.) ex theologis & politicis consiliariis composita, peraguntur. In Anglià, Curia Christianitatis vocatur, ecclesiasticas quæ causas tractat. Thom. Smith. *dict. cap. ult.* de visitatione, vide Reinkingk. *3. class. 1. cap.7.*

V. Hìc & illud subjungo, Augustum Saxon. electorem suasisse, ut Principes seculares Imperii, mandatum Pontificium, de suscipiendâ Calendarii Romani emendatione, in quo erat verbum; Præcipimus, Mandamus, Volumus, &c. recipere in Augustanis Comitiis recusarent. Syringus, *disputat. de pace relig. th.*32. Herman. Kirchner. *coroll. 1. disputat. de republ.2.* vide Thuanum, *histor. lib.76.* Ac quis possit de Calendariis ac Festis statuere, tradit Reinkingk. *lib.3. class.1. cap.* 2. adde Craniū, *de pace relig. part. 1. problem.6.* Sed de Feriis & Calendario quæ sunt lites, non debent ansam schismati dare: ita censet Socrates, de Pascha, quæ controversia magnas olim in ecclesiâ peperit lites. histor. Tripartit. *9. cap.*38. A juramento etiam secularis judex absolvit. Dn. Rutger. Ruland.

land. *decis. jur. controvers. quæst.* 20. vide item Jacobum Martini, *disput. ethic. 6. th.* 1. *quæst.* 14. Gilken. *ad l. si quis major. num.* 33. C. *de transact.* Hilliger. 21. *cap.* 13. *lit.* Y. Massa Gales. *ad formul. Cameral. mihi fol.* 224. *&c.* Cranium. *d. part.* 1. *problem.* 7. De jurisdictione seu foro Episcopi Constantiensis sunt, vigore synodalium proclamationum, & constitutionum Anno 67. renovatarum, ubi *part.* 2. *tit.* 18. *cap.* 8. ita habetur: Cæterùm ut tàm Clerici, quàm Laici scire possint, quæ causæ de jure, & aliquot seculis præscriptâ consuetudine, ad forum nostrum ecclesiasticum pertineant, eas plerasque hîc inserendas duximus. Nempè omnes causæ matrimoniales, earúmque impedimenta, & quæ ex eis dependẽt & emergunt, ut sunt, divortii, adulterii, sævitiæ, defforationis, taxæ dotis, asscriptionis prolis &c. Prætereà, causæ beneficiales, juris patronatus, fundationis & privationis beneficiorum, decimarum, majorum & minorum Jurium Episcopalium. *add. Clem. dispendiosam de judic.* Sed decimæ in possessoria, vigore ordinationis Cameralis, pertinent ad Cameram inter status si lis sit. Verùm nec obstante lite in Camerâ super possessorio pendente, petitorium coram ordinario judice ventilari potest; ut factum scio in causâ der Herrn Truchsessen von Waldpurg contra Salmanßweiler. Ac moneo tandem peccare eos, qui quod magis sibi juris dicendi creditos, fasces, quàm sacerdotium religiosis officiis minustrandum, æstimârunt, vide Ruffin. *histor.* 10. *cap.* 23.

CAP. VI.

An & quatenus secularis potestas hæreses prohibeat, exstirpétque.

POrrò cuilibet Christiano, potissimùm verò magistratui summo, unà cum ecclesiâ, omnes dissensiones religionis, sedulò sunt præcavendæ, atque averruncandæ, summísque eò adnitendum viribus, ut una, eáque vera religio, ubique locorum & civitatum vigeat. Camman. *disp.* 3. *th.* 24. Sed tamen ad hunc finem, non per alia contendere debemus media, quàm quæ suis Apostolis præmonstravit Christus, primitiváque ecclesia usurpavit: quò enim longiùs à Christi, Apostolorúmque recesseris institutis, eò erraveris citiùs. Reinkingk. 3. *class.* 1. *cap.* 5. Christus sapientissimus fuit, ideò si præstantior fuisset modus, scivisset; optimus fuit: ergò indicavisset; Omnipotens fuit: & ergò eum adhibere potuisset. Vel unico miraculo Tiberium convertisset, & Christianum fecisset, quales hodiè infiniti magnates. Quam moderationem adhibuit Theodosius Imperator, qui hæreticos non est persecutus; sed tantummodò

catholicis ecclesias restitui curavit. Ruffinus, *histor.* 10. *cap.* 19. Hâc in parte inter majestatem, seu Imperii jus, quod Christiano, & illud quod Principi competit infideli, interest plurimùm. Hoc homines regit, ut sunt homines: illud verò, etiam ut sunt Christiani: quos charitatis Christianæ ratione, ad veram veri Dei agnitionem perducere satagit.

II. Execrandi sunt Donatiani, qui ecclesiam Christi, Principum operâ, subsidióque uti non debere, & his cum illâ nihil rei esse, neque illi cum his, nihil quicquam esse debere, contenderunt. B. Augustin. 3. *contra Cresc. & epistol.* 48. *ac* 50. Gerhard. *loco de magistrat. num.* 165. Atheis quàm proximi esse videntur, qui cum Mahometo in Alcorano, *Azoara.* 2. omnem Deum adorantem, boníque gestorem, indubitanter divinum amorem assèqui contendunt. Bodinus, 4. *de republic. cap.* 7. *num.* 484. vide tamen Boccalini, 1. *de Parnass. cap.* 64. *fol.* 281. Qui cum Frid. Puccio, *tractat. de Christi Servat. efficacitate in omnibus hominibus, quâ homines sunt*; (à quo non multùm dissentit Wigelius passim, & præsertim **vom Wege alles zuerlehrnen.** *cap.* 4. *ad fin.*) omnium religionum confusionem, in ecclesiam invehere conantur: cui opinioni & alii fuerunt adstipulati, à Johann. Gerhard. *in Coronide cent. quæst. polit. th.* 44. *& seq.* ac etiam Isaac. Casaubono, *in exerc. adverss. Baronium. 1. à princ.* recensiti. vide me, *lib.* 2. *polit. cap.* 1 *num.* 36. & adde Vindicias Casauboni. 2. *cap.* 3. *ac* 4. *& lib.* 4. *cap.* 1. Qui cum Thomâ Moro, *lib.* 2. *Vtopiæ fol. m.* 265. incertum habent, an variam & multiplicem expetens cultum Deus, aliud alii inspiret. Aut qui cum Tartarorum Rege, apud Lipsium, *monit. fol. m.* 116. & Leunclav. *pandect. Turc. cap.* 190. *fol.* 397. dicunt: Tuus Pontifex, Meus Pontifex; Tuus Lutherus, meus Lutherus esto. Hûc pertinet illud Symmachi, qui *in relat. ad Valent. Theod. Arcad. A A A.* ita inquit: Omnes gentes adspirant ad arcana divini numinis, sed non iisdem modis; cùm non omnes sint ejusdem ingenii, sed variis viis ad eundem Deum tendant. Sic & Themistius, *Oration.* 3. *fol.* 57. ait: Deus omnium hominum pectoribus sui venerationem insevit, communémque fecit: modum autem se colendi, cujúsque proprio arbitrio reliquit. Is autem, qui coactione hîc utendum putat, à Deo ipso concessam eripit mortalibus libertatem.

III. Attamen semper est mente tenendum: Christum humilitate incarnationis, ignominiâ passionis, & prædicatione vilium ac rudium piscatorum, regnum suum in mundum introduxisse, non id aliis mediis primitivam ecclesiam propagâsse. Vide omnin. Ludovic. Granatens. *in meditat. vitæ Christ. cap.* 30. *fol.* 360. *& seqq.* (Sicque veteris Testamenti authoritates, ubi Regale sacerdotium erat, & ecclesia Regia forsan non opportunè urgentur.) Ergò & similia ut adhibeantur arma,

quæ

quæ Christus & primi Christiani, curare debet magistratus: nempè ut sciat, ministerium non Imperium constitutum esse ad introducendam, conservandamque religionem; ministerium verò sui naturâ respuere coactionem. Et magistratum Christianum hâc in parte ministrum quasi agere; non Principem. Nimirùm itaque modestè hæretici redarguantur, Satanæ tradantur, seriò reprehendantur, ab iis discedatur, caveantur, nullum cum iis commerciũ habeatur: devitentur, pro ethnicis & publicanis habeantur, observentur. Ut scilicet se omnes ad pœnitentiam convertant, seque ab hominum mandatis avertant; ut pudefiant, ut discant non blasphemare, per instructionémque sanæ doctrinæ, sani efficiantur in fide: ut spiritus servetur. Theodor. Coornhert. *in epit. proceſs. de occidend. hæret. contra Lipſ. cap.* 17. vide Timpler. dissentientem 4. *polit. cap.* 2. *quæſt.* 3. Hæc media ut observentur, nec negligantur, magistratus suâ authoritate curare debet: non alia, cujuscunque authoritatis prætextu, adhibere. Et egregium hanc in rem est apophthegma Emanuelis Philiberti, Sabaudiæ Ducis, qui dicere solebat: *Che la fede Christiana non fù mai piantata con la forza de gli esserciti, ne con la violenza dell' arme, ma ben co'l verbo di Dio, & con l' essempio: è con le medesime arti si ha da ripiantare ne paesi, onde è stata suelta.* Plausibilia verba sunt Clarissimi Dn. D. Lansii, *in consultat. de Principatu provinc. Europæ.* Melior est religionum multitudo, quàm carnificina conscientiarum: illa habet superstitiosos, hæc atheos. Addo & Ximenii Hispani Theologi censuram, *centur.* 1. *Epistol. Belgic.* 33. de turbis Gallicanis ita scribentis ad Cassandrum: Luimus, ut mihi videtur hâc in parte pœnas stultitiæ nostræ, quòd ita simus animati, ut dissidentes à nobis in religione non ferre possimus, nisi simul eos extinctos velimus; atq; extinguere etiam studeamus. Addimus deindè incendio oleum, ex causis quæ non minus virium habent ad alendas has contentiones, quamvis religionis causâ tegantur. Orandus ergò summis precibus Deus, ut arma, quæ ipse certè non excitavit, eripere aliquâ ratione dignetur manibus imprudentium, ne dicam furentium &c. Consentit Acontius, *de stratagemat. Satanæ. fol. m.* 134. *&c.* Ac lubet hîc addere Judicium C.S. in dem grossen Epistolar wider die Papisten/ *fol.* 464. ut appareat, etiam eos, qui aliàs omnia externa media reprobare dicuntur, non denegare Principibus hâc in parte jus quoddam. Verba ejus ita sonant: Es sollen sich alle Christen vmb das Reich Christi vnd sein Gerechtigkeit annemmen/ deßhalb niemand mit warheit sagen kan/ daß die Obrigkeit/ so ferr sie anderst Christen genannt vnd sein will/ sich deß Christlichen thuns nicht solle vnterfahen/ oder die wahre Gottseligkeit nach dem Geist Christi äusserlich möge fürdern vnd handhaben. Doch soll kein Oberer

seine Unterthanen weder zu seinem Gottesdienst / noch Christlichen Glauben mit gewalt zwingen/oder mit dem Schwerdt vnnd Blutvergiessen denselben fürdern/auch die/ so nicht seins Glaubens / weder vertreiben noch tödten / wie im Papsthumb beschicht: dann solches dem sanfftmühtigen vnnd freywilligen Geist Christi entgegen vnd zuwider ist. So will auch Gott sein Reich in den Gewissen mit keim zwanggenöhtigt haben/es mag mit stattlicher Handlung vnd freundlicher Bitte viel nutz geschafft werden. Es wird aber darauß nicht folgen / daß ein Christ/so in der Obrigkeit ist/nach der erkandten Warheit den falschen Abgöttischen Gottesdienst nicht solt auffs höchst begehren vnnd helffen abstellen: dann wie er die ärgernuß deß Lebens / also auch der Lehre vnd Abgötterey abzustellen schuldig ist. Wie aber vnnd in was gestalt die Obrigkeit Gottes Wort fördern/vnnd alles/ was der heilsamen Lehre zuwider/abschaffen solle/wird sie die Salbung vnnd der Geist Christi wol lehren: wann sie anderst Christen / vnnd sich von gantzem Hertzen mit Fasten vnd Allmusen in einem ernstlichen Gebett zu Gott kehren. Hie will hoch von nöthen sein / daß man geistliche Augen hab / vnd alle ding nach dem rechten verstandt deß Worts Gottes / deßgleichen auch nach dem Geist vnd Erkändtnuß Christi richte vnd fürnemme/ daß man sich nicht mit einem fleischlichen Eyfer versündige. Dann wer andere Leut ehe denn sich selbst reformiren will/zu dem möcht gesagt werden: Artzet hilff dir selbs / darumb auch Christus lehret: Wirff zum ersten den Balcken auß deinem Auge / ꝛc. Es gefällt Gott nicht / wenn wir ander Leut begehren fromb zumachen ohne alle besserung vnnd enderung vnsers Lebens. Wiewol/ ob schon solche abschaffung der Laster/weder bey jhnen/ noch in der Gemeind möchte erlangt werden/so seind doch die Obrigkeit auß befelch jhres Ampts vor allen dingen schuldig / die äusserliche Abgötterey vnd offentliche verführung der Lehre abzustellen: dann jeder falscher Gottesdienst ein Brunn vnd Wurtzel aller Laster vnd Vngerechtigkeit allweg gewesen vnd noch ist/wie solches alle Schrifft zeuget. Es soll aber solches auß Glauben beschehen / vnd hierinn auff keinen Menschen / sondern allein auff Gott vnnd sein Ehr gesehen werden / dann so man auß Glauben handlet / wird man vergwisset/ daß der Handel Gottes ist/der jhn wol wird hinauß führen/ob sich schon die gantze Welt darwider legt. Mann ist ja schuldig Gott mehr zugehorsamen / dann den Menschen zugefallen. Als dann kan man in der Anfechtung vnterm Creutz beständig bleiben / so man im Hertzen versichert / daß man nicht eygen wolfahrt oder genieß vnterm schein Gottes Worts sucht/sondern allein die Ehre seines Göttlichen Namens / welcher niemand / der auff jhn hoffet vnd vertrawet/ läst zuschanden werden.

IV. Sed

IV. Sed tamen rebelles, & turbatores coërceri possunt. Suntque hæretici ferè semper seditiosi ac crudeles: ac de crudelitate Arianorum, vide not. Barthii. *ad Phœbad. fol. 60.* Ac ferè hæretici semetipsos separant, non separantur. Hincque Germanis dicuntur Kätzer (Gazari) à Hebr. *Kozar*, separavit. Sicque in Angliâ minimè ob Catholicam Religionem, sed manifestæ perduellionis pœnas justissimè luisse, tot Angliæ Pseudomartyres: quorum historiam Patres Soc. Jesu, magno volumine prodiderunt. Pareus, *de Iur. Princip. contra Papam fol. 128.* evincere conatur, vide tractat. Anonymi, *cujus Titulus, Iustitia Britannica.* Sed hoc idem in nostros regerunt Catholici; eósque dicunt seditiosos, & turbatores, eversores Monasteriorum, &c.

V. Non præter rationem ergò, tàm in reformandâ, quàm ab hæresibus sartâ tectáque conservandâ religione, Bellum execramur, & illud Lipsii: Ure, Seca. 4. *politic. cap. 3.* (quod eum Belgio adire coëgit. de quâ re conqueritur Dousa, *lib. 1. eleg. juncta echo. fol. 79. &c.*) ac si quæ alia, zelus qui non est secundum scientiam, vel intempestivus suggerit Jacob. Arminius, *in Oration. de Concordia.* Joachim. Cluten. *in Syntag. aliquot. auct. qui de hæreticis persequend. scripserunt.* Keckerman. *in præcogn. polit. fol. 23.* Heinric. Eckard. *tractat. de ord. ecclesiast. & polit. fol. 223.* Johann. Forsterus, *disputat. ad Decalog. decad. 2. th. 6.* Timpler. 4. *polit. cap. 2. quæst. 5. & 6.* Cothman. *ad tit. C. de hæret. in princ. usque ad num. 102.* Adeò ut ne victis religionem adimendam censeat Alb. Gentil. *3. de bello. cap. 11.*

VI. Sanè Deus, cui soli competit jus reformationis, ad divinum hoc opus excitat viros, partim prophetică auctoritate, partim regiâ dignitate potentes, partim viles homines coram mundo: non uniformiter etiam procedit. Ideóque vocatio ordinaria, non hîc ita strictè urgenda. vid. Christ. Matth. Dithmars. *Colleg. polit. 2. disputat. 6. thes. 16.* Nam & quandoque unus, aut pauci privati, doctrinam renovârunt. Richter. *axiom. ecclesiastic. 29.* Interdum Deus mala media in bonum vertit, interdum ministerium pravas introducit opiniones; quandoque Princeps: interdum utrique. Ergò omnes timidè & cautè agere debent, nec alia nisi lenia media (ut jam monui suprà) & quæ primitiva Ecclesia usurpavit, adhibere.

VII. In Sueciæ Regno qui adhibitus fuit modus, à Rege Gustavo, non absonus est: etenim regni ordinum consensu, & publicâ priùs de præcipuis fidei Christianæ articulis institutâ disputatione, cui ipse præsedit, Religionis reformatio instituta fuit. quâ de re latè Chytræus, *in Chron. Saxon. fol. 292. &c.* Hâncque rationem in Angliâ quoque observavit Elisabetha. Rod. Boterejus, *histor. lib. 10. fol. 119.* Meteranus,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 3, [133] - 131

In der Niderländischen Histor. *lib.* 1. & hic modus omnium optimus videtur, si modò careat affectibus privatis.

VIII. Alia est quæstio, sed hîc non aliena, & maximi omninò momenti: An Christiani Principes debeant resistere assertæ tyrannidi Pontificiæ, & vi eam impedire atque frangere? Quod affirmat Pareus, *de Iure Regum fol.* 69. vide articulos Smalcald. *fol. m.* 351. *tit. de primatu Papæ*. Verùm hac de re statuat certum aliquid providentia divina, quæ tempora & occasiones sola novit, non ego! Sanè defensio fieri debet moderatè, & sine turbis. Ergò, multò magis offensio aliorum nunquam suscipienda.

IX. Rectè tria sibi reservâsse Deum, dicere solebat Poloniæ Rex Stephanus: Ex nihilo aliquid facere, scire futura, & conscientiis dominari. *Apprenez de moy, que la pieté est un devoir de l' homme, envers Dieu: sur lequel le bras de la chair, n' a point de puissance.* Cygnea est Cantio Heinrici III. Galliarum Regis. Pierre Mathieu, *en l' histoire de derniers troubles, lib.* 5. Daß Religions Sachen / nit mit dem Schwerd wöllen gericht vnd gehandlet werden / auch kein Erbarer / Gottsförchtiger / vnd Friedliebender / anders sagen werde. &c. scribit ad Lazarum Schvvendium, laudatissimæ memoriæ Maxæmilianus II Imperator, *in epistola, quæ habetur tom.* 1. *constitut. Goldast. ad fin. ut & in oration. quâdam contra Iesuit.* Ac cùm aliquando, ad Imperatorem Maxæmilianum diceret Augustus, Saxoniæ Elector, se ministros suos velle idem sentire, & credere in Religione, quod ipse teneat, & inter se omnes esse concordes animis ac fide. Id verò (respondit Imperator, piè, sapienter & graviter) ego mihi non fumo. Nec experiri illud volo aut debeo, qui Imperium in conscientias non habeo, nec mihi vendico: & quæ sit carnificina conscientiarum, si cogantur, non ignoro. Historia Carcerum Casp. Peuceri, *fol.* 287. Quod idem repetitur, *fol.* 361. & 478. Juris naturalis est, conscientiam liberam habere, & credere quicquid velis. Ergo, adimere hoc jus Princeps nequit, aut neque sub pœna exilii prohibere. An autem liceat exigere juramentum religionis. Joh. Gerhardi *loc. de magistrat num.* 210.

X. Magis Deo, quàm hominibus est obediendum. Et qui hæreticus est, vel pro tali habetur, se Deo placere, semper sibi persuasum habet. Ergò justè magistratus jussionem se spernere putat: sicque appareret hæresin non civile, sed spirituale peccatum esse. Quod & Socrati (in causâ longè inferiori) visum fuit æquum. Vide Zachariam Friderich *polit. cap.* 26. *fol.* 141. Dissentit Johan. Mercerius, 2. *opin. cap.* 26. Qui, ut & Romano-Catholici ferè omnes, Principem ad religionem subditos cogere posse, putat. Cui consentit, *l.* 8. §. 5. *C. de hæret.* & Fride-

ricus

ricus II. Imperator, *in authent. Gazaros eod. tit.* quæ constitutio etiam extat apud Petrum de Vineis, *lib. 1. epistolar. 25. &c.* Ac facit, quod B. Paulus Apostolus, inter opera Carnis, hæreses recenset.

XI. Talis omninò circa Religionem Imperantibus adscribenda est potestas, ut etiam sub infideli Principe, tuto hospitio frui queat religio vera. Nam semper ea, communiter etiam ab iis, qui coram mundo justi, pro hæresi habetur. Vnde Lutherus, *in suâ Postillâ Dom. 14.* Die seind nicht Gottes Volck / welche den Namen / Schein vnnd Ehr davon haben. Die seind Gottes Volck / die den Namen vnd Schein haben / daß sie Kätzer / abtrünnige / vnnd deß Teuffels eygen seyen / &c. Darumb laßt vns hüten vor allem deme / das da scheint / es treuge gewißlich. Hi qui studia doctrinæ cœlestis præcipuo quodam amore colunt; non solùm rei familiari malè prospiciunt, sed etiam superbè ab impiis deridentur, conculcantur: omnibus tyrannorum & hæreticorum telis propositi sunt. Res ostendit, ecclesiam in hâc vitâ cruci subjectam esse, & conculcari ab imperiis mundi, contrà verò impios dominari. Ecclesia, aut nullam, aut exiguam habet defensionem in mundo: & plerunque vera ecclesia humanis præsidiis est destituta. Vera Christi ecclesia semper exulat in hoc mundo. Plerunque Imperia inimica sunt ecclesiæ Dei. Semper ecclesia vagatur in mundo inter Diabolos, & inter impia Imperia, sicut exiguus grex ovium, inter multa luporum agmina. Richterus, *axiom. ecclesiast. 1. 3. 4. 5. & 7.*

XII. An verò cogere liceat subditos, ut externè audiant conciones, quas adprobat Princeps? Id sanè in Anglia fieri, Mercurius Gallicus nunciat, *tom. 1. fol. 20 b.* & placet etiam Timplero, *4. politic. cap. 2. quæst. 3.* ut & Zepperus, *de legib. Mosaic. 4. cap. 3. fol. 260.* censet, hæreticos non ad fidem, sed ad fidei media cogi posse. Sed tamen & hoc durum nonnullis videtur, ut dixi *lib. 2. politic. cap. 1.* ubi de religione pluribus egi.

XIII. Quâ ratione moti, non eam duritiem Religio sæ Pacificationi in Romano-Germanico Imperio affingere nolunt multi: ut subditos pacificè viventes, ad hanc vel illam religionem amplectendam, vel emigrandum, vigore illius cogi posse, dicere audeant. Vt contra Franciscum Burckard. quem Antonius Possevinus, Andr. Ernstenberger nominat, von der Freystellung. *lib. 1. cap. 7.* asseruit Friderus Mindanus, *lib. 1. cap. 20.* ut & Thomas Michaël. *disput. de jurisdict. thes. 49* Herman. Esai Rosakorb. *praxus forensis cap. 31.* Just. Springer. *de pace religiosâ. cap. 7.* & qui nunc ex Springero, Syringus factus, *disput. de cad. mater. th. 36.* Johann. Forsterus, *disput. ad Oration. Dominic. decad. 1. problem. 7.* Johann. Camman. *disputat. de jure majest. 3. th. 28.* Petrus

Leopold. *apud Arumæ. discurs. 24. thes. 2.* & Bernhard. Bertram. *apud eund. discurs. 25. thes. 19. &c.* Michaël Wendlandus, *dissertat. Catholic. fol. 304. &c.* adde Athalar. Egenolph, apud Goldast. *in politic. Imperial. fol. 912.* Sed tamen quod nos improbamus in Catholicis, probant ex nostratibus quidam, cùm quæstio est de expellendis à nostrâ confessione alienis. Vid. Polycarpum Leyser. in dem Regenspiegel / in der dritten Predigt/vber den 107. Psalmen *fol. 107.* Et succurrit hic historia Athanasii, quam videre licet apud Ruffinum, *histor. eccles. lib. 10. cap. 19.* de jure verò emigrandi, disputo ego *lib. 2. polit. cap. ult. num. 59.* & Cranius, *part. 2. problem. 1.* ubi *problem. 2.* disquirit, an liceat Collegia, seu Conventicula privata habere? ubi etiam censet; Landsassios in suis arcibus ministrum habere posse. *& problem. 3.* An aliis in locis liceat loca sacra adire?

XIV. Quin & cautioribus placuit Politicis, interea dùm hæreseos malum, iis quæ Christus præscripsit remediis, mutari nequit: tolerandam esse religionum varietatem, non approbandam? Ita ut à corporis & bonorum offensione liberi sint sectatores, & cultus sui peragendi facultatem habeant: modò id sine tumultu fiat, & publicæ tranquillitatis inquietudine. Bodinus *lib. 4. de republic. cap. 7. num. 486.* Justus Springer, *de Pace religios. cap. 15. & seq.* D. Polycarpus Leyser, *in duello Cleseliano.* Gerhard: *loco de magistrat. num. 199. &c.* Francisc. Balduin. JC. *in consil. pacificat. Belgis dato, quod extat in historia Belgica, de Iean François le petit. lib. 1. fol. 79. &c.* Johann. Molanus, *lib. 3. de fide hæret. servandâ, cap. 17. &c. & lib. 4. cap. 11.* Clem. Timpler. 4. *Politic. cap. 21 quæst. 2.* Hoc sensu Anno 62. in conventu ad sanctum Germanum, egregiè Cancellarius Hospitalius: Non hîc, inquiebat, de religione constituendâ; sed de republicâ ordinandâ agitur; & multi cives esse possunt, qui minimè sunt Christiani, & qui ab ecclesiæ gremio remotus est, non desinit esse civis; ac pacatè vivere possumus cum iis, qui nobiscum eadem sacra haud colunt. Thuanus, *lib. 28.* vide Montaign. *2. des essais, cap. 19.* Sicque juramenta præstita pro Ecclesiâ Romanâ defendendâ, non adigere ad hæresium extirpationem, traditur in Mercurio Gallico. *tom. 4. fol. 31. & seq.* & sub Anno Christi *1616. fol. 100.* Et sic etiam Jovinianus: scivit, ut omnes credant, quæ velint; sed tamen orthodoxos honoravit. Tripartit. *7. cap. 4.* Recueil des publiques actions, multa similia exempla habet, *tom. 1. fol. 365. &c.* Ac qui Lutherum oppugnant, prætendunt: iniquum esse, soli Luthero licuisse taxare Papam, in ejúsque inquirere doctrinam: aliis non parile jus esse in Lutherum. Durum videri posset, ullo tempore hæreticis concedere cultus sui peragendi facultatem: sed id ni fiat, Epicuræi & Libertini, qui antè hæretici, fiunt.

Multis

Multis sanè rerumpublicarum exemplis tueri quimus hoc enunciatū: taceo Moscovitas, qui omnes tolerant exceptis Catholicis. Mercure Franç.*tom.*1.*fol.*31. Hócque in Belgio, Galliis, &c. neglectum fuit: nec ibi quievêre motus, usque hæc adhibita fuit turbis medela. Sed vide Procopii historiam secretam,*fol.*51.*&c.* ubi consule notas, ut &*fol.*60. *&c. ac quoque præfation. fol.*1. ubi Politici pessimi dicuntur, hoc qui probant.

XV. Licet quoque de tolerando pactum inire. Ac pro pace religiosâ in Germania, propugnat Gerhardi, *loco de magistratu. num.*201. quam tamen oppugnat Burckardus *in Antonomiâ*, In der Freystellung. Nec placet fundamentalis Monarchiæ Hispanicæ lex, nullum tolerans hæreticum: Defensio Belgarum, 3.*fol.*60. *&c.* à quibusdam in Germaniam, infausto omine (ut nonnulli putant) introducta: Qui iidem dicūt; Valeant importunæ illæ Hispanorum jactationes, quòd nunquam paci cum hæreticis subscripserint. Vide Thuan. *in epistol. dedicator.* Quin ipsi etiam Hispani propositum mutavêre, Mercure François, *tom.* 1.*fol.*6. Vndè & illud Catholicorum nonnullorum emblema, hæreticis fidem pacificationum, vel salvi conductus, etiam juratam, haud esse servandam; pessimi judicii à plerisq; incusatur. Hotoman. *illustr. quæst.* 11. Fachinæ.*9.controvers.*58. P. Gregor.11.*de republic.cap.*10. *num.*9. *& seq.* Bodin.*5. de republic.cap.*6. *num.*596. *& num.*607. Waremund. ab Erenberg.*de fœder.*2.*cap.*2 *num.*40. Hœnnon.*disput.politic.*2.*th.* 13.*b.* Gerhardi,*loc.de magistrat. num.*209. *&c.*

CAP. VII.

De usu bonorum Ecclesiasticorum transformando.

PRætereà ex hactenùs indagato fonte promanat; quòd res, prædiaq; ecclesiastica, si usus ad quem destinata sunt, impius vel superstitiosus deprehendatur, ad alium conferre possunt Imperantes. Franciscus Balduin.*lib.*1.*de legib. Constantin. Magni, fol.*28.*&c. facit l.*16.*de usu & usufruct. l.*5.*de administr. rer. ad civit. pertinent. l.*13.*de pollicitat. l.*8.*C. Theodos. tit. de jure fisci. l.*5.*C. Theod. de loc. fund. in emphyteut.* Ærod. *lib.* 1.*tit.*8.*cap.*5. Et ita olim agros & opes, Vestalibus de publico statutas, & à privatis pietatis ergò legatas, Fiscus eripuit, sub Valente & Theodosio Principibus: invidiosâ sanè & diserta Symmachi querelâ (cui singulari libello, S. Ambrosius respondet) quam etiam Eunapius repetit, *in vitâ Ædē-*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 3, [137] - 135

tâ Ædesii ad fin. Fuerúntque passim non Deorum solùm gentilium delubra vastata, Ruffin. *histor. lib.* 10. *cap.* 28. sed & eorum simulachra conflata, fiscóque addicta, Histor. Tripartit. *lib.* 2. *cap.* 20. Sic collegia canonicorum & cœnobia, optimâ quondam intentione majorum, ad educandos nempe viros doctos, & castas modestásq; fœminas fundata fuisse nostrates dicunt; & ut emeriti, defatigatione ingravescente, quasi receptui canendo, ad quietem & solitudinem pervenire possint. vide Joach. Vadianum, *tract. singular. inter Alemannicos scriptores, à Goldasto editos, relatus, & vide de Monasterio Frideslariensi*, historiæ ecclesiast. Osiandri, *centur. 8. sub Anno* 717. Sicque etiam canonicos olim fuisse Professores, tradit Lehman, *lib.* 2. *cap.* 33. *fol.* 124. *col.* 2. Hæ cùm fundationes in abusus (ita dicunt Lutherani) converterentur, piæque fidelium eleemosynæ profunderentur, & hypocriticis superstitionibus mundus impleretur; reformationem ideò necessariò fuisse susceptam. Tempora enim mutant mores, mores jus. Barth. Musculus, *de succes. Convent. class.* 1. *membr.* 2. *num.* 183. Et proindè in Germaniâ, non fundatorum heredibus bona illa reddit, vid. Breining. *disputat. de Vniversitat. thes.* ult. sed superstitione (si quæ est) resectâ, in parilem rursùs usum, ut à Principibus convertantur, exigit sanctio Pacis Religiosæ, Religionsfried/ de Anno 1555. §. 21. Als auch dann/ ꝛc. Wilhelm. Zepper. *de Politiâ ecclesiast. lib.* 2. *cap.* 26. *& de legibus Mosaicis, lib.* 4. *cap.* 10. Christoph. Binder, *disputat. de bonis ecclesiast. per Discurs.* Johann. Camman. 8. *thes.* 11. *& seq.* Scheppliz *ad constitut. Brandenburg. fol.* 9. *&c. item* 17. latiss. Hortleder. *tom.* 1. *lib.* 5. *&* 7. *per tot.* Et potest Episcopus convertere bona in alium usum, sed non in alienum. Tuschus, *lit. E. conclus.* 273. Certè in Monachos, contra regulas institutorum depravatè viventes, satis acerbè loquuntur etiam qui Catholici sunt, vide Arioste, *cant.* 18. *Stanza.* 26. *&c.* Melch. Adami *in vitâ tom.* 1. *in vitâ Crantzii fol.* 34. Et certè à Turcis, aliísque propter malos mores, justo Dei judicio monasteriorum destructio fuit subsequuta. Sed tamen monasticum institutum antiquissimum fuit, & jam cognitum S. Dionysio Areopagitæ, *lib. de ecclesiast. Hierarch. cap.* 6. ubi eos locat in numero Laicorum: Sed qui tamen quasi μεθόριοι quidam existimari possunt, sic ut neque in populi humilitate jacebant, neque rursùs ad Hierarcharum ordinem attollebantur, itaq; ad adyti januam consistebant, reliqua omni multitudine superiores, inferiores Liturgis. Eorum proprium fuit, majorem quandam vitæ sanctimoniam profiteri, piis precationibus dare operam paulò studiosiùs, ab inanium rerum tumultu recedere, in medio cætu Christianorum ita vivere, ut longè quàm vulgò religiosiùs consecravisse Deo vitam constaret. Nec Monachi ideò nuncupabantur, quod lucem fugitantes hominúm-

minúmque societatem, in spelæa sese abderent, umbrosásque sylvas, sed quòd mentem atque voluntatem, quantum fieri posset, ab omni caducarum rerum cupiditate distraherent, colligerent animi vires omnes atque potentias, seque verè ἑνιάως in unius Numinis providentiam collocarent. Vide disputationem Apologeticam pro Dionys. Petri Lanselii, è Societ. Jesu, &c. *propè fin.* Pulchra etiam ex Philone de primis Monachis habet Eusebius, *lib. 2. historiar. cap. 7.* ubi inter alia scribit: Est, inquit, in singulis locis consecrata orationi domus, quæ appellatur Σεμνεῖον, vel μοναστήριον. Σεμνεῖον autem in nostra lingua significare potest honestorum conventiculum, in quo secedentes honestæ & castæ vitæ mysteria celebrant, nihil illuc prorsùs, quod ad cibum potúmq; pertinet, inferentes, vel ad reliqua humani corporis ministeria; sed legis tantum libros, & volumina Prophetarum, hymnos quoque in Deum, cæteráque his similia, in quorum disciplinis atque exercitiis instituti, ad perfectam beatámque vitam studiis jugibus coalescunt. Ait porrò: Continentia verò velut fundamentum quoddam, primò in animo collocabant, & ita demùm reliquas super hanc pergebant ædificare virtutes. Cum viris erant & fœminæ; In quibus plures jam grandevæ fuêre virgines, integritatem casti corporis, non necessitate aliquâ, sed devotione servantes: dum sapientiæ studiis semet gestiunt, non solùm animo, sed & corpore consecrare: indignum ducentes, libidini mancipare vas ad capiendam sapientiam præparatum, & ædere partum eas, à quibus divini verbi concubitus sacrosanctus & immortalis expetitur. Vinum nemo omninò, ne gustu quidem contingebat; sed nec quamlibet carnem: tantùm autem aqua fuit eis poculum, & panis cum sale, vel hyssopo, cibus. Meminit etiam Ruffinus, *histor. lib. 10. cap. 8.* Antonii Eremitæ: ac etiam virginum Deo sacratarum. vide obiter de Monachorum & Eremitarum Philosophiâ, Histor. Tripartit. *lib. 1. cap. 11.* Indè in dubium Catholici vocant, quod nostrates dicunt; Monasteria olim fuisse scholas R. P. Grætzerus, *tractat. de Eystadiensibus diis tutelar. lib. 1. observat. cap. 8.* Ac de antiquis monachis ac monasteriis, consule etiam R. P. Heribert Rosvveid. *in not. ad vitas patr. in vitâ Anton. num. 26. & 53. ac etiam in Indice verb. Monachus.* Bellarmin. *de monach. cap. 5. ad fin. & cap. 6.* Benedictini tamen scholas habuerunt, prout nunc Jesuitæ. Miræus, *de orig. monaster. 2. cap. 1.*

II. At quæstionis est in Romano-Germanico Imperio cumprimis controversæ: An quod in constitutione Pacis Religiosæ, jam modo laudato loco est dictum, ad ea tantummodò restringi possit ecclesiastica bona, quæ ante Passavienſem transactionem Clericis Pontificiis adempta fuerunt? Hócque negant Aulico-politici nostrates, & adhuc

hodiè, Principem vel Comitem, &c. ad nostras partes sese recipientem, de territorio suo, quæ sunt bona ecclesiastica, aliis magis piis usibus applicare posse, censent. Sed in contrarium sunt censuræ & sententiæ Camerales; à quibus tamen revisio postulata fuit: eâque occasione omnes revisiones adhuc dum justitiam patiuntur. vide tractat. cui titulus, *Turbatus Imperii Status*. Hâc autem de re variè disputant, Author Consilii, quod suis decisionibus interseruit. Ch. Schvvanmann. *fol. 99. §. dagegen hindert nichts*, &c. Herman. Esaias Rosakorb. *practic. forens. cap. 29. fol. 48. & cap. 30. fol. 55. & seq.* Symphorema supplicat, *tom. 1. tit. 3. fol. 219.* Syring. *disputat. de pace religios. thes. 40.* Cranius *de pace relig. part. 1. problem. 4. in connex.* Treutler. *part. 2. disput. 13. thes. 2. lit. D.*

III. Hìc verò non possum non monere, puriorem religionem qui se profiteri prætendunt Magnates, ne dicata cultui ab ipsis superstitiosus qui reputatur, applicent commoditatibus profanis: eóque apud adversarios pietatem religionémque suam, quæstus alicujus cupiditatis spectam reddant. Art. Smalkald. 3. Schurff. *centur. 1. consil. 48.* Danæus, *3. politic. cap. 2.* Henricus Scotanus, *in parat. C. libr. 1. tit. 2. fol. 26.* Cranius, *tractat. de pace relig. part. 1. problem. 5.* Latherus, *de censu lib. 3. c. 18.* Potiùs senio, valetudinéque impeditis, ministerio quod non cedit ecclesiastico devoveant. *argum. Novell. 3. §. quemadmodum.* Cujus rei neglectionem plurimorum in multis locis malorum causam esse, nonnulli haud immeritò arbitrantur. Paracels. *ad cap. 5. Danielis.* Quâ de re graviter disserit Henric. Petreius, *in eo qui omnium Principum protestantium lectionem meretur, tractat. de monasteriis, fol. 55. b. & seqq. multis.* Eberhard. à Weihe, *tractat. de prærog. succes. lit. H. 7.* de ecclesiasticis officiis agens: Magna, inquit, alioquin prudentíque consilio, & dexteritate singulari ordinata. Quæ, ut & monasteria, tempore repurgatæ religionis, potuissent conservari integra, abusu correcto & remoto. Quod enim Imperatores rescripserunt: Bona quæ error veterum deputavit sacris, nostræ rei jubemus sociari, nimis largè in hoc casu acceptum opinamur &c. Acerbè nostros eo nomine suggillat Barclajus, *in Paranes. li. 1. cap. 4. fol. m. 36. & seq.* Si Monachi vestro judicio in moribus aut fide errabant, cur non iis ejectis mortales alios substituistis, qui his sanctis officiis, purioribus moribus, & restitutâ fide; sed eâdem etiam pietatis sedulitate incumberent? Cur non saltem erogata hæc in pauperes bona, pauperibus olim data, & divino cultui à vestris moribus mancipata? Accidere hereditatem Deo placuit, spoliare Hierusalem, corruptisque testamentis, legatis beneficiis antiquorum, qui hæc Deo sacraverant, diri sacrilegii vestras Provincias, vestras domos astringere &c. Quod de Principibus bonis Ecclesiæ abutentibus, dicit B. Bernhardus; hoc sibi

æquè

æquè dictum arbitrentur Principes, rerum ecclesiasticarum qui habent administrationem. Clamat penuria pauperum, clamant nudi, clamant famelici, conqueruntur & dicunt: Nostrum est, quod effunditis, nobis crudeliter subtrahitur, quod inaniter expenditis, nostris necessitatibus detrahitur, quicquid accedit vanitatibus vestris &c. *In Epistol. ad Henr. Senon. Episcopum*, Tauler *in vitâ fol. m. 28. & c. in edit. Colonienſ.* Apud Ethnicos infame semper vitium fuit, quocunque prætextu Ecclesiæ bona delapidare. Amirato. *discurſ. 15. cap. 5.* Et mordacissimo sale aspergit eos, si qui sunt contrarium hodiè facientes, Boccalini, *tom. 1. Parnaſs. 91.* ut & Menippus redivivus. *Dialog. 75.* Turpissimum est de Christianis dici, quod de suis Catholicis le Seigneur des accords, *fol. 18. b. des touches.*

Iadis on fit un hospital
Pour des pauures parroisiens;
Mais ores comme tout va mal,
On n'y loge plus que des chiens.
Or le Roy veut par touts moyens
Qu'on suyve les fondations:
Ie pense que nous le ferions,
Si nous estions Turcs ou Payens.

Sanè etiam apud eos, qui seriò Catholici sunt, inhiant multi ecclesiasticis bonis: Sicque acerbè contra ipsum Hispaniæ Regem Philipp. III. invehitur Scioppius *in Conſilio Regio, fol. m. 25.* quòd Carthusiæ illi famosæ, in Ducatu Mediolanensi sitæ, voluit adimere nonnulla. Sic olim Abbatiæ, sub Imperio Francorũ, militibus datæ: Pasquier, *des recherch. 3. cap. 34.* Hotoman. *Lex Feud. verb. Abbas*, Filesacus, *tract. singul. sub tit. Querela Eccleſ. Gallicanæ.* Lehman. *5. cap. 67. fol. 540.* & Decimæ iisdem infeudatæ fuerunt, Pasquier *dict. lib. cap. 35.* Voluit etiam Henricus IV. Imperator, adimere ecclesiasticis sua bona. Lehman. *lib. 4. cap. 3. fol. 278.* Quod & Julianus Apostata fecit, Histor. Tripartit. *lib. 6. cap. 7. & 10. ac 32.* Certè etiam impiæ religioni dicata bona, honore religionis, non sunt prophananda. Alain Chartier apud Pasquier, *des recherch. lib. 5. cap. 15. fol. m. 746.* Et malè audit Justinianus, quod Hæreticorum Fana expilavit, Procop. *histor. Secret. fol. 51. ubi notæ.* eóque nomine carpit Volsæum Cardinalem, Abrah. Scultetus, *ad fin. decad. 1.* De abusu item bonorum ecclesiasticorum tale extat Carmen, in Polonico Dialogo *de corruptis moribus, fol. 52.*

Gratum murmur apes, his quondam vivere cellis
Novimus, undè pius copia melli erat.

Ignavum pecus hinc aliena ad pabula fuci,
Venerunt monachi, bestia, pigra, vorax.
Deniq; crabrones his succeßêre maligni,
Qui fucorum & apum dissoluere domos.

Ac Itali inter maledicta, & imprecationes infaustas numerant *Pietra santa caschi nella tua casa.* Silva Curiosa de Medrano *fol.* 24. *&c.* vide tractat. *de præteritis annis in Saxon. inferiori editum*: Daß die Ertz/hohe vnd andere Stifft/ꝛc. in jhrem esse vnd Weſen zuerhalten. Magna autem sapientia requiritur ad dispensandum ecclesiasticos reditus, si nolumus peccare. Origen. *ad Mattha.* Ergò laudabile est apophthegma Christophori, Würtembergiæ Ducis, qui Oetingensi Comiti Ludovico, Jacobum Andreanum, cujus operâ in extirpandis ritibus Ecclesiæ Catholico-Romanæ uteretur, petenti, misit quidem; sed huic suo Theologo sigillatim in mandatis dedit: ut si Comes cum religionis mutatione ecclesiastica bona profanare, intervertere, sibique vendicare conaretur, ipse nulli interesset deliberationi, sed statim domum se reciperet. *Oratio Funebris*, Jac. Andreæ, & repetiit Dn. D. Lansius, *in Orat. Funebr. Frider.* Würtemb. *Ducis, fol.* 45. Alii colorem huic rei obducunt, & ajũt: Non malè insumitur, quod necessitates regni absumunt. Ac etiam distinguunt; inter res Ecclesiæ directè dicatas, & inter jurisdictionalia, aliáque, quibus Clerici superbiunt, & dominantur: ut nempe hæc Fisco applicari, illa nullo modo profanari queant. Ac an Princeps possit Decimis uti, vide Oecolampad. *lib.* 1. *Epistolar. Epistol. ad Ducem* Würtemberg. *fol.* 21.

IV. An melius sit, ut ministri reditus proprios habeant, an verò à magistratu aut privatis personis? disputari hîc potest, vide Albicium. *exerc. Theologic. tit. de minister. quæst.* 15. *fol.* 227. etiam Johann. Gifordium, *de ratione alendi ministros.*

CAP. VIII.

De subditorum officio, si Princeps, aliam, quàm ipsi probant, foveat Religionem.

NUnc & de subditorum hâc in re officio, pauca dicam. Ii adversus Principem, in Religione dissentientem, exiliis licèt ac suppliciis & persequutionibus sæviat, minimè exsurgere, obedientiámque aliis in causis ipsi denegare debent. Id quod Ecclesiæ primitivæ, quàm plurimorum

morum Christi Martyrum exemplo laudatissimo comprobatur, ac superioris etiam seculi Protestantes illud se imitari præ se ferebãt. Matth. 26. *vers.* 52. *& seq.* Johann. 18. *vers.* 36. Albericus Gentilis, *lib.* 1. *de jure belli, cap.* 10. Springer, *de pac. relig. cap. ult.* Junius Brutus, *in vindiciis contra Tyrannos, quæst.* 3. Waremund. 1. *de fœderib. cap.* 2. *fol.* 287. Joann. Gerhardi, *in cent. quæst. polit. decad.* 10. *thes.* 7. Georg. Hakevvil, *in Scuto Regio, lib.* 2. *&* 3. Johann. Forsterus, *disputat. ad Decalog. decad.* 2. *problem.* 3. Bidembach. *consil. Theolog. decad.* 2. *consil.* 5. adde tractatum Berlini, nuper editum, Wie sich Unterthanen gegen jhre Obrigkeit/ welche veränderter Religion beschuldigt/ verhalten sollen/ &c. vide item Epistol. Belgicas, *centur.* 2. *epistol.* 21. Bodinus verò, 4. *cap.* 7. *num.* 485. Libertinorum castra nimis propè accedere videtur. Húcque pertinet, quod alibi dixi: Privatum, carnificem repellere non posse; etiamsi injustè supplicio adficiatur. Privato Principi resistere non licere, si ut Princeps, & sub prætextu justitiæ eum offendat. Sicque Melito, ad Antonium Verum, apud Eusebium, *histor.* 4. *cap.* 26. libenter ferimus mortem, quam à te cognoscimus irrogari. Ac Armenii primi fuerunt, qui propter persequutionem religionis, contra Maximinum rebellârunt. Eusebius, *lib.* 9. *histor. cap.* 8. Decet etiam Episcopos à Principibus pulsos, cedere: nonad rebellionem subditos concitare: exemplo Eusebii Episcopi Samosateni, Histor. Tripartit. *lib.* 7. *cap.* 16. Aliud licèt respondendum videatur nonnullis; ubi Princeps totas urbes exscindere, integras Provincias evacuare nititur: nec jam ampliùs persecutor religionis; sed insanus potiùs tyrannus habetur. Keckermann. *in politic. lib.* 1. *cap. ult. fol.* 527. Robertus Abbatus Oxonienſis, *in demõstrat. Antichrist. cap.* 7. *sect.* 6. vel non absolutam omninò potestatem habeat. Zachar. Fridenreich. *politic. cap.* 26. *fol.* 144. (aut etiam si pacto fuerit exercitium religionis concessum.) Eóque prætextu Smalcaldicum bellum, olim in Germaniâ, Osiander. *histor. ecclesiast. centur.* 16. *part.* 1. *fol.* 199. eruditissimus Hortleder, *disput. hâc de re singulari, quæ habetur in Politicis Goldasti part. ult.* ac idem Hortleder, vom Teutschen Krieg/ *tom.* 2. *lib.* 1. *&* 2. & pro religione, quæ Galliæ & Belgii ordines gesserunt bella, etiam à Theologis approbata fuerunt. Thuan. 17. *fol.* 821.

II. Armis denique religionem adversus externam vim defendere licet: si nempè vicinus Princeps, religionis intuitu, vicino Principi Bellum moveret. Jun. Brutus, *de jure magistrat. cap.* 16. Ferret. *de just. & injust. Belli, num* 68. Albericus Gentilis, 1. *de Bello cap.* 9. Kirchner. *disp.* 6. *thes.* 2. *lit. E.* Bodinus, 4. *de Republica.* 7. *&* *lib.* 5. *cap.* 1. Frider. Tileman. *disputat. ff.* 1. *thes.* 16. Diss. Wigelius, *de vitâ Christi, cap.* 24. Et posito, religionem armis principaliter defendi non posse; sed tamen eam tueri

licet, ut offensio declinetur, intuitu religionis, quæ nobis illata fuit. vide me *lib. 2. polit. cap. ultim. num. 57.* Hócque fecit Judas Macchabæus aliique, &c.

III. Bonus & Christianus Lector perpendat; num quæ hucusque à me ex mente Protestantium disputata fuerunt, sequentibus propositionibus includi queant, (1) Princeps debet omninò constituere, promovere & reformare divinum cultum. (2) Sed hoc non facit jure Imperii; verùm ut præcipuum Ecclesiæ membrum, ac Ecclesiæ consensu. (3) Princeps & Ecclesia, ea hîc debent adhibere media, quæ Christus & Apostoli præscripserunt. (4) Interdum pacis gratiâ multa Principibus, ex pacto conceduntur, quæ ipso jure non habuerunt. Sic in Germaniâ, superioritati, non Ecclesiæ judicio annexa est reformatio Ecclesiæ. Vel etiam dici forsan potest: Pacem religiosam concedere hanc potestatem Statibus territorii, qui jura habent, respectu tantùm Imperatoris, & statuum aliorum, non autem excludere Ecclesiam suæ ditionis, vide Reinking *lib. 3. class. 1. cap. 6. num. 6. &c.* (5) Pariter jam constitutâ religione, & Ecclesiâ, interdum administratio rerum quarundam ad Ecclesiam spectantium, Imperantibus (nomen populi complectente magistratu) sapienti consilio, ac ut turbæ evitentur, committi potest. Sícque in Germaniâ, directionem habent Status nostræ confessionis, Ecclesiasticorum Consistoriorum: Ministros vocant, de causis matrimonialibus judicant &c. Sed tamen jura Episcopalia, ut depositu, non jure Dominii habent. Joach. Stephani *in institut. Iur. Canon. & lib. 3. de Iurisdict.*

SECTIO TERTIA.

DE JURIBUS MAJESTATIS POLITICIS.

CAP. I.

Generalia præmittit.

VUlgò rectéque Galli dicunt: *Dieu donne fil à toile ourdie.* Et Ego itaque, qui hucusque perveni, de auxilio divino, finisque assequutione, eo mediante, non despero. Politica majestatis potestas, cùm in eo potissimùm consistat; ut legibus & judiciis sit

ciis sit absoluta,& Imperio universali rempublicam animet universam. Indè Regalia seu Majestatis jura (quorum quidam infinita ferè recensent, Petra, *cap.* 4. *& multis seqq.* Ac de iis optimè agit Sixtinus, Cammannus, Carpzovii C. apud Arumæum *tom.*3. *discurs.*15. Einsidel) & præ aliis Choppinus, *tractat. de Dominio Franciæ*) ad sequentia capita referri posse, putarem. Quòd scilicèt (1) Legem ac magistratus aliis dare,non ipsa accipere;sed contra Leges & Magistratuum præcepta dispensare. (2) Omnes judicare, nullius judicio obstringi;sed omnium aliorum judicia examinare. (3) Adversus internam & externam vim rempublicam defendere. (4) Rerum gerendarum nervos procurare. (5) Et quæ in republica sunt digniora,& splendida maximè, sola gerere queat.

II. Regalia seu Imperii jura,à jure Dominationis, plenitudinísque potestatis eminentia,non specie,sed ut effectus ac causa differre, ac ex superioritate profluere; ejúsque functiones esse videntur. Ita ut legibus solutum esse, non sit peculiare jus majestatis; sed ipsa majestas & jus quoddam majestatis universale. Arnisæus, 2.*de jure majest.* 1. *num.*9. vide etiam Dn.D.Bocer. 1.*de regalib.num.*2.Dissentit Arnold. Clapmarius, 1.*de Arcanis rerumpublicar.*11. *& seq.* Et ego itidem aliquando existimavi, duas tantum essentiales notas majestati esse tribuendas; posteriorem quam quidam addunt (legibus soluta) inter affectiones à prioribus dependentes collocari debere.Eo ipso enim, quòd majestas summa & perpetua imperandi potestas dicitur, nec superiorem, nec parem agnoscens; necessariò consequi putavi, eandem omni alieno imperio solutam esse.Sed tamen,cùm in administratione regalium quarumcunque ea emineat, & cum liberâ illâ potestate regalibus hisce juribus omnibus utatur is,penes quem arbitrium Imperii est. Ideò à cæteris regalibus, species contradistincta esse nequit: rectiúsque dici putarem; jus majestatis spectare ad dominationem universalem (de quâ egi *suprà sectione prima*) & particularia jura, quorum nunc aggredior explicationem.

III. Variè porrò distinguuntur & assignantur majestatis jura. vide Johann. Camman. *disputat. de jur. majest.* 2. *th.* 45. *& seqq. usque ad fin. disput.* Clapmarius, 1.*de arcan.d.cap.*11. Henric.Velsten. *cent. quæst. polit. decad.* 8. *th.* 4. Quidam ea fluere dicunt ex tribus officiis majestatis: Ordinando,judicando,& vindicando. vide Paurmeister. 1. *de jurisdict. cap.*3. *num.*13. *&c.* ac Börtium,apud Arumæum,*discurs.*30.*cap.*3.*th.* 3.*& seqq.* Regalium quædam in signum superioritatis, quædam in vim privilegii singularis competere,dicit Thomas Michael. *de jurisdict. th.* 24. hoc est,quædam in signum supremæ competunt potestatis, quædam

tantùm

tantùm ratione dignitatis præservatæ. Fachinæus, *13. controvers. cap.* &. Communiter in majora ac minora separari solent. Majora, Vultejus & Bocerus, dignitatis, Imperii seu majestatis; minora, utilitatis & fisci appellant, illa personam Imperatoris, hæc fiscum respicere affirmantes. Cui ferè geminum esse puto illud, quod Joachimus Stephani, *3. de jurisdict. cap. 8. num. 2. & c.* scribit: Regalia consistere in duobus, (1) in αὐτεξουσία, seu libertate agendi ex placito. (2) τῇ δεσποτίᾳ, aut universali Dominio rerum. Et *num. 28 & c.* docet idem: Jura fiscalia, posteà regalia dicta fuisse, quæ Imperatores, Imperio mutato, concesserint regalibus feudis, &c. vide Hotoman. *in Lexic. verb. Regalia.* Verùm regalia minora, vel fisci, nihil aliud esse mihi videntur, quàm extraordinariæ collationis, nervorúmque reipublicæ procurationis effectus, vel modi speciales exactionum. Et propriè in ipsâ majestate, non sunt gradus; sed ipsa individua existit, sicque ratione essentiæ, non sunt alia majora, alia minora.

IV. Nec hîc scrupulum mihi injiciunt, quæ politicorum prudentissimus, Arnoldus Clapmarius, *1. de arcan. cap. 21.* ex mente juris interpretum prætendit, cùm ait: Quæ regalia dicuntur Feudistis. *2. feud. tit. 56.* à jure Imperii multis differunt modis. Partim quòd regalia, sive majora sive minora; non secùs atque immobilia, aliis in feudum conceduntur. Partim quod talem non præ se ferunt majestatem &c. Nam & alia, quàm fisci regalia beneficio Imperatoris exercent ii, qui jura territorialia habent; ut docebitur suo loco. Ac etiam regalia fisci, jure majestatis, non patrimonii privati, spectant ad Imperatorem: víque solutæ potestatis instituuntur. Licèt iis jam institutis, eorum commoditas in alterum transferri possit; Bortius apud Arumæum. *discurs. 30. cap. 3. thes. 47. fol. 898.* túncque non ut jus majestatis; sed ut alii reditus possidentur: pariter ut à laicis jus decimarum. Verùm facultas ejusmodi regalia instituendi de novo, æquè rarò, ac libertas majora usurpandi conceditur in feudum. Quin & ex sublimiori potestate, procedit horum regalium imponendorum facultas; nimirùm ex δεσποτίᾳ, quæ major esse videtur, quàm αὐτεξουσία.

V. Dn. Joachim. Cluten, *in Syllog. thes. 17. & 20.* inter reservata, & jurium regni administrationem distinguit, ut & Jacob. Bornitius, *tractat. de majest. cap. 30. & seq.* Reservata & regalia, à jure majestatis secernit. Ego nihil incommodi video, si omnia ea majestati adscribantur, & ei essentialiter inesse dicantur. Nam & sibi aliquid singulatim reservare, nemo potest nisi majestas. Nec perspicio satis, quomodo jus monetæ, Bornitius tribuat majestati; jus Nundinarum, Stapulæ, Academiarum, Asylorum aperiendorum, &c. segreget ab eâdem. Regalia dicuntur

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 3, [146] - 144

cuntur interdum, tanquàm competentia soli regi: eo nomine sunt jura majestatis. Quandoque ita nominantur, utà solo rege data; hócque in significatu, sunt tantùm usus jurium majestatis, deficiente proprietate. Reservata appellitantur, respectu jurium datorum; quasi cum iis non concessa. In majestate omnia essentialiter sunt idem.

CAP. II.

De legum ferendarum potestate.

MAjestas ut legum vinculo est liberata: ita subditos omnes sanctionum nexu obstringit, & ad metam civilis societatis, vel ducit, vel trahit. *can. quæ contra mores. distinct. 8.* Leges ergò sancire (aut edicta, Petra *cap.* 10. vel bannimenta proponère: Tuschus *liter. B. conclus. 2. & c.* Gebott vnd verbott) quibus subditi universi ac singuli obstringantur, primum & præcipuum majestatis civilis est attributum. vide Vasquiũ, *illustr.* 47. Conrad. Lancellot. *templ. judic. 1. cap. 1. §. 4. fol.* 311. Bornitium, *de majestat. cap.* 16. Johann. Camman. *disputat. 4. th.* 1. *& 15.* D. Martam. 1. *de jurisdict. cap.* 37 Indéque Jacobus Patriarcha, sceptro immediatè legislatorem conjungit. Genes. 49. *vers.* 10. Hócque sine jure potestas politica stare nequit: Legis namque virtus est imperare, vetare, permittere, punire, *l. 7. de legib.* Eo ideò regali, omnes respublicæ perfectæ gaudét, non recognoscentes superiorem. Idémque talium statuta dici debent jus commune ac civile. Rol. à Valle, *de lucro dotis quæstion. 2. à princ.* Jus jam constitutum dicere, decernere, redderéque, aut etiam facto applicare ac exequi, aliorum est magistratuum ac judicum; in præsenti verò leges condere, solo dignum imperio esse oportet. *l. fin. §. 1. C. de llb.* Hinc respectu auctoritatis condendi legem, vox Regis, pro vivâ lege habetur, *l. 2. §. 1. de origin. jur.* Quódque Principi placuit, animo legis sanciendæ, legis vigorem obtinere putatur, *l. 1. ff. de constit. princip.* Sive id spontaneus ingesserit motus; sive precatio, sive relatio, vel lis mota, legis postulaverit occasionem *l. 3. C. de llb.* Hoc intuitu, Imperatori ipsas leges subjecisse Deum, legémque animatam ipsum hominibus misisse, dicitur *in Novell. 105. cap. 2. ad fin.* quatenùs scilicet jus positivum tollit. Lancellot. *d. §. 4. fol.* 315. ex causâ contra jus naturale & gentium statuit. Lancellot *d. §. fol.* 331. ipsúmque jus divinum limitat. Lancellot. *d. loco fol.* 332. vide suprà quæ dixi *discurs.* 1. Lex itidem irritat contractus. Becanus *in scholast. theolog. tit. de llb. cap. 6. quæst. 9.* potéstque habilitare personas, *quæst.* 10. Ex hisce itidem colligere quimus, potestatem legis condendæ, non meri imperii vel jurisdictionis; sed de reservatis Princi-

cipis esse. Dn.Bocer. *1.de jurisdict. num.*18. *&* 43. Fachinæ. 13.*cap.*11. *fol.*204.*& lib.eodem cap.*22. Camman. *4.th.*12. Interdum quoque peregrini populi leges usurpantur,quamvis ejus imperium non agnoscatur:sicque Poloni Saxonico jure utuntur. Fulstin. 10. *cap.* 8. multæque civitates jure Lubecensi, Musculus, *de succeß. convent. membr.*2.*claß.*1. *conclus*5.*fol.*85. & ego, *de appellation.cap.*2.§.7. Sed hoc fit approbatione summæ potestatis, quæ dum alienæ gentis leges introducit, eas de novo in suo territorio condere videtur.

II. Quòd verò,non posse subditis, sine consilio sapientis legem dari,nostri adstruunt interpretes utriusque juris: Augusti.Morla.*empor. jur.tit.*1.*quæst.*3. Cornel. Benincas, *ad titul. extr. de constitutionib.q.*7. hoc de nudâ consiliorum percipio adhibitione,quæ nullo modo jus imminuit majestatis,felicitatem sed magè promovet ejusdem, ad beatitudinémque imperii,& ad ejus gloriam redundat. Camman. *disputat.*4. *th.*9.Cluten.*in paradox.th.*10. Sicque in Francia,Lehman, *lib.*2.*cap.*39. *fol.*149.ut & in Germaniâ, idem *lib.*5. *cap.* 60. Semper in Comitiis populi Optimatum leges adprobatæ fuerunt. Sanè quod in *l.* 8. *C. de lib.* habetur,ad conceptionem & constituendæ legis consilium refero. vide omnin.Camman. *4. thes.*10. Debet enim lex commune esse præceptũ, virorúmque prudentium consultum,*l.*1.*ff.de legib.* & à multis, non ab uno est determinandum,quod legis obtineat vigorem. Velstenius, *decad.*5.*th.*9.Sic Decemviris legum ferendarum auctorem fuisse Hemodorum quendam Ephesium,in Italiâ exulantem,refertur *in l.* 2.§. 4. *de orig.jur.* Imò ipsi Decemviri; qui legum à se conscriptarum confirmationem,à populo petere fuerunt coacti; Livius 8. Jura majestatis haud obtinuerunt. vide tamen *l.*2.§.4. *de orig.jur.* Sic etiam voluit Justinianus,non valere legem,nisi à Præfecto Prætorio fuerit adprobata. *Novel.*151.*&* 152. nec tamen illum majestatis participem fecit.Sícq; posterioribus temporibus Senatui à Principe permissum fuit, ut Procõsules crearet,Consulibus legatos, & jus prætorium præsidibus daret, leges quas Principes ederent, ipse Senatus consultis propriis consecraret, ut Vopiscus *in Probo* testatur. Idémque apud Gallos Curia Parisiensis munus habet, ut nempè adprobet leges, de alienatione Domanii cognoscat.

III. Sed commodè quæritur hîc: An & quatenùs Statuta, usu, moribúsque civium non recepta ligent,ad causarúmve decisionem allegari queant? At Statutorum validitatem minimè requiri, ut ea moribus,ac usu civium recipiantur,exindè quis colligere possit, cùm eorum vis absolutè pendeat ex voluntate, jussúque statuentis, tanquam superioris. Etenim quod Principi placet, legis habet vigorem, ac Principis

est ju-

est jubere, civium obedire, *l.1. de constitut. princ.* Hincque leges, hominum vitas constringere dicuntur. *l. leges 9. C. de legib.* & superbiæ fastidio tumidus deprædicatur, qui Principis sui sensum contemnit, *l. si Imperialis 12. C. dict. tit.* Ita ut pœnâ magis digni videantur cives, qui statutum non observârunt, quàm ut ullus exindè, se suæque litis decisionem, tali statuto ritè subtrahere queat. (2) Haut etiam dici posse videtur, statutum usu non observatum, quasi per consuetudinem contrariam abrogatum censeri; Cùm quippe qui Statuta facere nequeũt, absque superioris confirmatione, ii nec consuetudinem contrariam facere possint, inscio superiore. *arg. l. 2. C. quæ sit long. consuet.* Sed aliud tamen communissimè receptum est: nempè si Statuto aut consuetudine inveterata, contraria reformatio vel Statutum fiat, verùm ante & post reformationem, Statutum, morésve veteres fuerint observati; hoc ipso legẽ, morésque pristinos esse retinendos, neglectâ posteriori reformatione: ut quæ moribus haut fuerit recepta, Paris de Puteo, *in tractat. de Syndicat. verb. Statutum in princ. vers. & in hoc semper prævalet Statutum semper practicatum.* Alex. *consil. 6. incip. viso themate, sub num. 2. lib. 1.* Ac pro regula generali tradunt: Statuta, quæ moribus civium non sunt observata, nullas habere vires, nec etiam quenquam obligare. Jason. *in l. si filius 7. sub num. 22. ff. de liber. & posthum.* Rol. à Vall. *tractat. de lucro dot. quæst. 99.* Schrader *de feud. part. 10. sect. 20. num. 151.* Schulthes. *quæst. practic. 1. tom. 1.* Sícque universum Saxonicum Jus, etsi multis jam seculis mandatum literis extet, & ab Imperatoribus etiam confirmatum siet: Muscul. *de succes. convent. class. 1. membr. 2. conclus. 5. lib. 6. num. 187.* attamen id eatenùs duntaxat obtinet locum, quatenùs usu est comprobatum, forensíque consuetudine receptum. Hartman. Pistor. *lib. 1. quæst. 16. num. 11.* Scheffer. *part. 2. quæst. 14.* Ratio verò hujus decisionis, non consistere videtur in eo, quasi Princeps, vel quilibet leges ferendi, Statutáque ordinandi potestatem habens, haut eam exercere possit, absque civium vel subditorum assensu. Ut equidem placet doctissimo Becano, qui in *si holast. theolog. part. 2. tract. 3. cap. 6. quæst. 8. fol. 322.* (vide Bellarmin. *2. de Concil. cap. 17.* Carnin. *in Turri Babel. cap. 3. fol. 75.*) scribit: Principem non habere facultatem condendi legem, repugnante communitate. Id licèt æquitati naturali congruum existat, vix tamen quis apud Aulico-politicos obtinebit, & quoque in jure nostro sacrilegium habetur, de judicio ac potestate Principis disputare. *l. 3. C. de crimine sacril.* Ideóque puto, eatenùs statuta usu haud adprobata, non valida censeri: quia Princeps, permittens statutum, legémque suam non observari; tacitè censetur voluntatem, legémque suam revocâsse. Eadémque ratione valet consuetudo contraria legi, aut abrogato-

ria statuti, ad populi commodum facti: adeò ut nostrates dicant, scientiam vel consensum Domini superioris, eo in casu necessarium haut esse. Natta *consil.19.incip.in causa D.Thesaurarii n.7.& consil.98.in causâ, & quæstione vertente,num.6.* Rol. à Valle. *d.tractat.de lucro dot.quæst. 99.num.12.* Schultes, *dict.loc.quæst.2.num.6.&c.* Sed sufficit, dum consuetudo introducitur, Principem non contradicere; etsi consuetudinem in generatione jam esse ignoret. Vult. *consil. Marpurg. 33.num.75.lib.1.* Ita hoc peculiare, seu potiùs mirabile consuetudo habet, ut eâ mediante, tacitè legem abrogare populus possit; quod eidem nullo modo licitum est, expressâ facere voluntate. Johann.Faber. *in §. ex non scripto, sub num.11.institut.de jur.natur.gent.&c.* Hoc tamen ita puto intelligendum, ut necesse videatur; statutum vel per tale tempus non observari, intra quod illud per desuetudinem abrogatum videri queat, *argum. traditor.* à Petr.Salazar. *de consuet.cap.8.num.12.* vel in Principis, ejúsve officialium præsentiâ, aliquot actus contra statutum in populo fuisse gestos, quibus auctoritas, seu vinculum statuti inhibitum censeri debet. Petr.Raven. *tractat.de consuet.ver.consuetudo non derogat legi.* Pruckmann. *consil.47.num.25.lib.1.* Schultes, *quæst.2.num.34.&c.* Vix quoq; est, ut solo non usu derogetur legi; sed contrarii requirantur actus, Scheffer. *2.quæst.14.nu.2.&c.* Et itidem, legem usu non receptam esse qui dicit; illud probare necesse habet. Schultes, *lib.1. practic. quæst.50. num.8.&c.* nec hîc requirerem cum Scheffero, *dict. quæst.14.num.6.* ut constet eam aliquando fuisse observatam. Sed tamen ut jam suprà dixi, justum est, ut Princeps consensu subditorum faciat leges: idque si haud est de necessitate, est tamen de æquitate & honestate. Ac illæ imprimis leges valent, quas populus petit. Boccalini, *ragguagl. 63. centur.1.fol. m.277.*

IV. Ipsa legum ferendarum potestas, alteri committitur nonnunquam; sed nihilominùs auctoritas & sanctio, à solâ dependet majestate. Sic olim Prætor edicebat: id est, quod jus dicturus esset suo anno, proponebat. Goveanus, *de juris dict.1.num.8.* Sic & Ædilium edicta, pars fuerunt honorarii juris. Ac in Republicâ populari, rarò jus à toto populo, sed à parte, paucis, uno, fuit constitutum; nec referre putabatur, an constituerit populus, sive is, cui populus negotium dedit. *l.6.§.1.ff. quod cujusque Universitat.* Donell.1.*comm.8.ad fin.* Tileman. *disput.Pandect. 2.thes.37.vol.2.*

V. Ex hoc itidem descendit, quòd mores populi, consuetudinésque, vel expressè vel tacitè approbare, majestatis est in Monarchico ac Aristocratico Statu: nec potest illîc populus consuetudinem introducere, nisi Principis aut Senatus, (expresso vel tacito) consensu. *l.2.C. quæ*

fit

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 3, [150] - 148

sit long. consuet Tiraq. Faber. *disput. ad instit. 3. th. 9.* Dn. D. Harprecht. *ad § num. 12. instit. de Iur. Natur.* vid. Nicolaum Betsium, *de pact. famil. illustr. cap. 3.* Haud putatur statutum locale, sive legem specialem (quam & inferiores condere queunt) legibus universalibus contrariam esse posse Dn. D. Bocer. 2 *de regalib. num. 62. & seqq.* Undè etiam, quomodo Electoribus, Principibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, &c. jus condendarum legum, statutorúmque competat, manifestum esse potest. Camman. *4. th. 8.* adde me, *ad l. 9. de justit. & jur. quæst. 3.* Sic & statuta facere Collegia queunt, aliæque Universitates; sed non de aliis rebus, quàm quarum libera administratio ipsis est concessa. ut deduxi *in tractat. de Colleg. & Iur. Universitat.* Hîc itidem disputari potest, an si populus aliquis alteri subjiciatur; statim victoris leges agnoscere cogatur? de quo itidem ego, *lib. 2. polit. cap. 2.*

VI. Cæterùm cujus est leges generales ferre, ejusdem quoque est, jus singulare, id est privilegia dare, *l. 16. de lib.* Lancellot. Conrad. *1. cap. 1. §. 4. fol. 319.* Bornitius, *de majestate cap. 16. pagin. 152.* Camman. *4. th. 17. &c.* pulchrè & succinctè hâc de materiâ Scotanus, *in Paratitl. Cod. lib. 1. tit. 14. fol. 102. &c.* sive sint Personæ, sive rei, *l. privilegia. 196. de regul. jur.* Hócque innuit Lex 12. Tabul. cùm ait: Privilegia nisi Comitiis Centuriatis ne irroganto. Qui secùs faxit, capital esto. Privilegia etiam accipiens, vel petens, aut & jactans, eo ipso fatetur, se concedentis subditum esse. Reinking. *fol. m. 251. lib. 2. claß. 2. cap. 8. num. 20.* Ac licèt peregrini etiam privilegia habere possint; id tamen fit respectu territorii concedentis, in quo versantur, vel mercimonia exercent, aut conversantur; quo intuitu peregrini etiam aliquo modo subditis accensentur, ut dixi *lib. 1. politic. cap. 11.* An verò conducat privilegia dare, disquirit Carnin. *in oppugnat. Turris Babylon. part. 3. cap. 4. fol. 609.*

VII. Leges autem ferre, non solùm intelligimus novas; sed & veteres confirmare, *l. 2. C. de decurion. constitut. de concept. digestor. §. 7.* Et ita easdem interpretari; ut ita interpretatio pro jure habeatur, *l. fin. §. 1. C. de legib. l. 43. de vulg. & pupill. substitut. l. Neratius 19. de regul. jur. Novell. 143. in princ. Novell. 161. in princ.* Lancellot. Conrad. *templ. omn. judic. 1. cap. 1. §. 3. fol. 289.* Bornitius, *cap. 17.* Camman. *4. th. 105.* Gæddæ. *ad l. 6. in princ. num. 9. de verb. signif.* Moditius, *in decis. §. lex dubitat. 15.* Symmach. *10. epistol. 40.* Operio quid deliberatio Augusta constituat; cui soli fas est de scitis divalibus judicare. Et idem alibi: Nos venerari potiùs, quàm interpretari oracula divina consuevimus. In hócque consistit differentia juris civilis, & principalium rescriptorum: ut hæc nempè humanâ interpretatione corrigant rigorem legum, qui in multis factorum speciebus severior est, quàm benignitas suadeat æqua,

l.12.§.1.ff.qui & à quibus manumiss. Paul.Busius, *subtil.jur.1 cap.7.* Quod olim munus etiam depositum fuit apud Prætorem: & ab eo multùm discrepat interpretatio, quæ judici competit, vel Jureconsulto. Busius *dict.lib.1.cap.3.& lib.2.cap.2.ac 19.ut & lib.5.cap.16.* Cuilibet enim licet jus interpretari ex æquitate: vide Beconum, *in scholast.theolog.tit. de legib.cap.6.quæst.14.* mutare verò & novum quasi jus constituere interpretatione, Principis est solius. Donell. *1.commentar.13.* Hunnius, *tractat.de interpret.1.cap.1.* vide Illustrem Enenckelium, *tractat.de privileg.lib.2.cap.2.num.14. &c.* Guil. Val. Forsterum, *in interprete suo 1. cap.1.* Acalia est justitia Principis, alia justitia juristarum Boccalini.*cent. 2.ragguagl.95.fol.* 417. An & quatenùs verò solus concedens, privilegium interpretetur, & de eo judicet? vide Moditium. §. *Principum placita, dubitat.50.60.89.229. & 233.*

VIII. Pariliter quoque legis mutandæ potestas, eidem competit, cui & condendæ *l.1.l.penult.l.ult.C.de legib.l.35.de reg.jur.* Donell. *1.comment.12.* ubi Hilliger. Winckler. *de princ.jur.5.cap.7.* Lex quippè etiam justa, potest per tempora justè mutari: non enim sunt leges humanæ de fine, sed de ordinatis ad finem. Bodinus, *1.de republ.num.94.* Barth. Musculus, *de succes, convent.class.1.membr.1.fol.25. & seq.* Bornitius, *cap.18.* Camman. *4.thes.107. &c.* Et proprius hic est legibus, non alligatæ potestatis effectus: etenim legibus si ligaretur majestas; haud pristinis revocatis, alias ponere posset. Attamen evidens utilitas esse debet, ut recedatur ab eo jure, quod diù visum fuit æquum. *l.2.de constitut. Princip.* Legum namque authoritas evilescit; si populus ea mutari videt, qui ab ipso potiùs Oraculi loco haberi & coli debebant. Aristotel. *2.politic.6.ad fin.* Dion. *lib.5.fol.mihi* 501. Cabot. *lib.2.cap.1.fol.*179. Et in mutatione, majori propè curâ prudentiâque opus esse, Politici monent, quàm in primâ sanctione requirebatur. ego *lib.2.polit.cap.2.* Sed pariter ut corrigit Leges; ita etiam Privilegia revocat Princeps. Lancellot. *dict.§.4.fol.m.365.* & dicam Deo Opt. Max. concedente, *in discursu de statu mixto. ad fin.*

IX. Porrò quia majestatis solius est imperare, subditorum obedire. Lancellot. *templ.judic.1.cap.1.§.4.fol.* 433. ii proindè qui summum imperium habent, fidelitatem, legúmque observantiam, ab omnibus æqualiter exigere possunt. Hincque jus Homagii, fidelitatis & obsequii, majestatis functionibus Bornitius adscribit, *cap.27.* nec id usurpare potest ullus, nisi majestatem habens. vide Cominæum. *3.cap.1.fol. mihi* 189. licèt etiam inferiores id regale usurpent.

CAP.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 3, [152] - 150

CAP. III.

Constitutio Magistratuum.

LEgum executionis faciendæ gratiâ, constituitur magistratus: ut sit ille lex vivens ac loquens, minister & custos legis mutæ. *l. 8. de justit. & jur.* Quantum enim est jus in civitate esse, jusque & legem à majestate condi; nisi sint qui illud exequantur, dicant & decernant. *l. 2. §. 13. de origin. juris Novell. 161. in princip.* Ut itaque jura effectum suum nanciscantur; magistratus & judices, aliæque potestates in republicâ ordinari solent. Quamvis lex anima dicatur & domina civitatis; proprium tamen efficiendi motum nullum habet. Cùm verò imperans cuncta providere non facilè possit; plures esse magistratus oportebit, ab ipso constitutos. Hócque modo Principes ac Reges, multos oculos, multas aures, multas itidem sibi manus facere ac pedes, prudenter Aristoteles scribit 3. *politic. cap.* 12. *Novell. 8. in epilog. ibi: Imperii famulitio.* Hósque indè periculo suo creat, & pro iis tenetur. Lancellot. Conrad. *templ. judic. 1. cap.* 1 §. 3. *fol.* 304.

II. Cùm ergò majores præsertim magistratus, maiestatici corporis sint quasi membra atque manus: eorũ itaq; constitutio (non secùs atque ipsarum legum) ad summum meritò imperium dicitur spectare. Regner. Sixtin. *de Regalibus, lib. 2. cap. 15.* D. Marta. *tract. at. de jurisdict. 1. cap. 42.* Bornitius, *cap.* 21. Canman. *6. th.* 57. Princeps primaria officia ipse conferre debet. Velstenius, *centur. quæst. polit. decad.* 10. *thes.* 3. graviter Blaise de Montluc. *lib. 7. des comment. fol.* 215. *b. & seqq.* Fürstl. Tischreden. *lib.* 3. *cap.* 16. Et id maxuma pars muneris imperatorii, vocatur à Zonorâ. Indè olim Romæ ad populi favorem, magistratuum constitutio spectabat: & lex Valeria, sacrum esse cum bonis caput eius iussit, qui imperium nisi à populo haberet. Livius 2. Dionys. Halicarnass. *lib. 5.* Adveniente porrò Principatu, ad curam Principis magistratuum creatio pertinebat. *l.* 1. §. 1. *ad L. Iul. ambit.* Hincque an is quem Princeps elegerit, dignus sit? dubitare, sacrilegium reputatur. *l. 2. C. de crimin. sacrileg.* Indè qui de Provinciâ, cùm ei successum esset, non discedit, crimen maiestatis committit. *l. 2. ad L. Iul. majest.* Ærod. *de reb. judicat. fol. m. 556.* Ut & is qui privatus, pro potestate, magistratúve, sciens dolo malo se gerit. *l. 3. d. tit.* Decian. *tract. crim. lib. 7. cap. 9. num.* 2. 4. & 12. Quòd maxumum regale, incautè neglexisse (& propemodùm à se abdicâsse) ii videntur, qui dignitates & officia ferè hereditaria fecerunt, vide Thesoro Politic. *1. relat. di Francia. fol. m.* 183. Quódque maiestas, imperii iure,

aliquem

aliquem cogere potest, ut publicum suscipiat munus: *tot. tit. quemadm. civil. muner. indic. lib* 10. C. nisi habeat excusationem. vide Wesembec. *consil.* 40 me, *polit. 1. cap.* 11. *num.* 13. *ad fin.* Undè etiam magistratus, abdicando se imperio, nihil agit. *L. legatus* 20. *de offic. præsid.*

III. Maiorum dixi magistratuum constitutionem, ad summum imperium spectare: quia si magistratus, intuitu iurisdictionis mediatè constituantur; illorum creatio regalibus haud annumeratur. Molinæus, *ad consuet. Parisiens. tit.* 1. *gloss.* 5. *num.* 57. Sed tamen & hoc mediatâ Principis authoritate fit: Dn. Hilliger. ad Donellum, 17. *cap.* 7. *fol.* 48. *&c.* nam originaliter omnis iurisdictio, à fonte profluit maiestatis. Lancellot Conrad. *templ. judic.* 1. *cap.* 1. §. 4. *fol.* 341.

IV. Et hinc rectè inter maiora regalia refertur, solióque imperii summi proprium censetur; ius creandi Archiduces, Duces, Marchiones, Landgravios, Comites, Barones, &c. Rosenthal. *cap.* 5. *conclus.* 2. Camman. *6. th.* 60. *& 63.* Sunt enim ii instar Proconsulum, Prætorum, Præsidium & similium: à Regibus earum nationum, quæ Imperium Græco-Romanum destruxerunt, bello subactis Provinciis, (ab initio per annum, posteà ad dies vitæ) in officium & administrationem, ac tandem lege successoriâ, & autocratico nomine Præfecti gubernatores. Knichen. *de jure territorii cap.* 1. Vincent. Cabotius. 2. *disputat jur. var. cap. ult.* ego, *tractat. de appellat. cap.* 2. *section.* 15. *propè fin.* Heigius, *part.* 1. *quæst.* 1. *& 2.* Undè realitas territorii & jurisdictionis, ejusmodi semper dignitatibus respondet: & nemo in Germaniâ reperitur Principum, Comitum antiquiorum &c. à quo non possideatur ditio, vel saltem à suis majoribus non fuerit possessa. Nec ut in Poloniâ, ejusmodi tituli, honores solùm sunt atque dignitates. Stanisl. Krzistanovv. *in description. Statuum Polon. à princip.* Quâ ratione realia Baronum jura, Nobiles habere dicit Rosenthal, qui possident Baronatus, *tract. de feud. cap.* 9. *conclus.* 55. *num.* 5. Quamvis nunc passim in Germaniâ & alibi, Barones, Comites, & etiam Marchiones & Principes merè titulares (qui scili. èt nec ipsi, neque eorum majores, unquàm territoria sic insignita possederunt) reperiantur: vide Amplis. Rutger. Ruland. *de commiss. lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 34. *& c. part.* 2. Reichsabschied de Anno 1548. §. Wiewol auch ꝛc quorum honorum largiendorum potestas ad jus nobilitandi spectat. Et pertinet hûc quod Pasquier scribit: *lib.* 2. *des recherches. cap.* 12. *fol.* 188. ubi ait: *A prendre les choses au vray, les Ducs & Comtes qui sont aujourd' huy, ne sont qu' imagez de ceux qui estoient du temps de Hugee Capet, n' ayans ensemble aucune prerogative sur les autres Seigneurs, si non par une Pompe du nom, & par les ceremonies exterieurs. Car le Duc va devant le Comte, & cestui devant le Baron.* Magna, magnique momen-

momenti controversia est: An Imperator ex Comite designans Ducem, conferat tantùm nobiliorem dignitatem? an verò simul tribuat jus in Senatu Principum votandi. Sanè Würtembergiæ Comes Eberhardus, ab Imperatore Dux nominatus, non solùm sessionem; sed & præcedentiam præ aliis quibusdam obtinuit. At hanc litem non ego mihi despondeo.

V. Singulare; autè Privilegium est Imperatoris Romani: ut ab eo exteri etiam, Regales ac Ducales petant dignitates. Lancellot. *templ. judic. 1. cap. 1. §. 4. fol. 387.* Exempla sunt in Regibus Poloniæ, Daniæ, Sueciæ; Ducibus Ferrariæ, Florentiæ, Mantuæ, Münsterbergæ in Bohemiâ, in Lituaniâ Radziviliorum. Marq. Freher. ad Petrum de Andlo, *fol. 156.* Ac etiam in Rege Cypri, Appendix Helmoldi, *lib. 5. cap. 2.* Sic & jam olim Anastasius Imperator Regi Francorum Coronam misit, eúmque Consulem ac Patricium proclamavit. Claude Fauchet. *tom. 1. des antiquitez. lib. 2. cap. 22.* Sicque nonnulli putant, Magnum Moscoviæ Ducem (absolutissimus licèt aliàs sit) perperàm vocari Regem, cùm nõ sit à Pontifice vel Imperatore Coronâ insignitus. Duret. *des langues, fol. 856.* ex Sigism. L. B. de Herberstein. Ita & Maximilianus II. Imperator, cùm Pius V. Cosmum Florentiæ & Senarum Ducem, Regem creare vellet, sese opposuit, dicens, Non habet Italia Regem, nisi ipsum Cæsarem. Bodinus, *lib. 1. de republic. cap. 9. pag. m. 148.* Sleidan. *continuat. part. 2. pag. 181.* Thuanus, *lib. 46. pag. m. 873.* Obiter hîc addo, etiam ante Pium V. Cosmo Mediceo ampliorem dignitatis gradũ Paulum IV. & Pium IV. pollicitos fuisse, quod tamen veriti quorundam Principũ offensionem, non præstiterunt. Et ideò ne posteà quidem ad evitandam invidiam, licèt Regiâ Coronâ in Aulâ Regum Coronatus Rex, sed tantùm Magnus Dux appellatus est. Natal. Comes, *in histor. sui temp. pag. 454. 455. 551.* Parile exemplum habemus in Carolo Pugnace seu Bellicoso, ultimo Burgundiæ Duce: Hic etenim à Friderico III. Imperat. Augustæ Trevirorum enixè petiit, Maximiliano filio illius, filiam suam & heredem unicam despondendo, ut se Burgundiæ Regem, & Imperii Legatum ac Vicarium crearet: nihílque minùs quàm repulsam veritus Carolus, Sceptrum & Coronam, ac cætera dignitatis regiæ insignia fieri, subsellia in templo, & solium, quæque ad coronandi & inungendi ritum faciunt, parari jussit. Sed frustrà. D. Bitschius, *in annotat. ad Natal. Comit. histor. pag. 376. lit. N.*

VI. Extra ordinem hîc addo, (propriè etenim *ad tractatum de Magistratibus* pertinere videtur.) Cùm ea demùm respublica benè cõstituta censeatur, à cujus gubernaculis removentur mali, Pittacus apud Plutarchum, *in apophthegmatibus*, & prima pars optimi Imperii in eo

consistat, ut qui imperat, sit bonus: altera, ut bonis ministris utatur: turpem ideò esse publicorum honorum, & munerum nundinationem, reique publicæ certissimam pestem. *Novell. 86. cap. 3.* Wesembec. *in para. tit. ad L. Iul. ambit. num. 5.* Turpissimum, ubi hastarum quasi sollemnitate, officia distrahuntur à Jovialibus pullis, & plus offerenti addicuntur. *Novell. 8. cap. 7.* Hoc etenim admisso, quid salvum reliquum erit? fides & probitas evertentur hâc peste quæ omnia venalia habere edocet, & Principum socios fures facit, ac efficit ut unusquisque amet munus. *Esai. 1. vers. 23.*

CAP. IV.

De gratiâ & dispensatione.

LEgum ferendarum absolutam potestatem, noxæ eximendi, criminisque admissi gratiam faciendi, immediatè subsequitur facultas, *argum. l. 37. de regul. jur.* (Indulgentias vocitarunt jam olim, Bellarmin. *1. de indulgent. cap. 1.*) In hac etenim vis summæ potestatis, tanquam divina aliqua, maximè enitescit; eámque solam decet acrimoniam inflectere severi juris. *fac. L. relegati. in fin. de pœnis.* Bodin. *1. de republic. cap. 10. num. 164.* Lancellot. *Templ. judic. 1. cap. 1. §. 4. fol. 392.* Heigius, *part. 2. quæstio. 22.* D. Marta. *part. 1. cap. 44.* Camman. *4. thes. 68.* Ærod. *rer. judicatar. fol. 814.* Dn. D. Plebst. *disputat. feud. 2. th. 49.*

Regia, crede mihi, res est succurrere lapsis,
Nunquam conspicitur meliore potentia causâ.

Et tùm demùm misericordia suum verè tuetur nomen, cùm ei potentia est juncta: sicque Deus, potens & misericors adpellatur. Anton. Perez. *in aphorism. fol. 26. num. 136.* Nihilque magis Principem decet, quàm benevolentiam multorum clementiâ, pœnarúmque remissione sibi conciliare, rigorem per officiales exercere, Boccalini, *1. ragguag. 61. in fin.* In tantúmque hæc remissio venialis, ad superioritatem spectat: ut Carolus V. Imperator, licèt Mediolanensi senatui, potestatem concesserit regiam ferè: delictorum tamen veniam largiri, aut literas salvi conductus criminum reis dare, exceperit singulatim. Hócq; nec matri Regis concedi posse, majestatis sine detrimento, curia judicavit Lutetiana, Bodin. *dict. loc.* Quò etiam Tiberius Imperator respexit, qui Asyla sustulit, ut gratia servatorum, solis Principibus accepta referretur. Tacit. *3. annal.* Hincque Princeps solus Asyla aperit, & ad ejus statuas confugiéti tutum receptum præbet. Coras. *miscellan. ult. cap. 26.* Talis etenim statuarum ac imaginum principalium olim authoritas fuit, ut perindè

ac templa confugis præbuerint securitatem. Salmuth. ad Panciroll. *de reb. deperd. fol.* 224. & circa eas, etiam crimen majestatis potuerit committi. Bocer. *de crimin. majest. cap.* 2. *num.* 12. Sic porrò, ut remittere; ita etiam differre solus supplicium potest, penes quem est summa potestas. Speckan. *centur.* 2. *class.* 1. *quæst.* 7. Quòd autem imperium merum habens, gratiam facere possit, consulit Dn. Metzger. *consil.* 13. præsertim si imperium merum consideretur ut regale.

II. Alia est magistratuum conditio, qui semel judicata minimè mutare queunt: *l.* 14. *l. judex posteaquam.* 55. & *l.* 62. *de judic. l. præses.* 42. *de minor. l.* 33. *de re judic.* Paris de Puteo, *in tract. de Syndicat. §. pœnæ. vers. iuxta.* nec etiam ex causâ, velut ratione innocentiæ posteà repertæ. Codex Fabrian. *lib.* 7. *tit.* 24. *def.* 8. Freher. 3. *de infam. cap.* 7. *in fin.* Dn. D. Bocer post Heigium & P. Fabrum, 5. *de iurisdict. num.* 70. vide Covarruv. *var. resolution.* 2. *cap.* 98. & *pract. quæst.* 34. *in fin.* Clarum, §. *final. quæst.* 60. *vers. pariter. & quæst.* 85. *vers. ulteriùs.* Eorum item corruptæ videntur esse sententiæ; si legibus sunt mitiores. vide Menoch. *de arbitr.* 1. *quæst.* 96. Tiraquell. *in tract. de pœn. in præfat. num.* 21. Facti equidem quæstio, in arbitrio est judicantis; pœnæ autem persecutio, legis auctoritati reservatur. *l.* 1. C. *ad SC. Turpill. ad de l.* 8. §. 2. *Cod. ad L. Iul. de vi public. l.* 8. C. *Theodos. de appellat. & l.* 65. C. *Theod. de Hæretic.* Bornitius, *de majestat. cap.* 19. Cabotius, 2. *cap.* 5. & *seq.* Hincque dicunt nostri Dd. Judicem non posse pœnam, lege vel statuto definitam, suo arbitrio mutare. Dn. D. Bocer, 5. *de Iurisdict. num.* 65. & *seq.* Et licèt sententia sit talis, quæ meritò debeat mutari, hoc tamen judex inferior facere nequit.

III. Cæterùm Princeps potis est, gratiam facere criminis, & pœnæ corporalis, etiam quæ inrogata sit in vicem & locum pecuniariæ pœnæ; tametsi pars contradicat. Antonius Faber, *in Codic. lib.* 9. *tit.* 34. *def.* 1. Moditius *in decis. §. Principum placita, dubitat.* 225. At quemadmodum majestatica potestas, criminalem, ob politicas duntaxàt rationes, introductam pœnam, faciliùs condonare potest; ita à nemine remitti possunt eæ pœnæ, ad auctoritatem Decalogi tuendam, à Deo ipso, quæ sunt sancitæ. Henric. Eckard. *tractat. de ordin. ecclesiast. & polit. fol.* 217. Heigius, *part.* 2. *quæst.* 24. *num.* 29. &c. Obrecht. *de regal. th.* 64. Dn. D. Plebst. *disputat. feudal.* 2. *thes.* 48. *lit. b.* Camman. *disputat.* 4. *thes.* 73. Phil. Hœnon. *disputat. politic.* 9. *thes* 13. & *disput. de reg. Iur.* 7. *ad l.* 37. Ego, *lib.* 2 *politic. cap.* 2. *num.* 19. *vers.* 4. Omnis quòd imperans Dei sit minister, ut vindicet iram Dei, in eum qui malè fecit: *Roman.* 13. *vers.* 4. 1. *Reg.* 20. *vers.* 42. & quia nihil æquius est, quàm eo modo de Criminibus statui, quo absolutissima Divini Judicii æquitas sancivit.

Etiam propter vigorem publicæ disciplinæ, interest reipublicæ, ne delicta maneant impunita. *l.51. ad L. Aquil. l.6. §. illicita C. de public. judic.* Ut unum castigans, centum alios corrigit exemplo: sic uni veniam concedens, cùm hunc ipsum, tùm alios perdit infinitos. Rigiditat malos, non emollit benignitas; nec pravos homines lenitas inflectit. Respondeat ergò Princeps, quod Harpalo olim Philippus Macedo, intercedenti pro suo amico: Melius est, ut ipse qui deliquit, ignominiam ferat, quàm ego. Plutarchus, *in apophthegm.* vide apud Simon Goulard. *in apophthegmatibus sacru.* Lud. Cognomento Sancti, Galliarum Regis notatu dignum effatum, *in loco de justitia.* Similia etiam exempla habet Guil. Paradin. *2. cap. 97. des memoires de l' histoir. de Lyon.* Otth. Melander, *in loco seriu, lib. 1. num. 233.* Memoriam meretur quoq; Biantis dictum: Qui damnaturus quempiam ad mortem, lacrumatus est hominis meritò deplorandam fortunam. Verùm cùm quidam dixisset: Quid est, quòd defleas, cùm in tuo arbitrio sit, hominem condemnare aut liberare? Resp. Bias: Necessarium quidem esse Naturæ condolere: à lege autem & justitiæ discedere regulà, magis periculosum videri. Stobæ. *Sermon. 44.*

IV. In quas regulas ne impingat Princeps, operæ pretium videtur, Hispanorum imitari statutum: ubi Tribunal est, Consilium Cameræ quod vocant; constans ex tribus aut quatuor Doctoribus delectis; qui unà cum Rege deliberant de veniâ delictorum concedendâ, & de aliis rebus, quas illi gratias vocant. Hieron. Conestag. *de Portug. & Castell. conjunct. lib 8. fol. 401.* Ut & hoc venit notandum; ubi exemplo & tamen indulgentiâ est opus; satiùs esse hanc post sententiam interponi. Ut ita neque partes à justitiâ, neque à misericordiâ penitùs excludantur: sed optimo utriusque temperamento procedatur. Ærod. *rer. judicat. fol. m. 566.* Heigius, *part. 2. quæst. 22. num. 26.* Nusquàm insuper condonatio pœnæ laudabilior reputatur, quàm si Princeps injuriam sibimetipsi illatam remittat. Budin. *num. 166.* At de gratiâ dandâ multa habet Tuschus *lit. G. conclus. 51. &c.* de remissione pœnæ & infamiæ, vide Tenninum, *caut. 208.* ac de restitutione gratiosâ, consule Oddum, *quæst. 91. &c.* Et gratia quando valeat, disquirit Farinacius, *de inquisit. quæst. 6.* Quando autem sub: & obreptio vitiet gratiam, etiam in criminalibus, consulit Cravetta, *consil. 2. & consil. 729.* Quódque subreptio ipso jure, vitiet rescripta gratiosa, tradit idem *consil. 68.* pro subreptioneque habetur, quando in genere quid narratur, non in specie. Cravett. *consil. 79 & 591.* Addo & hoc; videri Imperatorem Romanum, non posse ei, qui in territorio alicujus Imperii Status deliquit, concedere impunitatem, (præsertim ut in priori domicilio maneat impunè) cùm privativè in concessis, non comulativè sint investiti: nec in exercitio jurisdictionis

nis impediri queant. Dn. D. Bocer, *tractat. de jurisdiction. cap. 8. num. 80. pag. 394.* Quamvis ideò Imperator habeat majestatem, & veniam dare sit majestatis: attamen convenit, Imperatorem ita jus hoc usurpare, ne impediat & aufferat jus inferioris; cui per contractum id concessum fuit. Sed & hæc forsan quæstio altiorem requirit indagationem, vide *supra discurs. 1. cap. 5. num. 3.*

V. Hûc spectat, quòd fas est soli majestati, notas maculosas vitiosæ abstergere opinioni. Radulph Fornerius *2. rer. quotid. cap. 19.* Camman. *4. thes. 84.* vide Moditium, §. *lex. dubitat. 6.* Notatus judicio, inquit Symmachus, *lib. 10. epistol. 3.* exploratissimum remedium veniæ Imperialis implorat, ut judicati remissione, Famæ suæ vulnus excludat. Jus hoc, quod competat omni populo superiorem non recognoscenti; non verò Principi inferiori, docet Turzanus, *in opin. commun. §. 18.* nec etiam Vniversitati id tribuendum esse, decidit Moditius, §. *plebiscitum, dubitat. 51.* Hincque Germaniæ Principes non restituunt famæ: sed solus Imperator, & ab eo creati Comites Palatini: ac si id facerent, non hoc vim suam ultra illorum territorium explicaret. Sed tamen aliud de Ducibus Italiæ respondet Rodolphinus, *tractat. de Ducibus numer. 178. &c.*

VI. Tàm naturales item, quàm spurios per rescriptum legitimat sola majestas. Lancellot. Conrad. *templ. omn. judic. 1. cap. 1. §. 4. fol. 403.* Pruckman, *in §. soluta potestas, fol. 278.* Camman. *disputat. 4. thes. 43. & mult. seqq.* Dn. D. Bocerus, *2. de regal. lib. num. 68.* Qui quò ad spurios, *num. 108.* dissentit. Elegans est disputatio: an sic legitimatus, extrà legitimantis territorium etiam pro tali debeat agnosci? vid. Manticam, *ad conject. ult. voluntat. lib. 11. tit. 10. num. 43. &c.* Cravetta, *consil. 918.* Schepliz. *ad constitut. Brandenburg. fol. 242.* Quod sanè videtur affirmandum: decet enim vicinum, vicini comiter tueri jura. vide Rodolphin. *de Ducib. Ital. num. 202. &c.* Sic & Archivum extra territorium valet. Dn. Ruland. *de Commiss. part. 2. lib. 5. cap. 5.* Aliud est, quòd in Galliâ non permittitur, ut ibi legitimet Comes Palatinus, à Pontifice Maximo creatus. Papon. *lib. 5. tit. 5. arrest. 1.* De legitimatione, præsertim eorum, qui filii sunt naturales magnatum, & ad feuda habiles se asserunt, vide Michaëlem Nizolium. *allegat. 1.* Item, Moditium, §. *Principum placita dubitat. 9. & seq. item 32.* Veniam etiam concedit ætatis, Hilliger, ad Donell. *lib. 21. cap. 12. lit. Z.* Camman. *4. thes. 92.* Minorésve habilitat ad contrahendum. Paul. Montanus, *tractat. de tutel. cap. 37. regul. 2. pag. m. 186. num. 16. & fol. seq. num. 45.* Nicol. Betsius, *de pact. famil. fol. 273.* Privilegiúmque largitur, ut quis possit absque sollemnitate testari. Ac si alicui Imperator concedat privilegium liberè testandi, tunc eidem et-

Iam intelligitur remissa observatio solemnitatum, quæ habet jus civile. Alb. Bald. Jas. Salicet. Fulgos. Butigar. & alii *in l. si quando C. de inoffic. testament.* aliàs enim supervacaneum illud privilegium esset. Sicque Carolum Lotharingiæ Ducem, postulatum Episcopum Metensem, indultum veniæ ætatis ad consequendam investituram & administrationem Episcopatus, superioribus annis in aulâ Imperatoris Pragæ impetrâsse constat. Thomas Michaël. *de jurisdict. conclus. 32. lit. c.* Reinking. *de regimin. Sec. & eccles. last. lib. 1. class. 3. cap. 12. num. 51.* Et Rex Daniæ, Anno 1593. die 26. April. à Rudolpho II. idem impetravit. Schönberner. *pol. lit. cap. 18.*

VII. Ac generaliter sola contra leges dispensat majestas: hoc est, à vi legum atque judiciorum liberat, jusque necessitate pensitatâ providè relaxat. Vasquius, *illustr. controv. cap. 25.* August. Morla, *in empor. jur. tit. 1. quæst. 2.* Pruckman. *tractat. de regalib. §. soluta potestas, fol. 215. & 218.* Petra. *cap. 27.* pulchrè Camman. *4. thes. 60. &c.* Id quod *in l. 1 ff. de constitut. princip.* vocatur sine exemplo subvenire. Hócque intuitu Dominus legum (civilium) vocatur Princeps, ut Christus Sabbathi, ab ipso Deo instituti. Sed de dispensatione vide Becanum. *theolog. scholast. de Legib. cap. 6. quæst. 13.* Tuschum *lit. D. verb. dispensatio, & verb. derogatio.*

VIII. Hûc pertinet, quòd rescripta contra jus concedit, Lancellot. *in templo judic. 1. cap. 1. §. 4. fol. 337.* Majestas enim ut leges abrogat in totum, ità in casu singulari contra eas dispensat. Hûc refero quoque, quòd à Principe impetratur, ut valeat muti vel surdi testamentum, *l. 6.* ubi Gothofred. *l. 7. qui testam. fac. poss.* vid. *l. 10. C. eod. tit.* Quò etiam restitutio singularis, quam Principes sibi vendicant, est conferenda. Bodin. *1. de republ. cap. 10.* Ærod. *rer. judicatar. fol. 817.* Cravett. *consil. 266.* contra rem judicatam, contra appellationem desertam, &c. Cui simile olim fuit jus tertiæ, quartæ, vel quintæ relationis; quo amplitudo Impp. in exercendâ jurisdictione, ostentebatur: ut non potuerint solùm, quæ ter erant judicata rescindere; sed & quartâ vel quintâ sententiâ quæ erant roborata. Sed restitutio contra sententiam, in Gallijs nimis familiaris, Curiæ Parisiensis contemptum parit. Dn. Lansius, *consultat. contra Galliam fol. 280.* Instantiam etiam peremptam restituit Princeps. At num impensæ sint restituendæ ab eo, qui impetrat instantiæ restaurationem? disquirit Rodolphin. *de Ducib. Italiæ, num. 190. &c.* qui idem *num. 180. &c.* dicit: quod etiam Principes Italiæ, insufflent instantiam peremptam. Quódque dilatoriæ literæ (Quinquennel vulgò vocant, de quibus Ummius, *disputat. 8. num. 26.* & *disputatio* Beckmanni, *hâc de materia singulari.* Riccius, *decis. 8. part. 1.*) (Galli *respit* vocant, vide

Nicod.

Nicod. *in dictionar.* ubi dicit, ejus rei in Evangelio extare exemplum) non nisi à supremo Principe concedi queunt: Superiorem nempè qui non agnoscit, aut imperii saltem qui jura exercet. Lancellot. *templ. judic.* 1. *cap.* 1. §. 4. *fol.* 418. Codex Fabrianus, *l. tit.* 9. *def.* 17. Trentacinquius, *tom. ult. tit de solut. resolut.* 1. *& seq.* Papon. *lib.* 5. *tit.* 9. *arrest.* 1. Nam etiam Principes, Comites, Barones, &c. qui de regalibus omnibus investiuntur; eo ipso jus gratiæ, in vim dispensationis consequi dicuntur à nonnullis. Rol. à Vall *lib.* 3. *consil.* 4. *num.* 4. Clar. §. *fin. quæst.* 59. *vers. & hæc quidem.* Hilliger. ad Donell. 22. *cap.* 9. *lit. g.* Sed in statibus imperii aliud est, quia ab eorum sententiis appellari potest. Et recessus imperii huic rei modum singularem præscribunt. Quia jus asylorum ad hocce majestatis jus pertinere dixi, placuit inclytæ reipublicæ Reittlingensi luculentum concessum privilegium inserere hîc de verbo ad verbum.

Wir Maximilian von Gottes Gnaden/Römischer König/zu allen zeiten Mehrer deß Reichs/ꝛc. bekenn offentlich mit diesem Brieff/ vnd thun kund aller männiglich/ daß vnser vnnd deß Reichs lieben Getrewen/ Burgermeister vnd Rath der Statt Reutlingen/ durch jhr erbar Bottschafft haben fürgebracht/ wie dieselb Statt Reutlingen bißhero gefreyet vnd jhre Vorfahren vnd sie gebraucht vnd hergebracht/ daß ein jeglich Persohn/ so ausserhalb jetzgenannter Statt/ vnd dem Zehenden vnd Etern daselbs vngefährlich Todtschläg gethan/ in derselbigen Statt/ darzu gehörig Freyhung vnnd Sicherung gehabt/ also daß der oder dieselben vmb solch Todtschläg zu Recht in die gemelt Statt nicht fürgeheischen/ noch daselbst gerechtfertigt/ sie weren dann für Mörder angegeben vnd beklagt worden: Wie dann in der ort vnd gegnen daselbst vmb kündig vnd offenbahr sey/ haben sich zu zeiten die Persohn/ so gefährlich Todtschläg gethan/ solcher Freyheit auch zubehelffen/ vnd zugemessen/ sich vnterstanden/ darauß zu vielmahlen mercklich jrrung vnd widerwillen erwachsen/ die jhnen vnd gemeiner Statt Reutlingen zu schwerem Nachtheil vnd Schaden kommen weren.

Vnd vns darauff demütiglich angeruffen vnd gebetten/ sich hierinn gnädiglich zufürsehen.

Demnach haben wir den gedachten Burgermeister vnd Rath zu Reutlingen/ vmb solch jhrer demütigen Gebett/ auch der getrewen vnd nutzlichen Dienst willen so sie vns vnnd dem H. Reich offt williglichen gethan haben/ vnd hinfüro wol thun mögen vnd sollen/ mit wolgedachtem Muth/ gutem Rath vnd rechtem Wissen/ die obbestimbten Freyheit vnd Gebrauch gnädiglich confirmirt vnd bestätigt/ auch gesetzt vnd verordnet/ daß nun hinfüro all vnd jeglich Persohn/ so auß Hitz deß Zorns oder zu auffenthalt vnd rettung jres Lebens/ ausserthalb der Statt Reutlingen/

lingen / vnd den Zehenden vnnd Ettern daselbst / Todtschläg thun oder vollbringen / in der gemelten Statt Reutlingen Zehenden vnnd Ettern darzu gehörig Freyhung haben / vnnd daselbst vmb solche Todtschläg zu Recht nicht angefallen / gestelt noch beklagt werden / noch auch dieweiln sie in derselbigen Statt Reutlingen / vnd solchem jhrem Zehendt vnnd Ettern wohnhafft sein / vnnd sich derselben Freyheit gebrauchen / an vnserm vnnd deß Reichs Hoffgericht zu Rothweil / noch einigem Landgericht / oder andern Gerichten derohalben wider sie / jhre Leib vnnd Güter nicht gericht / gerecht / gevrtheilt / noch procedirt werden / wo es aber darüber geschehe / daß solch Vrtheil vnnd Proceß kein Krafft / noch Macht haben / doch wo vorbedächtlich gefährlich Todtschläg beschehen / daß sie auff der Kläger / gegen der Thätern ansuchen recht ergehen lassen / wie sich gebürt / vnd die Handlung / so also vmb dieselben gefährlichen Todtschläg fürgenommen werden / jhnen an den obberührten Freyheiten vnd Gebrauch kein abbruch oder verletzung bringen sollen / in keinen weg / alles vngefährlich.

Vnd gebieten darauff allen vnd jeglichen Churfürsten / Fürsten / Geistlichen vnd Weltlichen / Prælaten / Graven / Freyherrn / Rittern / Knechten / Hauptleuten / Vitzthumen / Vögten / Pflegern / Verwesern / Amptleuten / Schultheissen / Burgermeistern / Räthen / auch vnsern vnd deß Reichs Richtern vnnd Vrtheilsprechern vnsers Hoffgerichts zu Rothweil / so an jetzo daselbs sein / vnd künfftiglich sein werden / vnd sonst andern Landrichtern / Richtern / Vrtheilsprechern aller vnnd jeder Gericht / vnd allen andern vnsern vnd deß Reichs Vnterthanen vnnd Getrewen / in was Würden / Standt / oder Wesen die sein / ernstlich vnd festiglich / vnd wollen daß Sie die obbemelte Burgermeister vnd Räth zu Reutlingen / vnd jhre Nachkommen / an den vorgemelten jhren Freyheiten / gebrauch vnnd herkommen nicht irren / noch hindern / sondern sie / auch die Personn / so sich deren beholffen / gerühiglich geniessen / vnnd gäntzlich darbey bleiben lassen / vnd darwider nicht dringen / bekümmern noch beschweren / noch diß jemands andern zuthun gestatten / als lieb einem jeglichen seye / vnser vnd deß Reichs schwere Vngnad vnd Straff / vnnd darzu ein Poen / nemblich viertzig Marck lötigs Golds / zuvermeiden / die ein jeder / so offt er frevenlich hierwider thet / vns halb in vnser vnd deß Reichs Cammer / vnd den andern halben theil den Ehrngenanten von Reutlingen / vnd jhren Nachkommen vnabläßig zubezahlen verfallen sein soll. In vrkund diß Briefs / besigelt / mit vnserm Königlichen anhangenden Insigel. Geben zu Mecheln am 27. Tag deß Monats Januarii, nach Christi Geburt 1495. vnd vnserer Reich deß Römischen im Neunden / vnd deß Vngerischen im fünfften Jahr.

CAP.

CAP. V.

Ius pœnæ statuendæ, seu jus vitæ & necis; absolutáque judicandi potestas.

MAjestatis vim in eo consistere dixi; alios quòd judicet omnes: tàm in civilibus, quàm criminalibus causis. Undè jus pœnæ statuendæ, seu jus vitæ & necis, ad majestatem spectat, Camman. *disput. 5. th. 3.* Sic Polybius de Romanis, *lib. 6.* Morte multat populus solus. Et in lege 12. Tabul. De capite civis, nisi per maxumum Comitiatum ne ferunto. Theod. Marcil. *in interpretamento 12. Tab. section. 83.* Vndè est quod dici solet; merum imperium, non nisi speciali lege dari. Sic apud Francos, Basanus Rex Sicambrorum, quocunque ibat, gladium & funem sibi præferri jussit, in justitiæ signum; & Carolo Magno ante ejus tribunal, spatha nuda, more imperiali perpetim ferebatur. M. Freher. ad Petr. d. Andlo. 1. *cap.* 1. Philipp. Camerarius, *cent. 1. cap. 76.* Quo etiam intuitu imperium merum, gladii dicitur potestas. Sic in Angliâ, subditorum vita & membra, hoc eorum respectu, ad solum regem pertinere dicuntur. Thomas Smithus, *de republic. Anglor. lib. 2. cap. 4. fol. 67.*

II. Cùm quippè nulla lex valida sit absque pœnâ; ejus quoque qui legem fert, erit pœnam definire: sive ordinariam, sive extraordinariam; aut saltem arbitrio judicantium committere, suo termino coartato (imò ipsum Principem delinquentes interficere posse, notat Lancellot. *templ. judic. 1. cap. 1. §. 4. fol. 395.* sed tamen hoc est crudele.) Hinc Princeps cuique delicto, non pœnam solùm potest præfinire; sed etiam præter pœnam statutam, severiùs in aliquos ob exemplum vindicare. *l. 29. C. de nuptiis. l. 20. C. de pœn. l. 13. C. Theod. eod.* Sed non id fieri debet sine maxumâ causâ. Quemadmodum Anno 1055. Hanno Archiepiscopus Colonienses; cùm comperisset, judices falsam sententiam in causâ fœminæ pauperis tulisse: his omnibus erui oculos jussit; excepto uno, qui Compater ipsius erat. hunc enim uno duntaxat oculo privavit, ut altero adjutus, domum deducere excæcatos posset. Dresser. Millenar. *6. part. 2. pag. 78. & seqq.*

III. Hæc omnia ergò ita sunt intelligenda; ut in judicando, legibus, non religione liberatus sit Princeps; quod eleganti exemplo illustrat Bodin. *ult. de republic. cap. ult. num. 757.* Non ut more Japponici Regis, offensus alicui mandare possit, ut abeat, & sibi ventrem scindat.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 3, [163] - 161

Christ. Matth. Dithmarſ. *colleg. politic. 2. diſput. ult. theſ.* 37. Et rectè etiam, ac ſine jacturâ ſuæ majeſtatis juravit Adrianus: ſe de Senatore, aliis Senatoribus non præſentibus nunquàm judicaturum. Spartianus *in ejus vitâ fol. m.* 128. Ac quomodo ſit intelligendum, quod vulgò dicunt, propter delicti enormitatem recedi à regulis juris communis, docet Mollerus. 3. *ſemeſtr. cap.* 17.

IV. Hinc ab aliis judicibus avocat cauſas. Vultejus, *ad l.* 1. C. *de jurisdict. num.* 169. *&c.* Arumæus, *ad Aur. Bull. diſcurſ.* 5. *theſ.* 11. Treutler. *d. ſput.* 3. *theſ.* 10. (eum tamen modum improbat Pasquier, 6. *des lettres, fol.* 239.) ita ut non attentet Princeps, etſi lite coram inferiori pendente, aliquid ab eo innovetur. Robert. Lancellot. *de attentatis lite pendent. limit.* 12. Berlichius, *concluſ.* 6. *tom.* 1. Quod tamen non competit, etiam curiis ſupremis. Langlæ. 7. *ſemeſtr.* 17. Hinc judicia omnium examinat; ad eúmque tanquam ad legem vivam, ab omnibus provocari poteſt. D. Marta. *de jurisdict.* 1. *cap.* 43. Colerus, *de jur. Imp. Roman th.* 20. Bellarm. 2. *de Pontific. cap.* 21. Atque tàm ſtrictim, judicium hoc ſummum, & provocatio extrema, majeſtati eſt innodata, ut ne ſtatuto quidem aboleri, antiquari, & penitùs ſubverti queat. Ego *tractat. de appellat. cap.* 2. *nu.* 15. *& ad l.* 9. *de Iuſtit. & Iur. quæſt.* 8. vide Ritterum, *tractat. de homag. num.* 176. Sicut & Duellia rogatione Tribunitiâ cautum fuit; ut qui magiſtratum ſine provocatione creâſſet, eum jus fásque eſſet occidi. Livius *lib.* 3. Tantúmque momenti conſiſtere in jure provocationis extremæ, Mœcenas judicavit; ut in Conſilio, apud Dionem, *lib.* 52. ſuaſerit Auguſto; nemini unquàm ut eam det poteſtatem, ut ab eo provocari ad Imperatorem non poſſit. vide Philipp. Berterium, *Pithanon.* 1. *cap.* 7. *fol. m.* 77. De jure Relationis incognito nunc, vide Jul. Cæſar. Bulengerum, *in princ. Roman. 1. cap.* 20. De falsâ relatione & prohibitâ adpellatione, vide Ærod. *rer. iudicatar. fol.* 124. Et hinc Imperatores Romani, non permittunt, ad Pontificem Maxumum adpellari, Lehman. *lib.* 3. *cap.* 24. *ad fin.* Ego, *in tractat. de appellat.* Nonnunquàm tamen extra regnum adpellatur, ut in Poloniâ fieri ſolet. Fulſtin. 10. *cap.* 8. Et in Germaniâ vulgò das Zugrecht indigitatur, vigore cujus civitas apud vicinam cogitur conſilium petere. Ampliſs. Dn. Adam Keller amicus dum viveret meus honorandus, *de offic. Iuridico politic.* 2. *cap.* 27. adde Dauth. *de teſtament. fol. mihi* 13. Præjudicia Cameralia, §. *Civitas, verſ. An Civitas* Niderweſel &c. Quódque interdum etiam ad parem adpelletur, refert Ærod. *rer. iudicatar. fol.* 170. Sed hæc obtinet inſtar prorogatæ jurisdictionis, aut petitionis conſilii ſapientis, vel neceſſarii compromiſſi.

V. Cauſas item ſummariè examinare, & de plano, ſine ſtrepitu, aç judicii figurâ, ſublatísque omnibus ſollemnitatibus juris poſitivi, etiam

iam iis in causis procedere potest, ubi aliàs sollemniter esset procedendum. *l. apud quem. de manumiss.* Robert. Maranta. *in proces. iudiciar. distinct. 9. num. 3. & 8.* Rodolphin. *de Ducibus Ital. num. 216.* (ubi ait, hoc locum tenentibus non licere.) Hûc pertinet judiciũ Salomonis. 3. *Reg. cap. 3.* ubi singularem processum observavit, regulari juri difformem, nec nisi Regi competentem. Ferre potis est sententiam haud conformẽ libello, quò ad ordinem judicii. Jason. *in l. 1. num. 21. & seq. de edend. & in l. 1. de constitut. princip.* & legibus difformem, ac pro arbitratu, vide Ærod. *fol. 762. & 764.* Quandoque delinquentem, à se certissimè cognitum, sine citatione & aliis similibus damnare, ac ab executione incipere potest. vide omninò Aug. Morlam, *in emporio tit. 2. quæst. 2.* Lather. *de censu, fol. 85. &c.* Hácque ratione Galli defendunt mortem Guisii Ducis, jussu Henrici III. Galliæ Regis, priùs occisi, quàm se gratiam Regis amisisse suspicaretur. *Histoir. des derniers troubl. fol. mihi 160.* Jehan de Serres, *en l'invent. lib. 3. fol. m. 1705.* Boccalini. *2. ragguagl. 44.* Sed vide Rosset. *histor. Tragic. 2.* ubi refertur, quomodo Guisii filius vindicaverit mortem sui Patris. Sícque Sejanus Tiberii Imp. jussu occisus fuit, Pierre Matthieu, *in Sejano. fol. 255. &c.* Sic & Berengarii mors, fuit mors status, (*mort d'estat.*) Pasquier. *5. cap. 1.* In Arragoniâ etiam hâc ratione supplicio primus optimatum occisus fuit. Pierre Matthieu. *lib. 1. fol. 114. &c.* Et ante aliquot annos Marchio d'Ancre. Adde juridicè hæc tractantem Ummium *disputat. ad proces. 5. num. 23. & disputat. 6. num. 44. fol. 250.* Hócque idem est, quod quærunt: an defensionem tollere queat majestas? vide Petram, *cap. 26.* Verùm utcunque hâc de re speciosè disseri possit, nunquàm tamen consultum est, ut violento hocce remedio majestate gaudens utatur; namque & Deus Adamum vocavit, audivitque. eleganter Bartas, *en l'impost. vers. 425.* non quòd aliquid sibi absconditum foret; sed & judicibus seculi, in sententiis proferendis exemplum daret, *can. Deus omnipotens. 2. quæst. 1. C. qual. ter extr. de accus.* Vt & haud suspicione carere putant; si quis per Commissarios, non per status, ordinariósque judices condemnetur. Papon. *lib. 22. tit. 2.* Pasquier. *5. de recherch. cap. 15. & seq.* Et certè judices extraordinarii cuncti, obstricti sunt etiam extraordinariè affectibus judices tales constituentis, & monui *in tractat. de appellat. cap. 2. §. 18.* Ac qui majestati ab executione incipere permittunt: non excludunt cognitionem: sed tantum processum manifestum, si is sine periculo nequeat adhiberi. Ærodius, *rer. iudicatar. fol. 547.* Pulchrè Tertullianus, *apolog. cap. 1.* Inauditam si damnant causam, præter invidiam iniquitatis, & suspicionem merebuntur alicujus conscientiæ, nolentes audire, quod auditum damnare non possint. Hûc refer, quod præditus majestate, ad

concordiam faciendam partes cogit. Lancellot. Conrad. 1.*cap.*1. §.4. *fol.* 89.

VI. Dijudicatio paritèr, magni momenti controversiarum, soli competit majestati. Hinc si in Imp. maledictum ingeratur, ipse consulendus est, *l.* 1. C. *si quis Imp. maledix.* Dn. Bocer, *de majestat. cap.* 3. *à princip.* Indéque etiam nonnulli dicunt, cognoscere de crimine majestatis, maximis regalibus esse annumerandum: cùm aliàs inferior jus diceret superiori. Gigas, *tractat. de crimin. majestat. tit. quis de crim. læsæ majestat. cognoscere possit,* Rodolphin. *de Ducib. num.* 141. *&c.* Dissentit Dn. D. Bocerus, *tractat. de crim. majestat. cap.* 4. *num.* 2. *&c.* & 2. *de regalib num. ult. in fin.* Arumæus, *disputat. F.* 4. *thes.* 18. Sixtin. 2. *cap.* 1. *num.* 18. Hujus rei memorabile suppeditat exemplum apud Bernardum Girard. *tom.* 2. *lib.* 13. *de l' histoir. de France fol.* 14. Parricida Alberti Imperatoris, de cujus supplicio nihil statuere voluit Pontifex Maximus: *disant ledit Pape, qu' il appertenoit à un Empereur, & non à un autre, d' ordonner la punition d' un meurtre, commis en la Personne d' un Empereur.* Hûc pertinet Ducis Bironii processus, qui voluit ex privilegio vetusto, non nisi à Paribus (collegis suis) judicari: quod ipsi denegatum fuit, eò quòd de crimine majestatis quæreretur. Aliàs de Senatore solus judicat Senatus, Langlæus, 7. *semestr* 18. Ex eodémque ferè fundamento, nuper perduellibus denegatum fuit beneficium privilegii cujusdam; vigore cujus nullibi conveniri queunt Cives Francofurtenses, nisi coram suis Scabinis. vide *Cons. hâc de controversiâ* Pii Felic. Cæsaris Augustani.

VII. Sic & hodiè hostem publicum declarare, In die Acht erklären: Gail. 1. *de pace public. cap.* 6. *ac* 12. (ubi de differentiâ banni inferiorum) *&* 2 *observat.* 130. *num.* 13. Heig. 1. *quæst.* 9. *num.* 42. *&* 52. Sixtin. *de regalib.* 1. *cap.* 4. *num.* 8. *fol.* 70. vide Modest. Pistor. *quæst.* 26. *part.* 1. decidere controversias Ducatuum, Comitatuum, Cammergerichtsordnung *part.* 2. *tit.* 7. vide me *in disputat. nomicopolit. de succes. lib.* 1. *ff. dissertat ult. num. fin.* ac *in tractat. meo de jurisdict. Imper. Roman.* Solus potest Imperator, quod an in minoribus feudis, & etiam in possessorio procedat? disquirit Caspar Leipold. *de concurr. Iurisdict. quæst.* 5. *& seq. apud Arumæum discurs.* 13. Sic & de privilegiis, eorúmque interpretatione, ac aliis item rebus, momenti majoris, solus judicat Princeps. Gail. 1. *observat.* 1. Lehman. *lib. ult. cap.* 71. ac monui etiam suprà *h. discurs. cap.* 2. Hûc item spectat arrogatio eorum, qui sui sunt juris: §. 1. *institut. de adoption.* quæ hodiè coram Principibus, Marchionibus (olim non nisi apud populum & Principem) peragi potest. Dn. Collega Harpprecht, *ad. d* §. 1. *in fin.* Dn. Bocerus, *de Iurisdict. cap.* 4. *num.* 21. §. *similiter.*

Vicissim

VIII. Vicissim, ut nemo ei, penes quem est majestas, præscribit leges; ita de ejusdem sententiâ, non judicat alius ullus. Bodinus *de republ. cap.* 10. *num.* 160. Petr. Gregor. Tholosanus, 9. *de republic. cap.* 1. *num.* 8. Clapmar. 1. *cap.* 19. Johann. Camman. *disputat.* 6. *th.* 66. & 73. Et stultum esse, ait Ulpianus, illud monere; à Principe non appellari. *l.* 1. §. 1. *ff. à quib. appell. non licet.* Ego, *tractat. de appellat. cap.* 2. *ab initio.* nisi fortè à malè informato, ad eundem meliùs informandum. Johann. Dauth. Junior. *disput. quæ lib.* 2. *Iuru public. Hanoviæ editi, inserta, quæst.* 2. & Dux Lunæburgæ, in scripto, de nuperâ controversiâ, quæ ipsius Celsitudini cum Hamburgensibus intercessit, *fol.* 7. Aliter si provocatio instituatur, putà si à Galliarum Rege provocetur ad Papam, vel Imperatorem, crimen contrahitur majestatis. Papon. *lib.* 22. *tit.* 1. *arrest.* 2. ut & monui suprà.

IX. Nec tantùm ab ejus judicio non provocatur; verùm & is ita judicem dare potest, ne ab eo appelletur; sed remotâ appellatione, sententia executioni mandetur, *l.* 1. § 4. *ff. à quib. appell. non licet.* Lancellot. 1. *cap.* 1. §. 4 *fol.* 429. Dn. Anton. Winterus, *in Assessore part.* 1. *cap.* 4. *num.* 54. Ego, *tractat. de appellat. cap.* 2. *sect.* 18. *fol.* 67. Rodolphinus, *de Ducibus, num.* 209. Judicibus ita datis, summa exedria, & extremarum appellationum consistoria æquiparantur: Berterius, 1. *Pithan.* 17. Ego, *d. tractat. de appellat. cap.* 2. *section.* 21. & ii etiam Status, qui circa appellationes sunt privilegiati. Si enim majestas, summa imperii & jurisdictionis est administra; eius quoque erit constituere summum iustitiæ tribunal, sententiæque extremæ. Et hoc in casu, is cui jus sine appellatione judicandi est datum, vice populi (in democratiâ) vel Principis, (in Monarchico statu) sententiam profert: contra quam etiam Princeps in integrum restituere potest. *l.* 18. §. 2. *de minor. l.* 3. *C. si adverss. rem iudic.* Semper quoque jus supplicandi, illæsum sibi reservat majestas: cùm ea sit summus, ut dictum est, judex; atque omnes conquerentes, humanitatis & justitiæ intuitu debeat audire. *l.* 6. *ff l. adducis. C. de appellat.* ego, *dict. tractat. cap.* 2. *sub num.* 8. *fol.* 65. vide Coler. *de Imp. Rom. th.* 21. Sicque intelligo, quòd nonnulli provocationem extremam, & jus adversus sententias restituendi non adscribunt majestati. Dn. Cluten *paradox.* 12. *& seq.* sed tamen jus, talem judicem dare, & proprio jure non admittere provocationem, hûc omninò spectat.

X. Itidem in propriâ judicare potest causâ: (de alio enim judicare, est actus jurisdictionalis, quem nemo in majestate præpollentem exercere potest.) *l.* 3. *de his quæ in testament. delent. l.* 41. *de hered. instit.* §. *fin. in fin. instit. de vulgar. substitut.* Lancellot. Conrad. 1. *cap.* 1. §. 4. *fol.* 375. Trentacinq. *variar. resolut. lib.* 2. *tit. de judic. resolut.* 5. *à princip.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1 Leibn. Marg. 0,1, Stück 3, [167] - 165

Bernard. Grævæus. *lib. 1. concluſ. 21.* Rodolphin. *de Ducibus num. 207.* quod inferiori non eſt conceſſum. Schrader. *tom. 2. conſil. 26. & ſeq.* Et ut ſuſpectus allegari nequit, majeſtatem qui habet, Menoch. *conſil. 403. num. 12. 13.* Grævæus, *1. concluſ. 33. num. 5.* Sicque etiam cenſet Bellarminus, Pontificem Maxumum in propriâ judicare poſſe causâ, in conciliis præſertim. *1. de concil. cap. ult.* Hûc refero, quod Rex in Galliis nunquâ litigat de poſſeſſionatu. *Le Roy doibt plaider ſaiſi.* Papon. *lib. 5. tit. 1. arreſt. 9.* At verò perniciosum quia eſt, ut faciat quisquam ſuâ ſententiâ id quod velit: Majeſtas ideò ſibiipſi etſi queat eſſe judex, cauſam tamen propriam, probitate, gravitatéque præſtantibus aliis cognoſcendam cõmittere; horũmque judicio, ne tyrannicè imperare velle videatur, ſuâ ſe ſubjicere ſolet ſponte. Illuſtris Enenckelius, *1. de privileg. cap. 7. num. 23.* Hilliger. ad Donell. *17. cap. 2. lit. b.* Michaël Schiferer. apud Arumæ. *tom. 1. diſcurſ. 18. th. 67. & ſeqq.* ego *tractat. de appellat. cap. 2. num. 9.* Idque generali conſuetudine obſervari; Paul. Buſius atteſtatur, *ad l. 10. in fin. de jurisdict.* & de Hiſpania etiam notat Reinkingk. *fol. m. 28. nu. 117.* Idque etiam eſt divinæ æquitatis. *Iob. 31.* ſi contempſi ſubire judicium cum ſervo meo. Et rectè verò notat Illuſtr. Cardinal. Bellarminus: Principem non poſſe ſe alteri ſubjicere, ut judici, ſed ut arbitro tantùm, *lib. 2. de concil cap. 18.* Sic moribus & cõſuetudine imperii eſt introductum, ut Imperator vel Rex Romanus, ſuper cauſis, pro quibus fuerit impetitus; non coram Pontifice Romano; ſed Palatino Electore habeat reſpondere. Latè & eleganter Buxdorff. *ad Auream Bull. th. 77. & multis ſeqq.* Marquard. Freher, *in origin. Palat. part. 1. cap. 13.* item *in not. ad Petr. de Andlo, fol. 194. b.* Rettung deß Pfaltzgräffiſchen Vicariats/ *fol. 103. &c.* Arumæus, *ad Aur. Bull. diſcurſ. 3. th. 45.* Reinking. *lib. 1. claſſ. 4. cap. 5.* Calviniſch Modell. *fol. 75.* Sic & in Sileſiâ, certi judices ſunt cõſtituti, coram quibus Bohemiæ Rex queat conveniri. Hic Henelius, *in Sileſiographiâ fol. 97.* vide Schrader. *tom. 2. conſil. 25.* In Marchico Electoratu quid fiat? vide Schepliz. *part. 2. tit. 4.* Quin & ideò, ut Princeps nec in propriâ causâ, aliquid quod juſtitiæ contrarium ſit, expetere videatur; proindè ſi vel minimus dubitandi ſcrupulus adſit, contra fiſcum reſpondebant noſtri Jureconſulti. *l. puto. 10. ff. de jur. fiſci.* Sicque Philippus II. Hiſpaniarum Rex, recenſente Botero, *de detti. 2. fol. 21. b.* Præſidi conſilii regii mandavit, ut in causâ dubiâ contra ſe pronunciaretur: *ſapendo quanto vaglia il reſpetto della majeſtà regia nelle liti co' particolari.* Quod & Ludovicus V. Gall. Rex filio ſuo præcepit. Dn. Lanſius, *Oration pro Gallia. fol. 191.* An autem à judice, inter Principem & ſubditos jus dicente, & ad quem appelletur. vide Zaſium, *reſponſ. ſingul. 2. cap. 18.*

XI. Jus

XI. Jus item Archivi hûc referri potest: de quo vide Dn. Rutger. Ruland. 5. *de commiss. cap.* 4. *part.* 2. Ummium *disput. ad proces.* 17. *num.* 9 *& seq.* nam & ejus ratio nititur urgentissimâ illâ præsumptione, quæ est pro fide candoréque ejus, qui habet majestatem.

CAP. VI.

De jure belli movendi.

MAjestatis munus esse dixi, subditos defendere contra vim omnem. Et hûc belli inferendi pertinet potestas. 1. *Samuel.* 11. *vers.* 7. Novel. 10. *l.* 17. C. *de re milit. lib.* 12. Knichen. *de territor. jur. cap.* 3. *num.* 352. D. Marta. *part.* 1. *cap.* 39. Camman. 5. *th.* 48. *&c.* Schönborner. 6. *polit. cap.* 12. Ritter. *de homag. num.* 190. *&c. item* 195. Raiß/ Folg/ Musterung/ Außwöhlung/ nunc vocant, vide Thomam Maulium *tractat. de homag. cap.* 5. Bellum est publicorum armorum justa contentio. Publica arma sunt, cujusvis liberi populi, & Principis, qui nullius alterius potestati est subjectus. Hinc injustum bellum censetur, si non ejus, penes quem est majestas, auctoritate moveatur. *can. quid culpatur* 23. *quæst.* 1. Dn. D. Bocer. *de bello* 1. *cap.* 5. Alber. Gentilis. 1. *de jur. belli cap.* 3. Hincque diffidationes privatorum, Gefehdungen capitales habentur. Heigius, *part.* 2. *quæst.* 32. *num.* 8. Massa, *contra usum Duelli. num.* 76. Et barbarica sunt judicia illa, quæ Selbgericht appellitantur, multis recessibus Imperii Romano-Germanici damnata: Arumæus, *ad aur. bull. discurs.* 6. *th.* 16. ac etiam in Polonicis legibus interdicta, statuta Poloniæ, *verb. guerra.* Tale etiam est remedium deprædationis, cujus mētio extat in jure feudali. Hotoman. *ad tit.* 22. *lib.* 2. *feud.* Duces quidem Italiæ bellum movere posse, Rodolphinus tradit, *de ducib. num.* 166. hæcque de Franciæ statibus negat. *num.* 171. Ac quoque magnatibus Imperii Germanico-Romani pax publica veterem morem admodum restringit. vide omninò Gail. *de pac. public. cap.* 4. ubi de avocatoriis mandatis: & an suos subditos armis coercere queant? Et Spira singulare habet privilegium, Von jhr selbst Gewalt/ gegen männiglich sich zuschirmen. Lehman. 7. *cap.* 21. *fol.* 758. *& seq.* Quin & armorum delatio & prohibitio, ad Principes spectat: quorum putà in jure nostro, inscio imperante, interdictus est usus. *l.* 1. *&* 2. *de vi public. & tot. tit. ut armorum usus &c. lib.* 11. *Cod.* Tuschus, *lit. A. conclus.* 515. Ac etiam olim apud Germanos, soli Equites arma portabant. Goldast. *in not. ad Paræneticos veteres. fol.* 342. nec quoque convenit tempore pacis portare arma: Borell. *de magistrat. lib.* 3. *cap.* 17. Undè vis publica habetur, quæ armis; privata, quæ sine armis

infer-

infertur. Duaren. 1. *disput. cap.* 22. Ac hoc ius belli, adeò solius summâ cum potestate imperantis est ut maiestatis censeatur crimen, delectum habere, exercitúmque iniussu Imperatoris comparare. *l.* 3. §. *eâdem lege. ff ad leg. jul. majest.* Johann. von Elßwich. *disput. politic.* 13 *th.* 9. aut adunantiam facere. Tuschus, *lit. A. conclus.* 229. & perperàm ideò Cæsar (urens maturè) privatâ auctoritate socios defendit, à Mithridate vexatos. Sueton. *in vitâ cap.* 4. ubi Casaubonus, Hinc dare & committere imperium militare, Principis est summi: at id jam datum & concessum, jus ordinarium existit. Camman. 5. th es. 54. & 63. Hincque Philistæi in signum subjectionis, Hebræis arma ademerunt, & opifices armorum. 1. *Samuel.* 3. *vers.* 19.

II. Ut jus Belli ad Principem spectat: ita militaria officia subditorum nulli subterfugere licet. Zacharias Fridenreich, *politic. cap.* 28. *fol.* 167. *& seq.* Camman. 5. *thes.* 66. Cunæus, *de Republic. Hebræorum.* 2. *cap.* 21. vide tamen Moditium. §. *plebiscitum, dubitat.* 87. & Ritterum, *dict. loc. num.* 93. ubi tractat, an subditus debeat personaliter Dominum juvare, extra territorium præsertim. Hoc eodem iure Princeps subditos cogere potest, ut excubias agant. Rutger. Ruland. *decis. jur. controv.* 23. Sanè tamen durum est cogi ad bellum, quod Princeps movet ex affectu, & animæ corporisque salutem contra conscientiam iactare; quam propter rationem Gallicanæ plebis conditionem, privilegiis quæ Nobiles inibi optima maxuma habere videntur, præfert Traianus Boccalini. 2. *de Parnas. ragguag.* 62. Indè non videntur subditi obligati, nisi pro Patriæ defensione; Zu einer Landsrettung. Nec etiam bellum movendum, sine Ordinum scitu, ut dixi *in axiomat. de consil. Politic. cap. ultim.* De cavalcatâ subditorum, & quando Vasalli teneantur servire? vide Borrinium, ac item tract. Kohl. *de servitijs feudalibus.*

III. Extra ordinem hîc, non incommodè tamen quæri potest (quamvis pertinere videatur *ad tract. de Bell.*) An vocationem Christiano homini dignam, ii habeant milites; suis qui contenti stipendiis, nunc has alias belligerantium Principum partes, ultrò (non suæ Patriæ signa coactè) sectantur; parùm interim, uter iustâ causam belli suscipiendi habeat curantes? Id quod ad libellam fidei & charitatis si examinetur, potiùs est ut negandum videatur. vid. Luther. *tractat.* Ob Kriegsleut auch im Seeligen Stand sein können. *tomo Ienens. German.* 3. *fol.* 315. Gail. *de pace public.* 4. *num.* 33. *&c.* Timpler. 4. *politic. cap.* 10. *quæst.* 29. Ummium, *disputat.* 14. *num.* 79. adde Lactantium, *Instit. lib.* 1. *cap.* 18. *à princ.* An autem Germani possint exteris Regibus in bello operam navare, Imperatore invito? disquirit Arumæus. *tit.* 4. *discurs.* 20.

IV. Hinc & Jus quoque, fabricas armorum bellicorum, seu armorum

morum fabricandorum officinas publicas habendi; & armamentaria, Zeughäuser/ quæ Armandias vel Armanias Feudistæ vocant; ad regalia pertinent. *c. un. quæ sunt regalia. lib. 2. feudor.* Novell. 85. Camman. 5. *th.* 64. *& c.* Vndè ejusmodi officinæ sacræ Fabricæ appellantur. Hûc etiam inferri debet *jus muniendi*, murósque civitatis fortificandi. *l. 9. de rer. divis.* Gail. 2. *observat. 69. num. 18.* Knichen. *in epopsi. num. 438. & c.* Camman. *5. th. 67.* Moditius. *§. plebiscitum dubitat. 77.* Jus item extruëdarum artium & fortalitiorum Tuschus. *lit. F. conclus. 426.* Justus Gebhardus apud Arumæum, *discurs. 17. th. 31. fol. 496.* Killinger. *in 4. tract. de jure* Gantzbin. quódque majestati omnia fortalitia patere debent, die öffnung; & quòd custodes ponere potest in castro, invito Vasallo. Moditius, *dict. §. dubitat. 33.* Sed interdùm fœderato patefiunt arces, & ad hoc unus aut alter se adstringit. Lehman *ult. cap. 27. ad fin. & cap. seq.* Et quod ad excubias subditi teneantur, tradit etiam Borellus, *tractat. de magistrat. lib. 4. cap. 11.* Aut quòd majestas civitates tali privilegio ornare potest, ne in vicinia munitiones aut castra ædificentur. Ant. Coler. *disputat. de Imper. Roman. th. 26.* Sanè in municipiis Romanis, nec reficiì sine Principis, vel Præsidis authoritate muri, nec aliquid eis superponi, conjungíve potuit. *l. 9 §. 4. ff. de rer. divis.* Et hinc proditum à Tacito est, Judæos jus muniendi magnâ pecuniæ vi emisse. Cunæus. *lib. 1. de republ. Hebræor. cap. 7. fol. 58.* Libet hîc addere pragmaticam sanctionem Rodolphi I. Imper. quæ nuper Spiræ, in causa magni momenti producta fuit: Nos Rudolphus, Dei gratiâ Romanorum Rex, semper Augustus universis Imperii Romani fidelibus, præsentes literas inspecturis, notum facimus per præsentes, quod Nobis Anno Domini, Millesimo CCLXXVIIII. Indictione septimâ, Wiennæ pro tribunali sedentibus, ad instantiam Nobilis Viri, Marchionis de Hochberg, per communem omnium astantium sententiam est obtentum, quòd nullus homo, qualiscunque conditionis extiterit, in alicujus Comitis Comitia, Castrum vel munitionem aliam qualemcunque construere debeat, nisi priùs ipsius Comitis super eo requisito beneplacito, & obtento, quam sententiam utpotè ritè & rationabiliter prolatam, approbantes, & authoritate regiâ confirmantes, Vniversis vobis inhibemus, ne quis vestrûm sententiam hujusmodi violet, seu infrangat. Datum die & loco prædictis. Also darff man bey Mayl vmb Speyr kein Burg auffbawen. ex privilegio Caroli IV. Lehman. *ultim. cap* 43. Sic & Carolus IV. privilegio ornat Spiram, daß sie sich bevesten mögen. Lehman. *ult. cap. 57. & vid. cap. 58. a princ.*

V. Pignorationes etiam, seu *Repressaliæ*, cùm habeant speciem belli, non nisi à majestate suscipiuntur, concedantúrve: de quorum jure

& antiquitate vid. Heigium. 1. *quæst.* 12. Wesembec. *consil.* 46. Cothman. *consil.* 52. *num.* 342. & *vol.* 2. Balth. Ayala. *de bello.* 1. *cap.* 4. Rittershus. *ad Novell. part.* 3. *cap.* 7. Dalner. *in fin. tractat. de renunciat.* Arnold. Engelbrecht. *disputat. de Imper. Roman. th.* 75. Paul. Busium 1 *subtil. cap.* 17. Timæ. Fabrum. *disput. ad instit.* 3. *th.* 4. Camman. 5. *th.* 68. Bronchorst. 1. *miscellan. assert.* 75. Arumæ. *discurs.* 8. *tom.* 2. & *tom.* 4. *discurs.* 25. *ac seqq. multis.* Disputat. de Arrestis *quæ est in tom.* 5. *disput. Basileens. th.* 142. &c. Ego, *tractat. de jur. bell. cap.* 5. *num.* 6. Galli vocant, *le droict de marque*; quia ferè in limitibus usurpantur; de eóque vide Papon. *lib.* 5. *tom.* 3. ubi ejus requisita; & an valeant, contra eum, qui habet salvum conductum. Sed pignorationes olim in Germaniâ concessæ fuerunt; indéque inter Argentinenses & Spirenses, singulari pacto prohibitæ inveniuntur. Lehman. 5. *cap.* 84. Ut & inter Moguntinos, Spirenses & Wormatienses. Idem *lib.* ult. *cap.* 8. Ac de generali Alemanniæ consuetudine, atteſtatur ille idem, *lib.* 5. *cap.* 98. *ad fin.* Proindè *in authentic. habita C. ne filius pro patre* prohibetur, ne studiosi ejus juris prætextu incómodentur. Et tandem hûc etiã refero, jus Duelli concedendi. August. Vischer. *de Duello, fol.* 79.

VI. Verùm ut bellum suscipit, id est, inimicos pronunciat solus Princeps: Ergò etiam amicos. Et ita bellum pace finit, sola majestas. Marta. 1. *de jurisdict. cap.* 39. *ad fin.* & *cap.* 40. *ac* 41. Nec Duces belli absque consensu populi, vel Principis, pacis constituendæ potestatem habent. Cabotius. 2. *disput.* 15. Bronchorst. 1. *miscell. cap.* 14. Sed saltem induciarum, aut Treügarum. Camman. *disput.* 5. *th.* 57.

VII. Hûc refero, potestatem concedendi securitatem, Jus Salvo Guardiæ; Gleidliche Oberkeit/ auff freyer Heerstrassen zubegleiten: Johann. Camman. 5 *th.* 21. 26. &c. vide tractat. Maulii singularem. Item, Gleid zum Rechten geben. Pulchrè Ummius, *disput.* 8. *num.* 8. vide omninò Georg. Everhard. *tom.* 1. *consil.* 9. de Salvo conductu, & quis eum det. vide Arumæ. *vol.* 2. *discurs.* 5. *fol.* 52. ac item Papon. *lib.* 5. *tit.* 7. *arrest.* 1. Ut & fœdera sancire, jus majestatis habetur, Waremund. de Erenberg. 1. *de fœderibus. cap.* 2. *num.* 28. & *c. fol.* 135. & *de subsidiis fol.* 81. Bornitius, *cap.* 25. Camman. 5. *th.* 69. Nonnunquam tanta, etiam inferiorum Principum, vel rerumpublicarum, est libertas; ut vel inter se in eâdem republicâ, vel etiam cum aliis, componere fœdera queant: dummodò semper excipiant majestatem reipublicæ superioris. Sic Principibus, liberisque Civitatibus Imperii Romani, ad publicam pacem conservandam, suamque legitimam defensionem, fœdera contrahere licet. Fridenreich. *politic. cap.* 14. *fol.* 643. vide tractat. meum, *de fœderibus.*

VIII. Pariter etiam, cum exteris per legatos agere, legatósque

vel

vel mittere, vel recipere, soli possunt, qui potestatem reipublicæ habent summam. Bornitius, *cap.* 28. ac nemini subditorum, hoc jus concessum esse reputatur. Eóque nomine, Anno 604. Hispaniæ regis petiit legatus, ne Britanniæ Rex, Batavorum Oratorem, Ambassadoris nomine dignaretur. Meteranus; Von den Niederländischen Kriegshänd *lib.* 24. Principes licèt Germaniæ, idem hos jus, usu & dignitate, ac jure liberi obtinuerint Imperii. Kirchner. *de legat. 1. cap. 3. num.* 10. vide meum discurs. *de legatis.*

IX. Jus quoque Comitiorum, ad Principem spectat. Principis enim proprium est, communem instituere deliberationem, de rebus ad rempublicam pertinentibus. Camman. *6. th.* 82. Bornitius. *cap.* 26. Börtius, apud Arumæum, *discurs. 30. cap. 3. num. 21. fol.* 875. *& ad Aur. Bull. discurs. 5. num.* 20. Waremund. *tr. de oneribus cap.* 1. Sic ad jus referunt superioritatis, Zusammen fordern mit Glocken. Maulius, *de homag. cap.* 14. In Germaniâ tamen ita est temperata majestas Imperatoris, ad Comitia indicenda, opus ut ei sit adprobatione electorum. Bertram, apud Arumæum, *discurs. 9. thes.* 17. *&c. fol.* 109. *ac seq.*

CAP. VII.

Regalia vulgò Fisci dicta.

PEcunia rerum gerendarum nervus est; & sine sumptibus non ulla consistere respublica potest: opúsque ei opibus est, sine quibus nihil fiet quod opus. Aristot. *1. polit. 7. in fin.* Bodin. *6. de republic. cap. 2. num.* 638. Simanca. *3. de republic.* 15. Fridenreich. *polit.* 17. *à princ.* Henric. Klockh. *disput. eleg. de vectigal. jure th. 1.* ego, *in tract. at de æra. à princ.* Nec solùm ut regnum administretur, opes ac sumptus regi procurandi: sed & magistratui summo, digna pro labore merces ac compensatio debetur; cujus vigilantiâ tutus reipublicæ status, sartæ tectæ omnium opes, pax & tranquillitas inviolata custoditur. Adeò ut nec oculis invidia plenis, Magnatum in republicâ mensæ inspiciendæ sint, & convivia aliáque, in quibus, negotiis publicis occupati, animi recreationem jucundam, ac remissionem honestam sibi postulant dari. Indè in omni ferè politiâ quoddam quasi reipublicæ patrimonium est destinatum; quod ad certum tempus, vel in perpetuum, certâ civibus locatum mercede, publicis necessitatibus subveniret: pacis quod esset ornamentum, subsidium belli. Le Guidon *de Finances de la France, part. 1. in princip.* Ego, *de æra. cap. . num.* 5. Et talia sunt bona, quæ majestati ad commodiorem reipublicæ gubernationem, suámque dignitatem tuendam

conceduntur. Vocantur hodiè bona regno conjuncta, & incorporata, seu Coronæ unita; itémque Dos reipublicæ, Cammergut / *Domaine*; cuius quidem dotis Dominus est Princeps; sed illam alienare nequit. Hûc etiam pertinent præstationes, & ordinaria tributa: Gemeine ordentliche Steewr. Ex quibus & militares copiæ nutriuntur, perfruuntur item reliqui ordines attributis sive salariis; reparantur quoque muri & urbes; denique omnia alia proveniunt, quæ communem subditorum salutem concernunt. Justinian. *Novell.* 161. *cap.* 2. Heigius, *part.* 1. *quæst.* 17. *num.* 3. *&c.* Tributum est onus fructuum, & confertur ob possessiones privati soli. Potissimùm accipitur pro pecuniâ, quæ ab Imperatoribus atq; Præsidibus in stipendia militum, & sumptus belli, à Provincialibus imperatur. Wesembec. *in paratitl. ff. de publican. nu.* 3. & 4. Tributa ergò pro modo census & facultatum, à singulis pensitabantur: qui quidem ideò etiam tenebantur, facultates omnes suas, bonâ fide profiteri apud censorem (qui & magister census, & censitor appellatus postea fuit) ut ab eo æstimarentur, & pro earum ratione, tributa imperarentur æquabili aliquâ proportione: nam & hoc nomine appellatur Peræquator. Ac si is justum modum nõ servâsset, ab eo provocatio erat. *l.* 5. *C. de censibus & censitu.*

II. Vectigalia propriè nominabant, quæ à publicanis, veluti conductoribus pendebantur. Percipiebantúrque vel ex cultu agrorum, qui ferè publici erant, vel ex pascuis publicis, quæ res Scriptura appellabatur; vel ex mercium traiectu, quod dicebatur portorium. Vide omninò Valent Forsterum, *de jurisdict. Roman. fol.* 489. vel etiam Ripaticum. Rosenthal. *de feud. cap.* 5. *conclus.* 4. aut in specie vectigal, à vecturâ; & est id, quod præstatur ex his rebus, quæ invehuntur aut evehuntur, propter usum publicæ vitæ. *l.* 21. *de donat. inter vir. & uxor.* Henric. Klock. *dict. disput. th.* 7. Quamcùm magnâ curâ & sumptu respublica planam & tutam commeantibus debeat præstare; haud iniquum est, aliquid in auctoramentum & compensationem eorum sumptuum, à viatoribus retribui. Vide etiam de tributi & vectigalis differentiâ P. Perrenon. *animadvers.* 2. *cap. ultim.* An autem mulione vel nautâ, non solvente gabellam, merces cadant in commissum? disputant Bald. *in l. cum proponas. C. de naut. fœnor.* Cuman. *consil.* 5. Thesaur. *in quæst. forens.* ubi ait, profisco, contra mercatores fuisse pronunciatum. Sed addatur, quod notat Elbertus Leoninus, *emendation lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 12. Differentiam esse constituendam, inter mercium vectorem & mercatorem proprietariũ, ut vectoris fraude veniant in commissum duntaxat res vectoris propriæ, equi putà, vehiculum, avis, non autem merces negociatoris, *l. jubemus. C. de navibus non excusan. lib.* 11. secùs si ipse mercator dolum adhibueris,

hibuerit, nam tunc mercimonia etiam in commissum incidunt. *l. totem §. Dominus navis. ff. de publican.* aut si consuetudo aliqua vel constitutio res licitas cum illicitis commisso subjiciat, ut de Andegavensium moribus scribit Renatus Choppinus, *de jurisdict. Andegavens. lib. 1. cap. 53.*

III. Cæterùm privatæ singulorum possessiones, reipublicæ subjici, & publici quasi juris censentur: non quidem quòd singulorum esse desissent, sed quòd sub reipublicæ corpore, tanquam membrum comprehensæ, uti publicæ tutelæ commoditatibus gauderent; sic publicis quoque oneribus subjacere cogerentur. Et ita solvunt subditi tributum, quasi in recognitionem Imperii universalis; Illustris Enenckelius *3. de privileg. cap. 5.* Cothman. *ad tit. C. de summâ Trinitat. quæst. 3.* Scotanus, *in paratit. lib. 1. C. tit. 33.* & ego, *lib. 1. polit. cap. 1. num. 36. & de erar. 1. num. 6* subjectionémque arguunt ac inducunt. Tuschus. *lit. C. conclus. 190.* non quòd verè dominium, Grund vnd Boden / ad Principem spectent: undè nec is jure retractus gaudet, si subditus à subdito quid emat. Rauchbar. *2. quæst. 22.* In republicâ liberâ tributa provincialibus maximè, non civibus imponuntur. Sic bona immobilia in provincialium patrimonio esse, noluerunt Romani: sed in populi dominio seu proprietate. Undè prædia eorum, tàm rustica, quàm urbana, res non mancipi dicebantur, in quibus habebant tantùm usumfructum: quæ pòst tributaria ac stipendiaria maximâ ex parte sunt facta, vide Joach. Stephan. *3. de jurisdict. 6. num. 16. & c.*

IV. Ordinarii reipublicæ reditus, quàm studiosissimè sunt conservandi. Tributis enim non illatis, respublica conservari nequit. *Novel. 149. Novell. 161. Novell. 182. cap. 15. Novell. 189. cap. 2. l. 1. §. 20. ff. de quæst.* Guil. Fornerius *1. select. cap. 20.* Camman. *7. th. 8.* Rectè proindè Neronem, an cuncta vectigalia omitti juberet dubitantem, docuêre Senatores; dissolutionem Imperii consecuturam, si fructus, quibus respublica sustinetur, diminuantur. Tacitus. *14. annal.* Justus enim metus est, ne cessantibus subsidiis, necessaria deserantur. Symmachus, *10. epistol. 50.* Imperii Romani proventus, sub Friderico Barbarossâ, adhuc fuisse sexaginta tonnas auri, prodit Schneidevvin. *Institut. de succes. ab intestat. sub rubric. de successione fisci. num. 1.* Haud cauti fuerunt Imperatores, qui, ne ii ad alios pervenirent, non præcaverunt. Indè enim successoribus præcisi sunt rerum gerendarum nervi. Ego, *de erar. cap. 2. num. 4. vers. 2.*

V. Hócce patrimonium ut conservetur, & ne extraordinariis collationibus subditi graventur; ei multâ, quæ Imperii augeant fiscum, ex usu communi omnium ferè gentium, commoda addicta fuerunt. *in*

cap. un. quæsint regalia, enumerata. Lehman. *5. cap. 67. fol.* 539 Hincque dicitur, fiscum habere, jus esse majestatis. vide Tuschum *lit. F. conclus.* 581. *&c.* ac Peregrin. *tractat. singular.* Nempè multarum, pœnarúmque compendia. Wesembec. *in paratitl. de modo multar.* Camman. *9. th. 27.* Confiscationes &c. Moditius. *§. plebiscitum. dubitat.* 46. *&* 143. de quibus latè Carocius *tractat. de excussion. bonor. part.* 1. & Tuschus *lit. C. conclus.* 712. quæ & ideò ad Vasallum cum mero mixtóque Imperio investitum, haud transire putantur. Dn. D. Bocer. *de jurisdict. 8. num. 26. & seq.* Et antiquissimum Francicorum Regum Regale fuit. deß Königs Bann oder Bannpfenning: bannus regius sive Dominicus. Lehman. *2. cap. 45. fol.* 188 *ut & lib. 4. cap. 22. fol.* 363. An verò mulctas & confiscationes habeat usufructuarius, aut bonæ fidei possessor, tractat Gilken. *ad l. certum cap. 4.* Regalia hæc à nonnullis ad majestatis jura perperàm referri (cùm nihil aliud sint, quàm commoda fisci) Paulus Busius autumat. *3. de republic. cap. 2. num. 6.* & consentit Waremundus. *de subsid. regn. cap. 3. à pr.* Verùm quatenùs juribus majestatis inserantur, dixi suprà. *cap. 1. hujus section.* quod hîc volo repetitum. Ut & illud necesse est monere; nova ejusmodi regalia non sub prætextu absolutæ potestatis esse instituenda, ut etiam dicam *infrà.* Hûc refero bona, quæ ut indignis auferuntur. Bornitius, *in rer. lib. 3. cap. 5.* Latherus, *2. cap. 8.* vel si quis capere nequeat, quod ipsi à defuncto est relictum: casus varios recenset Camman. *disput. 9. & 10.* Fiscus etiam succedit nato ex coitu incestuoso. Mynsinger. *3. observat. 91.* Bornitius, *dict. lib. 3. cap. 7.* An autem parricida incapax sit, vel indignus paternæ hæreditatis? vide Heigium, *part. 2. quæst. 33.* Intuitu verò horum redituum, magistratus summus tenetur justitiam gratis administrare, & criminales sententias suis exequi sumptibus, Heig. *part. 2. quæst. 23.* Wesembec. *consil. 150.* At si quis merum Imperium habeat, (so einer in einem gewissen Bezirck / mit dem Blutbann oder der Malefitzischen Oberkeit belehnet) numnè expensas, ac sumptus criminalis cognitionis, & executionis, subditi, vel ipse investitus suppeditare ac exsolvere teneatur? Regulariter, magistratus ad illarum expensarum exsolutionem est obstrictus, nec eo nomine subditos onerare potest. Knichen. *de investitur. pact. p. 2. cap. 1. num. 170.* Et habent hâc in re subditi pro se fundatam intentionem. Quippè nam magistratus, qui Imperium habent, & pœnâ insontes exequuntur, sumptus ac onera ejusmodi, quæ spectant ad puniendum, & justitiam exequendam, regulariter ipsimet sustinere coguntur. Chassanæus, *ad consuetud. Burgund. tit. de confiscat. §. 1. verb. apartient. nu. 2.* & Boerius, *in consuet. Bitur. tit. de jurisdict. omn. judic.* ut & Jul. Clarus, *§. final. quæst. 99. num. 5.* Ac expensas executionis justitiæ, ad fiscum pertinere

decidit

decidit etiam, Capell. Tholosan. *decis.* 41. ac consentit Wesembec. *consil.* 150. & item Heig. *part.* 2. *quæst.* 23. Eo etenim nomine, mulctas & similia accipiunt, ut eas in inquirendis, puniendisque maleficiis, & alimentandis pauperibus captivis, convertant. Latè Paris de Puteo, *in tractat. syndic. verb. expensæ, cap.* 2. *num.* 1. & 2. Et ideò expensæ hæ reipublicæ necessariæ dicuntur. *l. cum navarchorum, 6. C. de navicular. lib.* 11. Paris de Puteo, *in tract. synd. verb. præmium. num.* 3. Ad easque adeò non tenentur rustici, ut etiam ipsis, si quas in capiendo fecissent, eæ impensæ essent de publico restituendæ. Paris de Puteo, *præallegato loc. per doctr.* Bald. *in l.* 1. *C. de oper. libert.* Boer. *decis.* 303. *num.* 9. *per text. in l. Circenses.* 20. *C. de decur. lib.* 10. Quin & magistratus, si hosce sumptus à subditis extorquere conentur, illos de injuriâ rectè queri, nominatim scribit Paris de Puteo, *tractat. de syndic. in princ. tit. de regum & princip. excess. cap.* 1 *num.* 67. Idque maximè locum habere videtur, si in Cæsaris investituris, Wann in Belehnungen deß Blutbanns / aliud nihil fuerit cautum; tunc enim meritò, regulæ juris communis standum erit. Cùm Principum privilegia & rescripta, in dubio ex jure communi capiant interpretationem, nec in præjudicium tertii, qui jus constitutum habet pro se, detorqueri possint. *l.* 14. & *duab. seqq. ff. de legib. l.* 141. *in princ. d. reg. jur. c. quæ à jure* 28. *de reg. jur. in* 6. & *utrobique Dd.* Nec impedit, si quis dicat, in vicinis pagis, rusticis tales expensas imponi, eósq; illarum nomine collectari. Constat enim, consuetudinem iuri communi contrariam, neque de casu ad casum, neque de personâ ad personam, neque de loco ad locum extendendam: sed quantum fieri potest, strictissimè interpretandam esse. Baldus, *in authent. qui rem circ. fin.* & ibi Jason. *C. de SS. Eccles.* Cravetta, *de antiquit. temp. part.* 4. §. *transeo nunc ad quartam. num.* 44. & *seqq.* Roland. à Valle, *consil.* 55. *num.* 13. *lib.* 1. Ludolph. Schrader. *de feud. part.* 10 *section.* 20. *num.* 165. & *seqq.* Et ita etiam in terminis nostri casus, sentit Heug. *d. quæst.* 23. *num.* 14. & hûc faciunt tradita Matth. Wehneri *de V. significat. verb.* Landbrauch / ubi ait: licèt communi usu Germaniæ, consuetudo aliqua notoria videatur; illa tamen, quoad locum controversum, non modò alleganda, sed etiam probanda erit.

VI. Bona vacantia; eorum nimirùm, qui sine herede decedunt. *l ult. C. de bon. vacant.* Guil. Ranchinus, *tractat. de succes. ab intest.* § 23. Bornit. *ærar.* 3. *cap.* 2. Camman. 8. *th* 4. Latherus, *de censu lib.* 3. *cap.* 1. Barri *tractat. de succes. lib. ult. tit.* 5. Dn. Adam Keller. *de succes. tit.* 28. ubi tamen fiscus non ultrà vires hereditarias tenetur, Cævallos, *tom.* 3. *opin. commun. quæst.* 822 Cui regali affine est illud, quod *le Droict d' Aubaine*, in Gallià vocant. Ranchinus *dict. loc. num.* 4. Le Guidon, *de Finances,*

ces, *part.* 1. *fol.* 54. Camman. 8. *th.* 16. Papon. *lib.* 5. *tit.* 2. Prædia inculta atque deserta. *tot. tit. C. de omni agr. desert.* Valasc. *de jure emphyteut. quæst.* 8. *num.* 37. & 40. Mascard. *conclus.* 1189. *num.* 34. Undè Novales decimæ, ex terris ad culturam nuper redactis præstandæ, non spectare dicuntur ad eos, qui sibi jus decimandi adscribunt ab antiquo; sed eas sibi attribuunt magistratus superiores. Rutger. Ruland. *decis. jur. controvers. quæst.* 19. Thom. Michaël. *de jurisdict. th.* 49. Hartmannus Hartman. *tit.* 53. *observ.* 10 *num.* 8. Menoch. *consil.* 36. Dissentit Dn. Adam Keller, *de offic. Iuridico-politic.* 2. *cap.* 18. *fol.* 502. vide Decian. *consil.* 22. Ac hodiè in decimis nullam certitudinem esse, pronunciat Wehner. *consil. Francon.* 77. vide Wehner. *de verb. significat. verb.* Forst. Item, *verb. Noval.* Et sunt, qui prætendant, Ein Stockgarb oder Forstgarb. Etenim qui habet Forestalem sive sylvestrem, aut faunalem jurisdictionem, habet simul jus das außstocken / außreutten / außmörglen / außarten ꝛc. der Hölzer ägerten vnd gebüsch / oder gestreuch zuverbieten: nec cõcedunt die Newbrüch, nisi cum causæ cognitione, & impositio reditu annuo perpetuo, seu fructuum certâ portione, quæ cum decimis ecclesiasticis nihil habet commune. Sanè decimæ ad ecclesiasticos spectant de jure, & consuetudine ecclesiæ primitivæ. Baxonius, *Anno Christi* 57. *num.* 23. Eas sæpè Laici intercipere sunt conati; jam tempore Francorum regum. Paradin. *H. Forestingdun.* 2. *cap.* 17. Lehman. 3. *cap.* 15. & 20. & hâc de re disputatum etiam fuit tempore Heinrici VI. Lehman. 5. *cap.* 67. *fol.* 546. An verò decimæ Melchisedeki, fuerint decimæ veræ, disquirit Pererius, *in comment. ad Genes. cap.* 4. *fol. mihi* 519. Ac quoque jam olim Ethnici, Herculi decimas bonorum devoverunt, ut ditescerent; undè Persius, *Satyra* 11. Et, ô si sub rastro crepet argenti mihi seria dextro Hercule. Turcarũ Imperator prætextu regalis summi, decimas etiam exigit liberorum. Tarduccius, *fol.* 243.

VII. Res habitæ pro derelicto: Camillus Borellus, *tractat. de magistrat. lib.* 4. *cap.* 12. (ubi de animalibus errantibus, & bonis, quorum Dominus nescitur.) Thesauri nempè dimidia pars inventi in loco sacro, religioso, (alieno) publico aut fiscali. Peregrin. 4. *de jure fisci. tit.* 2. Covarruvias, *cap. peccatum. part.* 2. § 2. Farinac. *quæst.* 104. Bornitius, *erar. lib.* 3. *cap.* 9. vide Camman. 8. *th.* 28 & Arumæum. *decis.* 1 & *disputat. ad leg. præcip.* 20. *th.* 5. Hackelman *illustr.* 19. *th.* 5. Heigium, *part.* 1. *quæst.* 13. *ad fin.* Andr. Klessen / *disputat. de modis acquir. domin. ex jure gent. quæ descend.* 4. *lit. c.* De Thesauris, latè Freher, 1. *parerg. cap.* 4. Guil. Valent. Forster. *tractat. de Dominio. cap.* 9. *num.* 97. *&c.* Louys Guyon. *d. diverse Leçons, tom.* 2. *lib.* 1. *cap. penult. & ultim.* ac nuper Dn. Pitschius, *in Colleg. de Thesaur.* Sed Magicis artibus erutus, nullâ ex parte cedit inventori.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 3, [178] - 176

ventori. Et circa hoc Diaboli frequentes concurrunt lusus. Auct. Vitar. Patr. *in vitâ Cupretu.* Hûc & naufragii jus spectare videtur. Camman. 8. *th.* 22. Fridenreich. *politic.* 30. *fol.* 25. *&c.* Guidon, *des Finances, fol.* 68. quod Galli *Varech,* (Fahrrecht) *on droict des Naufrages* vocant. Guidon. *des Financ. fol.* 75. Quod jus licèt sit antiquum. Selden. 2. *Fani Anglorum. fol.* 87. turpe tamen lucrum esse, censet Kirchner, *disput. de republicâ 16. coroll. ultim.* vide *l.* 43. §. 11. *de furt.* §. *ultim. instit. de rer. divis.* Licitum autem est naufragii jus, vigore cujus majestas sibi arrogat bona naufragorum; quorum Domini ignorantur: ea enim dividuntur inter Principem & inventorem, instar Thesauri. Mirabilem naufragii historiam habet B. Paulinus, *epistol.* 36. ubi Dan. Rosvveid. & Ducæus.

VIII. Reditus piscationum. *c. un. tit.* 56. *lib.* 2. *F.* salinarúmque: Consil. *Marpurg.* 9. *vol.* 1. Bornitius, *de æarar.* 5. *cap.* 5. Hardevv. à Dassel. *consil.* 2. ut & lapicidinarum. Rauchbar. *quæst.* 22. fluminúmq; Rauchbar. *quæstion.* 23. Bulenger. *de vectigal. cap.* 33. vectigal: ac etiam ex omnis generis metalli fodinis, Heigius, *part.* 1. *quæst.* 3. Farinac. *quæst.* 105. Bornitius, *de æarar.* 5. *cap.* 4. Rauchbar. *dict. quæst.* 22. Peregrin. 4. *de jure fisci tit.* 2. *num.* 21. *&c.* Dn. D. Bocer. *de investitur.* 3. *num.* 101. *&c. & de jure monet. cap.* 2. *num.* 35. *&c.* Buxtorff. *th.* 89. Camman. 7. *th.* 85. *& mult. seqq.* Bulenger. *de vectigal. cap.* 35. Klock. *de vectigal. th.* 3. 6. Engelhard. *de vectigal. fol.* 6. An metallifodinæ ad Nobiles, Wesembec. *consil* 60. an ad Dominum vel Vasallum spectent? Dn. Bocer. *tractat. de jur. Domini & Vasalli fol.* 188. & alii tractant. An verò Steinkohlen / regalibus enumerandi? vide Wehner. *Franc. consil.* 88. Item, Sal, seu salinæ. Bulenger. *de vectigal. cap.* 16.

IX. Hæcce tamen regalia (de quibus etiam passim ago, *in tractatu meo de æario.*) pro diversitate locorum & imperiorum variantur. Ac sic in Angliâ, in Principis peculio, tutela est pupillorũ, pupillarúmve. Neque ejus injussu ritè nuptias contrahunt Vasalli: Thom. Smith. 2. *de republic. Anglor.* 4. *fol.* 68 *& lib.* 3. *cap.* 5. quòd iniquum alibi videretur. Vulgò vocant *la noble garde*: in Galliæ item quibusdam locis usitata. Coteræus, *de jur. milit. fol* 199. D. Gregor. Tholossan. 3. *de republic.* 2. *ad fin.* ubi ait, quibusdam in locis agnatos pupillarium bonorum habere fructus. Multis etiam in locis, diuturno usu, præscriptióneque factum est regale jus venandi. Heigius, *part.* 1. *quæst.* 15. Fridericus Pruckman. § *venatio. cap.* Arumæ. *disputat. feud.* 4. *th.* 15. vide tamen Dn. D. Harpprecht. §. 12. *num.* 143. *de rer. divis.* & Dn. D. Bocerum, *cap.* 1. *de regalibus, num.* 30. *& de jure Vasall. fol.* 97. Forster. *tractat. de Dominio. cap.* 9 *num.* 12. *&c.* Idque inter fructus jurisdictionales, hodierno jure referri volunt. Quem morem etiam jam olim Nortmanni in Angliam

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1 Leibn. Marg. 0,1, Stück 3, [179] - 177

introduxerunt. Selden. *lib.2. Iani Anglor. fol.* 78. Sicque non venatio, qualis erat apud Romanos: sed potiùs prohibitio venandi regalibus accensetur. Borellus, *4.de magistrat. cap.3.* An legitimè subditis sit adempta venandi facultas? vide Felsten. *centur. quæst. polit. dec.8. th. ult.* Ant. Gerhardi. *disput. institut. th.4.* Arumæum, *disput. ad L.L. præcipuas* 20. *th.1.* Conrad. Pincier. *tractat. de jurisdict. cap.4. num.39. & multis seqq.* Timæum Fabrum, *disput. institut.12. coroll.2.* Adde Petram, *de potestat. princip. cap.7.* Lyclam. *3.membr. cap.9.* Speckhan. *centur.1. quæstion* 97. Arithm. *peric.1. disput.3. th.5.* Val. Riemer. *coroll.1. decad.* 4. Mohr de Nigromante, *tractat. de venat. part.1. cap.2.* Dn. Anton. Winther. amicum meum certum, *disputat. de rer. divis. th.11. & seqq.* Fachinæum. *1.controversiar. cap.1.* Gail. *2.observat.68.* Iniquum non est, ut subditis venationibus interdicatur, ii quia jam olim consensêre, ut feræ, Principibus pro molestiis, quas in gubernando Imperio sufferunt, relinquantur: ait Lucas Osiander, *ad Iob. cap.24.* Sunt qui putant, venationem ex dominatione, & subjectione bellicâ fuisse ortam, quemadmodum jus servitutis, die Leibeigenschaft: hócque jus sibi reservâsse victores. Quod verò prohibitio venationis, sit à Romanis introducta, probare videtur, *l.1. C. Theod. de venat. ferar. lib.15. tit.11.* Non tamen debent Principes interdicere venationibus, iis in locis, ubi adhuc libera est omnibus venationis facultas: quæ freye Bürsch vocant. Legitima enim immunitas, nemini adimi jure potest. Et minimè etiam consultum esse Politici dicunt, ut Regalia nova instituantur. *La riserva delle Regaglie ordinarie, patisce poca ingiustitia se non fusse nel modo di servirsene troppo insolentemente, & tirannicamente. L'ingiustitia sarà, quando si formano nuove Regaglie.* Thesoro politico, *part.1. fol.m.26.* Putà si subditi cogantur accedere molendinum Domin. Rutger. Ruland. *decis.24.* vel vinum non nisi à Domino emere. Non dicatur de Principe bono, quod *Satyra* 4. dicit Juvenalis:

Quicquid conspicuum, pulchrumque ex æquore toto est,
Res fisci est, ubicunque natat.

An autem Dominus ex frequenti prohibitione, & patientiâ subditorũ, acquirat jus venandi, disquirit Cravetta, *consil. 657.* Ac de præscriptionis effectu circa venationes: vide Schwanmann. *in consil. feudal.* Ridiculi sunt providi naturæ tuitores, qui ideò ferarum venationem adimunt plebi, ne species perdantur: cur enim quæso non abolitæ olim cur in novis Insulis non interierunt? ubi quondam multitudo hominũ incredibilis, ferarum copia admiranda erat. Imò prohibitio impedit divinam benedictionem; sicut quoque res, quarum usus communis esse debet, cùm vectigali vel alio modo is impeditur, eum evanescere com-

perimus.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1 Leibn. Marg. 0,1, Stück 3, [180] - 178

perimus. Philipp. Cameratius, 2. *meditat. cap.* 69. Bulenger. *de vectigal. cap.* 16. *ad fin.* Exempla etiam extant apud Alberic. Cranz. *Daniæ, lib.* 8. *cap.* 9. Athenæum *lib.* 3. Et docebit aliquando ligni inopia, admittere vel aliter administrare venationes. Quin & jure illo, quo ab antiquo gaudent, Principes cùm abatuntur non ii inviti audiant Divum Augustinum; qui vident venatorem & delectantur, videbunt Salvatorem & contristabuntur. *c. qui vident, distinct.* 86. adde quæ ex Saresberio Polycratico, refert Dn. Lansius, *in consultat. fol.* 536. (An Princeps Venationi debeat studere? vide Scipion. Ammiratum. 2. *discurs.* 1. & Kirchner. *orat.* 19 *& seq. vol.* 1. Gerhardi, *loco de magistrat. num.* 429. *&c.*) Laude omninò digna sunt Testamenta, qualia Reges aliquot Galliæ condiderunt: *Recompense estre faicte aux paisans, ayans des heritages si pres de leur forests, pour le dommage qu' ils auroyent suffect par les bestes sauuages.* Le grand Aulmosnier de France, *fol.* 242. Jehann de Tillet, *aux tiltres, grandeurs & excell. des Rois de France, tit. Inventaire des Testamens. fol.* 347. *&c.* Omni item laude dignum est apophtegma Ludovici Comitis Palatini, S. R. Imperii Electoris: qui, cùm aliquando graves querelæ de feris ad ipsum deferrentur, & subditi plurimùm hâc in parte se gravari conquererentur; ac adjiceretur ab eo, qui subditorum nomine querelas illas submissè exponebat ac deprecabatur, celsitudinè ipsius, nisi in tempore huic malo remedium adhiberet, amissuram subditorum preces: è vestigio respondebat; malle se ferinâ carne prorsùs carere, quàm subditorum preces amittere. Nunquàm enim sibi tàm gratam esse aut fuisse carnem ferinam, quin subditi longè sint ac fuerint chariores, malléq; se subditorum commodis, quàm voluptatibus, quæ ex usu ferinæ carnis percipiuntur, consulere: simúlque mandatum dedit, ut feræ magno numero sternerentur. D. Timotheus Kirchnerus, *in Orat. quam in obitum hujus optimi & laudatissimi Principis habuit, fol.* 292. *lib.* 1. De usu venationis, quoad sanitatem. vid. Mercurial. *Gymnast. lib.* 3. *cap.* 15. *& lib.* 6. *cap.* 13. Ac item de usu venationis, quædam habet Rittershusius, *in præfat. dedicator. Oppiani.* Et fuit semper apud Barbaros æquè ac Christianos, venationis magna cura. Apud Turcas mille Janizari, canes venaticos curant. Tarduccius, *fol.* 245. Et de Galliæ Rege scribit Froissart. *cap.* 210. *Et avec le Roy, avoit bien pour luy trente faulconniers à Cheval.* Adrianus usque ad reprehensionem venationis fuit studiosus. Spartian. Odenatus venatoriâ vitâ duratus: Solem ac pulverem bellis Persicis tulit. Pollio *in* 30. *Tyran. num.* 14. de venation. verò vide Arumæum, *tom.* 4. *discurs.* 37. & Tractatus singulares Pruckmanni, de Medices & Mohr. Item videri potest, das Jagrecht Noë Meurers. Sùntque hâc de re quæstiones infinitæ. Dn. Rutger Ruland. *de interrog. lib.* 2. *c.* 8. *n.* 2.

X. Fisci aut Ærarii expeditissima augendi ratio est, detrahere sumptibus; urbem & provincias purgare hominibus non necessariis. Malum etenim esse Imperatorem, Alexander Severus dixit, qui ex visceribus Provincialium, homines non necessarios, nec reipublicæ utiles aleret. Lampridius. Nihil sordidius est, imò crudelius, quàm si rempublicam ii arrodant, qui nihil in eam suo labore contulerunt: quod olim dixit Antoninus Pius Imperator, teste Capitolino. Nero divitiarum & pecuniæ fructum, non alium putans, quàm profusionem, & nec largiendi, nec absumendi modum tenens; tandem nulli delegavit officium, ut non adjiceret. Scis quod mihi opus sit, & hoc agamus, ne quis quicquàm habeat. Sueton. *cap.* 30. *&* 32. Oraculi ergò hîc loco sit illud Poetæ:

Si rectè fruerus, non est ut copia major
Ab Iove donari possit tibi.

Aliter qui faciunt, ii cum pompâ & tripudio pereunt; quod olim dixit ad Carolum VII. Galliæ Regem Hira, cùm Anglis in Gallia bellum gerentibus, nihilominùs eum videret totum Gynæcei saltationum, conviviorum, ac aliis ejusmodi sumptuosis delitiis occupatum. Gaspar. Ens, *Epidorp.* 1. *fol.* 13. vide omninò meum tractat. *de Ærario.*

XI. At verò necessitatis interdum ratio, hoc modo vinci nequit, sed alia media suadet; Imperantémque adigit ad subsidia ordinaria augenda, vel extraordinaria efflagitanda. Collectas vulgò vocant Galli, *Aides, Tailles.* Et à tributis differunt in eo; quòd non certam, sed incertam, ob necessitatem occurrentem præstationem habent. Hinc que vectigalia instituere, extraordinariásque indicere collationes; de summo Imperio esse, & ad regalia supremi Principis referri debere dicunt. *tot. tit. vectigal. nova instit. non posse.* Lancellot. *templ. judic. 1. cap. 1. §. 4 fol.* 377. Sixtin. *de regalib. 2. cap. 6. &* 14. Dn. D. Bocerus, *de regalibus. cap. 2. num. 183. & cap. 3. num. 213.* Bornitius, *cap. 23.* Amplis. Rutger Ruland. *decis. 11.* Paul. Busius, *disputat. de republ. 11. th. 10.* Vectigalia, necessitate sic exigente, quandoque augentur. Quemadmodum apud Romanos, octava tandem pars exigebatur. *l. 7. C. de vectigal.* cùm olim quinquagesima, aut etiam centesima tantùm præstari solebat. Cujac. *6. observat. 18.* In Imperio autem Romano-Germanico, vectigalium indictio non est penes status; sed requiritur jussus Imperatoris. Idque ex recessu Imper. Rodolphi I. Lehman. *5. cap.* 108. *fol.* 629. Sed Principes Italiæ hoc faciũt suo jure. Rodolphinus, *de Ducibus Italiæ, n.* 199. *&c.* An autem præscriptione acquirantur, tractat Modestinus Pistoris. *consil. 6. lib.* 2. Et exactio eorum ita stricta est, ut in commissum cadant illorum merces, so den Zoll vberfahren. Bornit. *erar. lib.* 3. *cap.* 4. Licèt item Dominus alicujus territorii, Provinciæ vel universitatis non teneatur de robariâ ibi facta,

factâ, si fuerit insçius, vel prohibere non potuit, ut communem esse opinionem asserit Abbas, *in c. 1. nu. 2. extr. de restitut. spoliat.* & ibi Anton. de Butrio, *num. 19.* & est textus rotundus, *in §. quoniam vero.* quem sequitur Jacob. de Bello viso. *in authent. ut nulli judic.* si tamen Dominus à transeuntibus exigat pedagium, tenetur resarcire, si quod damni iis in viâ publicâ illatum fuerit: ut tenet Baldus, *in c. 1. §. conventicula. De pace tenend. & juram. firmand.* idem Baldus, *in tit. qui feudum dare poß.* Tributa etiam extra ordinem quandoque augentur, vel capitatio indicitur: quæ est genus quoddam personalis tributi, quod capiti, sive personæ, non facultatibus imponebatur; & ab iis etiam, qui nullum censum habent, nulláque possident prædia, exigebatur. Vide Lexicon Juridicum Calvini, *verb. Capitatio.* Scotanus, *in paratitl. lib. 1. Cod. tit. 52. de annon. & capitat.*

XII. Extraordinariæ hæcce collectæ, ab omnibus exigi queũt, qui commodis reipublicæ fruuntur. In summâ item ac extremâ reipublicæ difficultate, omnes immunitates & privilegia cessant. Fridenreich. *cap. 28. fol. 170.* Verùm eæ collationes, ad publicos tantùm usus converti debent Exemplo Turcarum Imperatoris; qui ex hortis, alísque reditibus aulam sustentat. Indictiones verò extraordinarias, *Haran agameni cani* vocant, id est, prohibitum subditorum sudorem: qui non insumitur, nisi ad belli necessarios usus. Breüning. in der ersten Meerfahrt. vide etiam Consilium Dn. D. Johann. Brentii, *inter Consilia Theolog. Bidembachii. decad. 6. consil. 9.* Ob/ vnd wann ein Christliche Oberkeit ihre Vnterthanen mit gutem Gewissen schätzen möge? Calipha Al Ghabassi Hhaphtsi, hanc sibi olim religionem indicebat: ut nullum usum caperet vel cibi, vel potus, aut vestitus, nisi ex manuum suarum labore. Erat verò artifex storearum, & tegetum elegantissimarum; quas sigillo proprio notatas in forum vendendas præcipuis ministris suis tradebat: eas verò magnates terræ emebant, illiúsq; quæstus pecuniâ, ipse sibi victum parabat. Itinerar. Benjamini. Hæc si fecit Maximus Rex Mahumetanus: quid ni dedeceat Principes Christianos, subditorum pauperum labore, sudoréque, ad pompas inutiles abuti? vid meum tract. *de arar. cap. 4. nu. 6. v. 1.* An verò civitas municipalis indicere possit collectam, & de statibus Imperii Germanico-Romani, consule Busium. *disputat. de republ. 11. thes. 11. usque 19.* & ego etiam, hâc de re tracto, *in tractat. de jurib. universit.*

XIII. Extraordinariæ tales præstationes, non semper in pecuniâ consistunt. Undè Angariæ & Perangariæ hûc quoque spectant: quæ aliud nihil sunt, quàm onera patrimonialia, præstatione jumentorum, plaustrorum, navium, aliarúmque rerum, quæ absolvuntur; & propter

necessitatem, seu aliquod repentinum negotium indicuntur. Hotoman. *Lexic. feud. verb. Angaria.* Cujac. *ad l. ultim. C. de Fabri censib. lib.* 11. Sixtin. 2. *de regalibus cap.* 13. Tuschus, *lit. A. conclus.* 330. Daman der Obrigkeit mit Wagen/Pferden/Schiffen/vnnd dergleichen/auff begebenden Nothfall dienet. De vero Etymo Angariarum, ex Hebreæ & Persicæ linguæ fontibus, videndus Jan. Drusius, *lib.* 1. *annotat. in Nov. Testament. fol.* 16. *& seq.* & Beza. *ad cap.* 5. *Matth.* Scultetus, *in not. Criticis, ad Matth. cap.* 15. Martinus Lydius, *ad Clemangem, in analect. fol.* 13. Hûc refero, *commodi d' allogiamenti:* Thesoro Politico. 1. *fol.* 25. *& seq.* quod onus in jure nostro, Metata appellatur. Bornitius. *de ærar. 6. cap.* 3. vide Lud. Molinam. *de justit. & jure. disput.* 665. Ac olim Spirenses Cives, Episcopo præstare tenebantur. Lehman. *lib.* 5. *cap.* 121. *fol.* 652. Estque veterum Angariarum specimen, in Turcià adhuc superstes. Michaël de Montaigne. 2. *cap.* 22. *ad fin.* Sic & Salomon elegit operarios de omni Israël, erátque indictio (quæ Hebraicè generali tributi vocabulo denominatur) 30. millia virorum. 3. *Reg.* 5. *vers.* 13. *& seq.* Et eò usque procedunt respublicæ nonnullæ, ut peregrinorum quoque mercatorum naves inhibeant, & contra hostium violentiam iis utantur. Thesoro Politico, *part.* 1 *fol.* 229. *relat. d' Inghilterra*, more & olim in Germaniâ usitato. Lehman. *lib.* 4. *cap.* 22. *fol.* 366. Hûc etiam pertinet Fodrum, onus antiquum, & debitum in Italia Imperatoribus Germanis. Lehman. 5. *cap.* 67. *fol.* 539. In Germaniâ quoque müsse man die Mißos Cæsaris aller Orten frey halten. Lehman. *lib.* 4. *cap.* 22. *fol.* 365.

XIV. Verùm his præstationibus, absimiles multùm sunt operæ, quas Nobilibus suis Dominis, subditi debent: Dienst/Frohn/allerley Frohndienst. Hæ enim operæ, non vi jurisdictionis; sed ex contractu, vel præscriptione descendunt. Vide omninò Forsterum, *tractat. de jurisdict. Roman. part.* 2. *in annotat. ad legem Numæ.* 3. *num.* 162. *& multis seqq.* Sichardum, *ad tit. Cod. de oper. libert.* Knichen. 2. *de investitur. cap.* 3. Et quæ etiam subditum non facere putantur. Frider. Mindan. 2. *de mandat. cap.* 46. *num.* 5.

XV. Collectas, aliásque exigere præstationes, ut juris est majestatis: ita & pariter concedere immunitatem, atque vocationem. *tot. tit. de his qui à princip. vacat. acceperunt, lib.* 10. *Cod. Novell.* 128. *cap.* 1. Conrad. Lancellot. *templ. judic.* 1. *cap.* 1. §. 4. *fol.* 341. Camman. 4. *th.* 96. Sícque Romæ olim Senatus, pòst Principes hoc Regale administrârunt. Bulenger. *de vectigal. cap.* 55. *fol.* 180. Sciendum tamen, immunem Cives odisse, & beneficium quibusdam datum, plebis injuriam esse. *tot. tit. C. de immunit. nem. conced.* Guil. Forner. 1. *select. cap.* 20. Et tandem injusta exactio, onerum quorumcunque extraordinariorum, auctoribus

bus semper pernitiosa fuit. Caspar. Klock. *disputat. Basileens. de contribution. thes.* 3. Quâ ratione exactionum, legitimâ non suffragante consuetudine consultores, subditi quo opprimuntur gravantúrque, publicâ etiam ludorum equestrium lege infamantur. Churnier Artickul/ 9. & 11. Ego, *tractat. de erar. cap.* 7. *num.* 2.

CAP. VIII.

De iis, quæ ob singularem dignitatem, non nisi à majestate distribuuntur.

SUnt & in republicâ porrò multa, quæ propter necessitatem summam, & maxumam dignitatem, soli majestati reservata censentur. Putà, Postas comprobare non tantùm summam utilitatem præbent iter facientibus, literásve mittentibus, verùm etiam ad securitatem reipublicæ plurimùm faciunt, dum per id medium Princeps, quid in quóque Principatus angulo geratur, exploratum habeat. Arnisæus, *de jure majestat. lib.* 3. *cap.* 5. *pag* 547. Quâ de causâ Indorum Philosophorum quidam Alexandrum admonebat, ut in medio regni sedem sibi eligeret, quòd illìc faciliùs & motus gliscentes compescere, & quid ubique geratur, intelligere possit. Idem, *dict. loc. ex Plutarch. in Alexandr.* Et has Postas de Reservatis Imperatoriis esse probat Reichs Abschied zu Speyr/ de Anno 1542. §. vnd damit man auch iederzeit/ ꝛc. Et informatio Bohemica ab Imp. Matthia promulgata, habet, daß die Keyserliche Hoffpost jhrer Majestät vnd deß H. Römischen Reichs hohes Regal seye/ vnd desselben getrewen Churfürsten/ vnnd hochwichtigste Sachen betreffe. Reinking. *de regim sec. & eccles. last. lib.* 1. *class.* 5. *c.* 6. *n.* 114. Huic cuidam Germaniæ Principi generales Postas, per Belgium & Italiam constituere annitenti, Anno 1579. Cæsar pro hujus suæ majestati reservati juris defensione severè interdixit. Arnold. Clapmar. *de arcan. rerum publ. lib.* 1. *cap.* 21. *circa fin.* Thom. Michaël. *de jurisdict. conclus.* 12. *lit. B.* Arnisæus. *de jure majestat. lib.* 3. *cap.* 5. *pag.* 549. Et quamvis alii etiam Principes Postas & Cursores in suis ditionibus habeant, hi tamen respectu istorum, privati censentur, Reinkingh. *dict. loco.* Sic porrò majestas præmia & beneficia publica impertitur atque honores, Nobilitatem & dignitates confert. Bornitius, *de majestat. cap.* 20. & idem, *tract. de præmiis, cap.* 3. Camman. 5. *thes* 7. hâc itidem conditione, ut ad collegia admittatur quis, ubi aliàs non nisi nobiles nati accessum habent.

Petr.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 3, [185] - 183

Petr. Frizius, *apud Arumæum. discurs.16. thes.*20.*fol.*453. *vol.*1. aut ut in torneamentis comparere possint. Vischer. *de Duello fol.* 463. (oder daß sie mit Rittern Recht sprechen dörffen / quale privilegium habent Cives Spirenses. Lehman. 7. *cap.* 21. *fol.* 759. *& lib. eod. cap.*41 *fol.*787.) Hócque Regale, Carolus V. Imperator, dedit Vicario suo, Regi Ferdinando. Goldast. in den Reichssatzungen/ *fol.*251. Ut majestatis est, pœnas legum decernere in delinquentes: ita quoque ejusdem esse reputatur, præmiis & beneficiis publicis afficere bonos. Majestas in summo fastigio collocata, fons est omnium dignitatum: ex quo honores, tituli, & quævis præeminentiæ derivantur, & tanquam radii à Sole, dignis communicantur: niti enim debet nobilitatio probabili ratione; nisi hoc regale eminentissimum, contemptui exponere velimus. Kirchner. *disput. de republ.*2. *coroll.*5. Hinc etsi virtus per se nobilitet, & præeminentia virtutis, à Numine Divino, non ab hominis arbitrio descendat: nisi tamen vigore hujus regalis dignitatis titulus alicui conferatur; parùm prodesse assolet nobilitas naturæ. Obrecht. *disputat. de regalib. th.* 124. *&c.* Pariter ut ad Doctorem, præter eruditionem etiam requiritur gradus. Vix ergò tueri locum poterit opinio ea, quæ solos Nobiles jactat illos, qui ceras fumosásque imagines, & sedecim generosos numerare possunt avos. Non est ita effæta natura, ut producere nequeat hodiè iis pares, qui nobilium stirpium olim capita fuerunt. Solémne omni tempore imperantibus fuit, in locum deficientis, aut etiam degenerantis nobilitatis, alios surrogare. *Genes.*41. *vers.*39. *&c.* Et ipse Deus ex stercoribus pauperem erigit, ut in Principibus collocet eum. *Psalm.* 113. *v.*7. *& seq.* Memorabile est, quod de Carolo M. Aventinus, *4. annal. Bojor.* & Henric. Mutius, 8. *de reb. German.* ac Lehman. 3. *cap.* 30. referunt. Illum cùm Lutetiæ, Scholam ibidem à se fundatam ingressus, periculum studiorum facere discentes jussisset, deprehendisséque tenuiores ac pauperes, præter spem profeciſſe; Nobiles verò cultum animi neglexisse. Illis ad dexteram segregatis: Vos quidem macti virtute, dixisse, filioli pientissimi; qui nostro Imperio gnaviter defuncti estis. Vestri erunt maxumi Episcopatus; Vos in aulam adsciscam; ex vobis Senatores cooptabo; Vos in album Prætorum, & Patrum Curiæ allegam &c. vid. Matth. Stephani. *tr. de Nobilitat. cap.*4. Olim sanè Nobiles nati, in minore erât existimatione, quàm qui nobilitatem vel auxerunt, vel jam primùm acquisiverunt. Hi Equites, illi Edelknecht / Gallis *Escuyers* (Scutarii) dicti fuerunt: quasi qui insignia ferebant generis sui Claritatem repræsentantia; ut propterea cinctura aut creatione opus non haberent. Smithus, *de republic. Anglor. cap.*19.

II. Hûc pertinet jus Equestrem Nobilium ordinem dandi. Jehan Papon,

Papon. *lib.5.des arrests.tit.4.de nobilitat. arrest.1. & 2.* Jus itidem aureorum annulorum: quod non nisi Principes tribuerunt. *t.tit.ff. & C.de jur.aur.annulor.* In cujus locum hodiè successisse dicunt, quòd Princeps insignia, non familiis singulis; sed & rerumpublicarum propria quæ sient, largiri solet. Bart. *tractat.de insig. & arm.* Alii jus annulorum donare, id fermè esse ajunt, quod dicimus equitem facere, Zu Ritter schlagen. Piso Soacius, *tractat. de Venet. & Rom. magistr. comparat. num.39.* Quam dignitatem omnes olim magnates, etiam Reges affectarunt. Lehman. *5.cap.66.* Jure verò nobilitatem, ac ejusmodi dignitates conferendi, ut indubitatè gaudent omnes, superiorem non recognoscentes; ita ut etiam eorum Nobiles valeant in toto orbe. Vischer. *de Duello. fol.462.* Sic Status Imperii Romani, nisi ex privilegio singulari, non videntur nobiles creare posse; qui pro talibus extra suum territorium habeantur. Petr. Frizius, apud Arumæ. *discurs.16. thes.4. & aliquot seqq.* Ant. Bullæus, amicus meus, *discurs.Academ.4.* Calefatus, *de equestr.dignitat.num.70. &c.*

III. Pertinet etiam ad majestatem summam literariam tribuere majestatem. Indè jus creandi Doctores & Licentiatos, in omnibus superioribus facultatibus. Bachov. ad Treutler. *disputat.1. fol.28.* Magistros item artium denominandi, adscribi debet majestati. Quin & hodiè itaque quoque mos valet; ut non Phœbus, sed Imperator faciat Vates, quod deridiculo est Justo Lipsio. *in Satyr. Menipp.* De Coronation. Poetarum, vide Piccart. *orat.11.* Et quod jam olim Poetæ Lauro insigniebantur, tradit Paschal. *de coron.5.cap.12. & 14.* Sícque Petrarcha fuit Lauro coronatus, Tursellinus, *in epit. histor. lib.9.fol.m.314. quem vide.* Et primus in Germaniâ Celtes, manibus Frider. III. Imperatoris. Adami, *in vitâ fol.30.* Et ita porrò erectio Academiarum, est jus majestatis. Vultejus *de feud.1.cap.5.num 7.* nec competit inferiori. Moditius, §. *Plebescitum. quæst.78.* Idque sibi haut rectè Pontifices adscribere, tradunt Lutherani. Kirchner. *disputat.2.coroll.4.* Christ. Matthias, *Colleg. Politic.2.disput.2.thes.24.* Baccalaureos creare, haud est regale: ut *in tractat de Academ.* dixi. Hincque in nostrâ Academiâ, haud impetratur à Cancellario potestas, primâ illâ Lauri baccâ insigniendi Candidatos. Lubet hîc addere privilegia & erectionem Academiæ Tubingensis, prout *in Bibliotheca Laubmaieriana* extabat non ingrata quæ Lectoribus spero.

ERECTIO UNIVERSITATIS studii Tubingensis 1476.

IN Nomine Domini Amen. Heinricus permissione Divina Abbas Monasterii in Blaubeüren; ordinis S. Benedicti, Constantiensis Diocesis, Executor & Commissarius ad infrà scripta, à Sanctâ sede Apostolicâ, unâ cum certis nostris in hâc parte Collegis: cum Clausula. Quatenùs vos, vel duo aut unus vestrum in subinsertis literis Apostolicis apposita specialiter deputatus. Universis & singulis has literas visuris, lecturis & audituris, præsentibus & posteris, ac præsertim illi vel illis, quorum interest, intererit, aut interesse poterit, & quos nosse fuerit oportunum: Subscriptorum notitiam indubitatam: cum salute in Domino sempiternâ. Literas Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri, Domini Sixti, divinâ providentiâ Papæ quarti: ejus verò Bulla plumbea in filis canapi, more Romanæ Curiæ impendente, bullatas, non abrasas, cancellatas vel abolitas: nec in aliquâ suâ parte suspectas, sed sanas integras, & illæsas, omníque prorsus vitio & suspicione carentes: Nobis pro parte Illustris & Generosi Domini, Domini Eberhardi: Comitis in Würtemberg & in Montepeligardo, Senioris, in ipsis literis principaliter nominati al s pridem præsentatas: Nos cum eâ quâ decuit reverentiâ accepisse noveritis, hunc qui sequitur tenorem de verbo in verbum continentes.

SIXTUS Episcopus servus servorum Dei Dilectis Filiis, Abbati in Blaburren & Sancti Martini in Sindelfingen, per Præpositum soliti gubernari Monasteriorum ac Ecclesiæ, in Herremberg, Præpositis Cõstantien. Diocesis. Salutem & Apostolicam benedictionem. Copiosus in misericordia Dominus, & in cunctis suis gloriosus operibus, à quo omnia dona defluunt ad hoc nobis. Licèt in sufficientibus meritis suæ sponsæ universalis Ecclesiæ regimen committere, & nostræ debilitati jugum Apostolicæ servitutis imponere voluit. Ut tanquam de summo vertice montis ad infima reflectentes intuitum, quod pro hujusmodi illustranda Ecclesia ad fidei propagationem conferat orthodoxæ. Quod statui quorumlibet fidelium conveniat, prospiciamus attentius. & qualiter à fidelibus ipsis profugatis ignorantiæ tenebris: illi per donum sapientiæ in viâ mandatorum, ac domo Domini conversari debeant, sollertius attendamus, eas ad quærendum literarum studia, per quæ militantis Ecclesiæ Resp. geritur, divini nominis, ac ejusdem fidei cultus protenditur, omnísque prosperitatis humanæ conditio augetur, nostræ sollicitudinis ope, Apostolicisque favoribus propensius excitemus. Sanè pro

nè pro parte Dilecti filii nobilis Viri, Eberhardi Comitis in Würtemberg, & Montispeligardi, nobis nuper exhibita petitio cõtinebat. Quod in Civitatibus, Oppidis, & locis suo, ac dilecti Filii nobilis Viri Ulrici etiam Comitis in Würtemberg & Montispeligardi temporali Dominio subjectis, quorum territoria longè latéque ampla existunt, & incolarum multitudine ac fructuum ubertate abundant, non est aliqua universitas studii generalis, ad quam civitatum, terrarum, oppidorum & locorum hujusmodi, & aliorum circumviciniorum locorum incolæ volentes in scientiis proficere ad studẽdum & ad discendum cõmodè se transferre valeant. Quódque si in oppido Tübingen Constantiensis Diocesis, Provinciæ Moguntinensis: loco insigni & commodis habitationibus pleno, in quo victualium omnium maxima copia habetur ejus temporali Dominio sub ecto. Propè quod infra duas dietas vulgares, non est aliqua universitas studii generalis, erigetur una Universitas ipsius studii generalis cujuscunque facultatis & scientiæ, eidémque Universitati. Sic postmodum erectæ pro faciliori supportatione onerum & expensarum ejusdem, præsertim salariorum illorum, qui Cathedras pro tempore inibi regent: Sancti Johannis Baptistæ in Brackhenhein, & Sanctorum Philippi & Jacobi in Stetten, ac in Asch, nec nõ Ringingen, & Eningen. Wormacienſis & prædictæ Constantiensis diocesis Parrochiales Ecclesiæ, quæ de jure Patronatus, Comitis de Werttemberg pro tempore existentis, fore noscuntur, reservata congrua portione pro perpetuis Vicariis, ad præsentationem dictæ Universitatis instituendis perpetuò unirentur, annecterentur, & incorporentur, ac in Ecclesia Sancti Martini in Sindelfingen dictæ Constantien. dioces. quam nuper in Collegiatam ac illius præposituram dignitatem inibi Principalem, & octo Canonicatus, & totidem præbendas ad Parrochialem S. Georgii dicti oppidi Tübingen transferri, & S. Georgii in Collegiatam, cum dicta præpositura & octo Canonicatus & totidem præbendis. Sancti Martini verò Ecclesiam prædictam in Monasterium ordinis S. Augustini erigi mandavimus, duo Canonicatus & totidem præbendæ, postquam erecti fuerint, supprimerentur & extinguerentur, illarúmque fructus, reditus & proventus pro dote quatuor inibi aliorum Canonicatuum, & totidẽ præbendarum de novo erigendarum æquis portionibus applicarentur, & assignarentur, ac per nos statueretur, & ordinaretur, quo ad hujusmodi decem Canonicatus & totidem præbendas, qui de dicto jure patronatus existunt, cum prima vice eos vacare contigerit, & deinde perpetuis futuris temporibus successivè Viri Ecclesiastici, ad regendas decem Cathedras in eadem Vniversitate studii erigendi idonei & docti, videlicet quatuor magistri in artibus: quibus dicta quatuor de novo erigen-

dæ præbendæ assignarentur,& in eisdem artibus legerent & regerent, per dictum Comitem seu dilectam in Christo filiam Mechtildem,illius genetricem,ad quam ratione dotis suæ in præsentiarũ præsentatio personarum idonearum,ad Canonicatus & Præbendas prædictos, cum pro tempore vacãt,ut asseritur pertinet, & eorum successores in jure patronatus prædicto,præsentari,& ad præsentationem hujusmodi institui deberent,exindè prædictis,& aliorum prædictorum locorum circumvicinorum incolis,& habitatoribus volentibus in scientia proficere,magna commoditas studendi pararetur,& eorundem studentium postmodum doctrina & scientia in Civitatum, terrarum, & locorum prædictorum regimen, fideique Catholicæ propugnationem quàm plurimi fructus provenirent. Quare pro parte dicti Eberhardi Comitis, nobis fuit humiliter supplicatum,ut in præfato oppido Tübingen studium generale quarumcunque facultatum erigere, ac eidem sic erecto, Parrochiales Ecclesias præfatas perpetuo unire, annectere & incorporare: nec non duos Canonicatus & totidem Præbendas ejusdem Ecclesiæ, si opus fuerit,supprimere,ac quatuor alios Canonicatus,& totidem præbendas ibidem de novo erigere,illisque sic erectis pro eorum dote fructus,redditus & proventus,dictorum supprimendorum Canonicatuum,& præbendarum æquis portionibus applicare & assignare: & quod ad Canonicatus & præbendas prædictos, videlicet de novo erigendos, quatuor Magistri in artibus, ad alios vero alii Viri docti & idonei, qui omnes in prædicta Ecclesia modo infra scripto residentiam facere teneantur, ad regendas cathedras prædictas, ut præfertur, & non alii præsentari debeant statuere & ordinare,ac alias in præmissis oportunè providere, de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur qui dudum inter alia voluimus & ordinavimus, Quod petentes beneficia Ecclesiastica, aliis uniri tenerentur,exprimere verum valorem tã beneficii uniendi,quàm illius cui uniri peteretur,alioquin unio non valeret. Attendentes quod ex literarum studio, animarum saluti consulitur : insurgentes controversiæ deciduntur: Pax & tranquillitas inter mortales procurantur: licitum ab illicito discernitur,bonis præmia, & reprobis supplicia dispẽsantur,& alia tam publica quam privata,spiritualia & temporalia commoda mundo proveniunt. Universitatis prædictæ fructuum,redditũ, & proventuum, verum valorem annuum præsentibus pro expresso habentes. Et ejusdem Comitis laudabile propositum hujusmodi, plurimum in Domino commendantes : hujusmodi supplicationibus inclinati,discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel duo aut unus vestrum, si prædicta vera compereritis in præfato oppido Tübingen/perpetuis futuris temporibus generale studium cujuscunque

cunque facultatis & scientiæ licitæ, authoritate nostra erigatis, & in illo Cathedras quarumcunque facultatum, nec non Rectoriæ, & alia pro illius prospero & felici regimine, necessaria officia dicta authoritate instituatis, & quæ præterea utilia & oportuna fore cognoveritis: Constitutiones & statuta eadem auctoritate ordinetis, nec non dictas parrochiales Ecclesias quarum omnium fructus, redditus & proventus quinquaginta duarum Marcarum Argenti, secundum communem æstimationem valorem annuum, ut afferitur, non excedunt, reservata tamen congrua portione pro perpetuis Vicariis, in illis ad præsentationem Vniversitatis dicti studii instituendis, de qua se sustentare, Episcopalia jura solvere, & alia eis incumbentia onera perferre commodè possint, eidem Mense Vniversitatis prædictæ, Ita quod cedentibus vel decedentibus ipsarum Parrochialium Ecclesiarum Rectoribus, seu alias Parrochiales Ecclesias prædictas quomodolibet dimittentibus, liceat ex tunc eidem Vniversitati per se vel alium, seu alios corporalem parrochialium Ecclesiarum, juriúmque & pertinentiarum prædictorum possessionem propria authoritate liberè apprehendere, & de earundem parrochialiũ Ecclesiarum fructus, redditus & proventus in dicti studii usus, & utilitatem, ac inibi legentium doctorum salaria convertere & perpetuo retinere. Diocesani loci, & cujusvis alterius licentia super hoc minimè requisita, præfata authoritate uniatis, incorporetis, & annectatis. Nec non duos Canonicatus & totidem præbendas in dicta Ecclesia S. Georgii eadem authoritate supprimatis & extinguatis, ac ibidem quatuor alios Canonicatus & quatuor præbendas de novo erigatis, & pro illorum sic erigendorum dote fructus, redditus & proventus dictorum supprimendo cum Canonicatuum & præbendarum æquis portionibus applicetis & assignetis. Sic quod ad Canonicatus & præbendas prædictos, quotiés illos perpetuis futuris temporibus vacare contigerit, videlicet ad quatuor de novo erigendos, quatuor Magistri in artibus, qui in eisdem artibus actu legant & regant, Ad alios verò Canonicatus & præbendas prædictos, alii viri Ecclesiastici docti, & idonei ad regendas decem ex hujusmodi Cathedris in eodem studio perpetuo per dictũ Comitem in Wertemberg, & ejusdem Comitis successores in jure patronatus prædicto præsentari & ad præsentationes hujusmodi in Canonicos dictæ Ecclesiæ instituti, & instituti cathedras ipsas regere teneãtur & debeãt. Quodque si ex modernis Canonicis hujusmodi aliqui reperirentur ad legendum & regendum ibidem sufficientes & idonei, & onus hujusmodi assumere voluerint, ad illud deputentur prælibata auctoritate statuatis & ordinetis. Ac obtinentibus pro tempore dictos Canonicatus & præbendas, cathedrásq; actu regentibus in Vniversitate prædicta, ut quamdiu

cathedras ipsas rexerint divinis in dicta Ecclesia S. Georgii, in qua sunt duodecim perpetui Vicarii, divina officia ibidem continuè celebrantes, & illis insistentes ratione Canonicatuum & præbendarum dictorum interesse non teneantur, nisi quatenus interesse tenentur divinis in Ecclesia Sancti Spiritus Heidelbergen. Wormacien. Dioecesis, ipsius Ecclesia Sancti Spiritus Canonici Cathedras regentes in Universitate studii Heidelbergensis, absque eo quod in dicta Ecclesia S. Georgii divinis interfint seu insistant eorundem Canonicatuum & præbendarum fructus, redditus, & proventus etiam pro tribus primis annis, pro quibus novi Canonici juxta ipsius Ecclesiæ in Sindelfingen statuta jurata illos non percipiunt, sed partim defuncto Canonico, partim fabricæ cedunt, cum ea integritate quotidianis distributionibus duntaxat exceptis, percipere possint & debeant, cum qua illos perciperent si in ipsa Ecclesia S. Georgii divinis interessent, nec ad interessendum divinis in dicta Ecclesia S. Georgii alias teneantur, aut ad id inviti coarctari valeant, nisi quatenus in Ecclesia S. S. Heidelbergen. eadem auctoritate concedatis, faciatisque eis hujusmodi eorundem decem Canonicatuum & præbendarum fructus, redditus, proventus & emolumenta quæcunque quæ interesse divinis in eadem Ecclesia perciperent integrè ministrari. Non permittentes eos per venerabilem fratrem nostrum Episcopum Constantien. & dilectos filios dictæ Ecclesiæ S. Georgii capitulum, seu quoscunque alios ad interessendum in ipsa Ecclesia, compelli, aut aliàs contra hujusmodi concessionis, si illam feceritis tenorem quomodolibet molestari. Et nihilominùs si ad effectum præmissorum obtinentes parochiales Ecclesias prædictas illas resignare voluerint, resignationes hujusmodi præfata authoritate recipiatis & admittatis, eisque per vos receptis & admissis eisdem resignantibus, ne ex resignationibus hujusmodi nimium dispendium patiantur, pensiones annuas de quibus cum eis concordari poterit, super fructibus, redditibus & proventibus parochialium Ecclesiarum resignatarum hujusmodi eisdem resignantibus, quoad vixerint, vel procuratoribus eorum sub pœnis & censuris ecclesiasticis, ac in terminis & locis, per nos statuendis integrè persolvendas, aut parochialium Ecclesiarum, quas resignaverint fructus, redditus & proventus, in toto vel in parte cum libera facultate illos etiam propria auctoritate percipiendi aut levandi dicta auctoritate reservetis, constituatis & assignetis facientes pensiones hujusmodi, juxta reservationis, constitutionis & assignationis earundem, si eas fieri contigerit, tenorem efficaciter persolvi, & non permittentes eosdem resignantes, quo minùs pensiones seu fructus hujusmodi percipiant per quoscunq; impediri. Contradictores auctoritate nostra appellatione postposita cõpescen-

pescendo. Non obstantibus priori voluntate nostra prædicta ac felicis recordationis Bonifacii Papæ octavi, prædecessoris nostri per quem hujusmodi concessiones de fructibus in absentia percipiendis, sine præfinitione temporis fieri prohibentur,& aliis Apostolicis ac in provincialibus etiam Synodalibus Conciliis æditis generalibus vel specialibus constitutionibus & ordinationibus, nec non dictæ Ecclesiæ S. Georgii juramento confirmatione apostolica,vel quavis alia firmitate roboratis, statutis & consuetudinibus contrariis quibuscunque. Etiam si per ipsos decem Canonicatus & præbendas pro tempore obtinentes, de illis servandis & non impetrandis literis contra illa,& illis impetratis, seu aliâs quovis modo concessis,non utendo præstare contingeret juramentum, Aut si primam non fecerint in eadem Ecclesia S. Georgii residentiam consuetam,seu si Episcopo præfato à sede Apostolica sit concessum, vel in posterum concedi contingat, quod Canonicos Ecclesiarum suarum civitatis & dioces. per subtractionem proventuũ suorum Canonicatuũ & præbendarum compellere valeant ad residendum personaliter in eisdem. Seu si Episcopo & Capitulo præfatis, communiter vel divisim à dicta sit sede indultum,vel in posterum indulgeri contingat, quod Canonicis & personis suarum Ecclesiarum non residentibus personaliter in eisdem fructus,redditus & proventus suorum Canonicatuum & præbendarum ministrare in absentia minimè teneantur, & ad id compelli, aut quod interdici,suspendi vel excommunicari non possint per Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de hujusmodi vel aliis beneficiis Ecclesiasticis in illis partibus speciales vel generales, Apostolicæ sedis vel Legatorum ejus literas impetrârint. Etiam si per eas ad inhibitionem,reservationem & decretum, vel aliâs quomodolibet sit processum. Quas quidem literas & processus habitos per easdem,ac indè secuta quæcunque ad parrochiales Ecclesias hujusmodi volumus non extendi,sed nullum per hoc eis,quo ad assecutionem beneficiorum aliorum præjudicium generari, Et quibuslibet aliis privilegiis indulgentiis & literis Apostolicis generalibus vel specialibus quorumcunque tenorum existant,perque præsentibus non expressa,vel totaliter non inserta effectus eorum impediri valeat, quomodolibet,vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit,in nostris literis mentio specialis. Proviso quod propter unionem annexionem & incorporationem hujusmodi si fiant, & effectum sortiantur parrochiales Ecclesiæ prædictæ debitis non fraudentur obsequiis,& animarum cura in eis nullatenus negligatur, sed earum debitè supportentur onera consueta. Attentè quoque provideatis,ne in resignationibus hu-

bus, hujusmodi si fiant ex parte Rectorum dictarum parrochialium Ecclesiarum & Universitatis prædictorum aliqua pravitas interveniat, seu etiam corruptela. Hos etiam si erectionem, unionem, annexionem, & incorporationem, ac alia præmissa vigore præsentium fieri contigerit, ut præfertur, pro tempore existente præpositum dictæ Ecclesiæ S. Georgii, ejusdem studii Cancellarium perpetuis futuris temporibus Apostolica authoritate facimus, creamus, constituimus & deputamus, ac illos quos primo diligenti examine & servatis servandis idonei reperti fuerint ad Baccalaureatus licentiæ, Magisterii, & Doctoratus aliosque gradus quoscunque in Theologia, utroque Jure, artibus quoque & Medicina, cum solita insignium exhibitione, servata tamen constitutione Viennens. Concilii, super hoc ædita in Universitate prædicta duntaxat promovendi, & eis sic promotis, ut cathedras regere, legere, docere, & alios actus pertinentes ad gradus, ad quos promoti fuerint, facere possint & valeant concedendi, & generaliter omnia alia & singula, quæ Archidiaconus Ecclesiæ Bononiensis in Universitate studii Bononiens. facere & exercere quomodolibet potest ex Apostolica confessione, statuto vel consuetudine faciendi, exercendi, præsentium tenore, authoritate Apostolica concedimus facultatem, ac volumus & Universitati ejusdem sic erigendi studii, nec non illius pro tempore Rectori, ac Doctoribus, Scholaribus & personis, qui pro tempore erunt, ac illis quos ad gradus quoscunque imbi promoveri contigerit, ut omnibus & singulis privilegiis, immunitatibus, gratiis, favoribus, exemptionibus, concessionibus, & indultis, tàm de jure communi, quàm ex concessionibus Apostolicis & Imperialibus, aut alias quomodolibet in genere vel in specie quibuscunque aliorum quorumcunque studiorum generalium, Universitatibus & illarum Rectoribus, Doctoribus, Scholaribus, & Personis, ac promotis pro tempore in eisdem concessis & concedendis, & quibus illi potiuntur & gaudent, ac uti & gaudere poterunt, quomodolibet in futurum uti potiri & gaudere possint & debeant in omnibus & per omnia, perindè ac si illa eisdem Universitati erigendi studii & illius Rectori, Doctoribus, Scholaribus & personis in illa pro tempore promotis specialiter & nominatim concessa forent, authoritate Apostolica tenore præsentium indulgemus. Et insuper ex nunc irritum decernimus, & inane, si secus super his à quoquam quavis authoritate scienter vel ignoranter cõtigerit attemptari. Datum Romæ apud S. Petrum, Anno incarnationis Dominicæ Millesimo Quadringentesimo Septuagesimo sexto Idibus Novembris Pontificatus nostri Anno sexto.

Post quarum quidem literarum Apostolicarum præsentationem, acceptionem & diligentem inspectionem pro parte præfati Domini, Comi-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 3, [194] - 192

Comitis Eberhardi, ut prefertur principaliter in eisdem nominati, quatenus ad earum & in eis contentorum, nobisque commissorum, debitã executionem juxta traditam nobis inibi formam procedere dignaremur, debita extitimus precum instantia requisiti. Nos verò Heinricus Abbas, executor & commissarius prædictus superiorum nostrorum & potissimè Apostolicis mandatis reverenter, sicut tenemur, obedire, cautéque & ritè in commissi nobis negotii executione procedere nolentes, ut nulli interesse habenti vel prætédenti in suo videremur jure præjudicare, omnes & singulos cujuscunque dignitatis, gradus, status vel præeminentiæ fuerint, sua communiter vel divisim hac in parte interesse putantes, in genere vel in specie, ad comparendum coram nobis in loco ad hoc deputato. Et ad videndum & audiendum nos de expositis, narratis, & contentis in dictis literis Apostolicis, eorúmque circumstantiis singulis diligenter informari. Et hujusmodi informatione accepta & habita, veritatéque narratorum hujusmodi quantum sufficere videretur comperta: deindè ad executionem Apostolicæ commissionis servata forma nobis tradita, ritè per nos procedi, vel ad dicendum & allegandum quicquid in contrarium eorum rationabiliter dicere, proponere, & allegare vellent ac valerent, in locis quibus videbatur expedire per præsentes nostras literas citari & vocari fecimus, atq; citavimus. In certum terminum competentem peremptorium, cum certificatione, quod eis vel alio legitimo oppositore & contradictore non comparente, aut comparente, nil tamen rationabilis in contrarium præmissorum dicente aut allegante, Nos nihilominus ad debitam executionem dicti nobis commissi negotii, servatis servandis procul dubio procedere non obmitteremus. Citatorum absentia seu contumacia in aliquo non obstante. In quo quidem citationis termino citatione ipsa ritè & legitimè executa unà cum executione debita à tergo seriatim notata, coram nobis pro parte memorati Domini Comitis Eberhardi realiter producta, atque citatorum non comparentium contumacia accusata, Nos meritò eosdem prout debuimus, reputavimus cõtumaces, nullo prorsus aliàs contradictore apparente legitimo vel oppositore. Cæterum quatenus amplius ad executionem hujusmodi commissionis nobis factæ, juxta illius vim, formam & tenorem ritè procederemus, debita sumus instantia requisiti. Nos itaque judex & commissarius sæpè dictus, vigore clausulæ supradictæ de veritate narratorum in præinsertis literis Apostolicis deductorum, sollerti nostra, super hiis inquisitione prævia, testimoniis fide dignis sufficienter informati atque edocti: ad hujusmodi nobis commissorum executionem & expeditionem debitas duximus procedendum, & processimus, negotiúmq; ipsum nostris pro-

nunciatione, decreto & declaratione, de jurisperitorum consilio & assensu in scriptis terminavimus in hunc, qui subscriptus est, modum.

CHRISTI NOMINE INVOCATO. Quia visis, diligentérq; perpensis, coram nobis in præsenti negotio deductis narratorum in supra inserta commissione Apostolica, veritatem comperimus indubitatam. Idcircò ad hujusmodi nobis hac in parte commissorum debitam executionem humiliter procedere volentes, sicuti tenemur, de Jurisperitorum consilio, nobis super hoc communicato, authoritate Apostolica decernimus, declaramus & in his scriptis pronunciamus, in oppido Tübingen, in præinsertis literis Apostolicis nominato, perpetuis futuris temporibus generale studium cujuscunque facultatis & scientiæ licitæ erigi posse & debere, atque eadem auctoritate erigimus. Et in illo cathedras quarumcunque facultatum, nec non Rectoriæ & alia pro illius prospero & felici regimine necessaria officia instituimus, ac constitutiones & statuta melius visa expedire ædenda esse decernimus. Ecclesias denique parrochiales S. Johannis Baptistæ in Brackenheim: Sanctorum Philippi & Jacobi in Stetten. Wormatien. ac in Asch, nec non Ringingen, & Eningen Constantien. Dioceſum cum omnibus suis juribus & pertinentiis præfatæ sic in Tübingen erectæ Universitati pro faciliori onerum & expensarum ejusdem, præsertim salariorum illorum, qui cathedras pro tempore inibi regunt, supportatione, quorum interest, accurrente consensu, ac præsentium tenore in Dei nomine unimus, annectimus & incorporamus. Earúmque omnium & singularum fructus, redditus & proventus memoratæ Universitati, & in illa regentibus & legentibus perpetuo approbamus, volentes & præsentibus statuentes: Quod cedentibus vel decedentibus ipsarum parrochialium Ecclesiarum Rectoribus, seu alias illas Ecclesias quomodolibet dimittentibus, liceat ex tunc eidem Universitati per se, vel aliū, seu alios, corporalem parrochialium Ecclesiarum, juriúmque & pertinentiarum earundem possessionem propriâ authoritate liberè apprehendere, & ipsarum parrochialium Ecclesiarum fructus, redditus & proventus, in dictæ Universitatis usus & utilitatem convertere, & perpetuo retinere Dioceſani loci, & cujusvis alterius licentia super hoc minimè requisita. Ut autem prædictæ parrochiales Ecclesiæ debitis non fraudentur obsequiis, & animarum cura in illis non negligatur, reservari & assignari volumus, ac potenter authoritate Apostolica resignamus & assignamus Vicariis perpetuis, pro tempore dictarum Ecclesiarum juxta cujusvis Ecclesiæ habitudines & circumstantias, portionem congruam, undè se sustentare, jura Episcopalia solvere, & alia sibi ratione illius Ecclesiæ incumbentia onera cōmodè supportare queant, & eorum quilibet queat

atque

atque possit. Quod inter octo Canonicatus & præbendas, quos ptidem dicta auctoritate de Ecclesia S. Martini in Sindelfingen, in Ecclesiam parrochialem S. Georgii in supra tactum oppidum Tübingen transtulimus, duo Canonicatus & totidem præbendæ in eadem Ecclesia parrochiali supprimendi sint & extinguendi, quos ut sic dum illos vacare quomodolibet contigerit, pro nunc prout ex tunc, & ex tunc prout ex nunc extinguimus & supprimimus, & ex hiis quatuor alios canonicatus, & quatuor præbendas de novo erigimus, ac pro illorum, ut sic erigendorum Canonicatuum & præbendarum, dote, fructus, redditus & proventus dictorum suppressorum Canonicatuum & præbendarum æquis portionibus applicamus & assignamus, sic quod ad Canonicatus & præbendas prædictos quotiens illos perpetuis futuris temporibus vacare contigerit. Videlicet ad quatuor de novo erigendos, ac quomodolibet erectos, quatuor Magistri in artibus, qui in eisdem artibus actu legant & regant, Ad alios verò sex Canonicatus & præbendas prædictos alii viri Ecclesiastici. Docti & idonei ad regendas decem ex hujusmodi cathedris in eodem studio per illustram Dominam Mechtildem Archiducissam Austriæ, &c ratione dotis suæ, quoad vixerit, & deinde perpetuo, per dictum Dominum Comitem in Würtemberg, & illius successores in jure patronatus prædicto præsentari, & ad præsentationem hujusmodi in Canonicos dictæ Ecclesiæ institui, & instituti cathedras ipsas regere teneantur, & debeant, ac obtinentibus pro tempore dictos Canonicatus & præbendas, cathedrásque actu regentibus in Universitate prædicta, ut quàm diu cathedras ipsas rexerint, divinis in dicta Ecclesia S. Georgii in qua sunt duodecim perpetui Vicarii deputati, divina officia ibidem celebrantes, & illis insistentes ratione Canonicatuum & præbendarum prædictorum interesse non teneantur, nisi quatenus interesse tenentur divinis in Ecclesia S. S. Heidelbergensis, Wormatiens. diocesis, ipsius Ecclesiæ S. Spiritus Canonici cathedras regentes in Universitate studii Heidelbergens. absque eo quod in dicta Ecclesia S. Georgii divinis intersint, seu insistant eorundem Canonicatuum & præbendarum fructus, redditus & proventus, etiam pro tribus primis Annis, pro quibus novi Canonici juxta ipsius Ecclesiæ in Sindelfingen statuta jurata, illos non percipiunt, sed partim defuncto Canonico, partim Fabricæ cedunt, cum ea integritate quotidianis distributionibus, duntaxat exceptis, percipere possint & debeant, atque percipiant, cum qua illos perciperent, si in ipsa Ecclesia S. Georgii divinis interessent, nec ad interessendum divinis in dicta Ecclesia S. Georgii aliàs teneantur, aut ad id inviti coarctari valeat, nisi quatenus in Ecclesiâ S. Spiritus Heidelbergens. eâdem authoritate concedimus. Volentes & statuentes eis hujusmodi

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 3, [197] - 195

ſuorum decem Canonicatuum & præbendarum fructus, redditus & proventus, ac emolumenta quæcunque, quæ ſi intereſſent divinis in eâdem Eccleſiâ perciperent, integrè miniſtrari debere, ordinaria & cujusvis alterius moleſtatione in hiis & cauſa ea ceſſante & ſemota. Et nihilominus ſi ad effectum præmiſſorum reſignationes parrochialium Eccleſiarum prædictarum in favorem unionis, annexionis & incorporationis, de quibus in Apoſtolicis literis mentionatur, juxta & ſecundum earundem vim, formam, & tenorem factæ fuerint, ac per nos acceptæ & admiſſæ, unionem, annexionem & incorporationem hujuſmodi effectũ ſortitas eſſe, in robore debito exiſtere ſcilicet authoritate Apoſtolica nobis commiſſa ex nunc pro ut ex tũc declaramus. Atq; cuilibet reſignantium earundem penſionem annuam, de qua concordatum fuerit ſuper fructibus, redditibus & proventibus parrochialium Eccleſiarum reſignatarum hujuſmodi quoad vixerit, vel illius legitimo procuratori ſub pœnis & cenſuris Eccleſiaſticis, ac in terminis & locis ſtatuendis integrè perſolvendum pari authoritate reſervamus, conſtituimus, & aſſignamus. Volentes penſionem & penſiones hujuſmodi juxta reſervationis & aſſignationis earundem ſi eas fieri contigerit, tenorem efficaciter perſolvi. Reſervatis deſuper mandatis & proceſſibus in contradictores dicta authoritate Apoſtolica fulminandis ſuper quibus diſponendi, ordinandi, faciendi & exequendi, ſi & pro ut temporis tractu videbitur oportunum, & expedire nobis poteſtatem omnimodam, plenámque facultatem ex nunc ſalvamus & retinemus. Reſervantes etiam nobis & reſervata eſſe volentes omnia & ſingula aliàs in præinſertis literis Apoſtolicis nobis quomodolibet conceſſa, Et præſertim facultatem nobis ſtatuendi & ſtatuta faciendi datam & conceſſam, de quibus cum & ubi oportunum viſum fuerit, præſtante Domino ſępè dicta authoritate executionem debitam faciemus. Non obſtante in præmiſſis omnibus & ſingulis, quæ ſupra dictus Dominus noſter Papa hac in parte ſuis literis voluit non obſtare. Adhibitis & ſervatis in hiis & circa ea ſollennitatibus & cautelis de jure in talibus obſervari conſuetis & adhibendis. Decernentes, prout dictus Dominus noſter Papa decrevit, irritum & inane, ſi ſecus ſuper hiis à quoque quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attemptari. In quorum omnium & ſingulorum fidem & teſtimonium præmiſſorum præſentes literas, ſive præſens publicum Inſtrumentum hujuſmodi noſtram ſententiam & decretum, aliáque præmiſſa in ſe continens exinde fieri ut per Notarios publicos, ſcribasque noſtros infra notatos, ſubſcribi & publicari; ac ſigilli noſtri Abbatialis juſſimus & fecimus appenſione communiri. Lecta, lata & in ſcriptis promulgata fuit hæc noſtra ſententia, ſive noſtrum decretum, in

Oppido

Oppido Urach, Anno Domini Millesimo quadringentesimo septuagesimo septimo. Pontificatus sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri, Domini Sixti, divina providentia Papæ quarti, prædicti, Indictione decima, die vero Martis Mensis Martii, undecima hora ferè meridiei. Præsentibus tunc ibidem Venerabilibus & Religiosis, honorabilibúsq; Viris, ac Patribus, Domino Bernhardo Abbate in Bebenhausen, Cisterstien. Domino Alberchto, Priore Domus Bonilapidis Cartusien. ordinũ. Nec non Dominis Johanne Degen, Præposito, M. Conrado Menckler de Mönchingen, Sacræ Theologiæ, M. Johanne Heckbach. in Sindelfingen Canonicis. Johanne & Ludovico Vergenhans fratribus, Ecclesiarum parrochialium in Brackenheim & Kircheim Tegk. Wormacien. & Constan. dioceſis. Rectoribus, Luca Spetzhard, Artium & Medicinæ, ac super Illustris Principis, & Dominæ, Dominæ Mechtildis, Archiducissæ Austriæ &c. Physico, Doctoribus, M. Johanne Tefener professo Monasterii nostri Blabürren, Sacræ Theologiæ Baccalario formato, M. Georgio Schriber, Rectore Ecclesiæ in Asch, Jodoco Meder, de Wyla Civitate Imperiali, & Conrado Woldan, de Teffingen. Capellanis in Sindelfingen, nec non strenuo & valido Domino, Johanne Späth, de Estetten Milite. Laico. Constantien. dioces. prædictæ, testibus ad præmissa vocatis, rogatis, & debita precum instantia requisitis.

Et Ego Mathias Horn de Eltingen Clericus Spiren. dioces. sacra Imperiali authoritate Notarius publicus, Protonotarius Oppidi Urach, ac Commissarius Curiæ Constantien. causarum matrimonialium in & circa oppidum præfatum generalis, juratus. Quia dictarum literarum Apostolicarum præsentationi, acceptioni, citationis emittendæ, decreto, & reproductioni ejusdem, contumaciæ absentium accusationi, conclusioni, pronunciationi, omnibúsque aliis & singulis, dum sicuti præmittitur, fierent & agerentur unà cum Domino Notario & Testibus sub & præscriptis præsens fui, illa sic fieri videndo & audiendo. Idcircò hoc præsens publicum decreti Instrumentum, ad ipsius executoris, & Domini Commissarii præscripti mãdatum adjutorio Domini, Gregorii Maij, Notarii subscripti, de præmissis contextum, & in hanc publicam formam redactum, manu mea propria exaravi, signóq; & nomine meis solitis & consuetis signavi, & roboravi, in fidem & testimonium omniũ & singulorum præmissorum, ad hoc vocatus, rogatus pariter & requisitus.

Ego quoque Gregorius Maij de Tuvvingen Clericus Constan. dien. dioces. sacrâ Imperiali authoritate Notarius publicus, & Curiæ Cõstantien. causarum matrimonialium Commissarius generalis. Quia supra insertarum literarum Apostolicarum, porrectioni, acceptioni, citatio-

nis emittendæ, decreto, ac reproductioni ejusdem, contumaciæ absentium accusationi, conclusioni, pronunciationi, aliisque omnibus & singulis, dum sicut præscriptum est fierent, unà cum prædictis testibus, & Notario ad hæc correquisito præsens fui, ea sic fieri videndo & audiendo. Quamobrem hoc præsens publicum decreti Instrumentum, post ipsius Domini Commissarii mandatum coadjuvante Domino Mathia Horn, Notario memorato, manu ejusdem scriptum exinde confeci, & in hanc formam publicam redegi. Signóque & nomine meis solitis signavi & communivi in robur & fidem omnium & singulorum præmissorum rogatus & debitè requisitus.

FACULTAS IMPERIALIS DE legendis & audiendis legibus.

1484.

FRIDERICUS divinâ favente clementiâ, Romanor. Imperator semper Augustus, Hungariæ, Dalmatiæ, &c. Rex, ac Austriæ, Stiriæ, Karnthiæ & Carniolæ Dux, Dominus Marchiæ, Sclavoniæ ac portus naonis, Comes in Habspurg, Tyrolis, Pherretis & in Kyburg. Marchio Burgoviæ & Landgravius Alsatiæ ad perpetuam rei memoriam. Notũ facimus, tenore præsentium universis, & si inter varias Reip. curas, quibus pro debito Imperialis culminis, ad quod divinâ clemẽtiâ evecti sumus, diurnâ sollicitudine, saluti & quieti subditorum invigilemus, minùs quoque distrahamur negotiis, quò eorum, qui Remp. nostram crebris bellorum impulsibus fatigare non quiescunt, contundamus audaciam, ad ea tamen præcipuè mentis nostræ apicem dirigimus, & sedulũ destinamus affectũ, qualiter præcessorum nostrorũ divæ memoriæ Romanorũ Imperatorũ leges & constitutiones sacræ, multis vigiliis & lucubrationibus editæ, subditorũ nostrorũ auribus magis ac magis inbibantur, qui solo earũ usu remp. nostrã, nedum conservari, sed & plurimùm augeri videmus. hiis enim imperialis Celsitudo fulcita effrænes subditorũ suorũ animos cohærcens, solium Imperiale firmare ac sistere potest, quò utrumq; tempus & pacis & belli suis finibus subnixũ aptè gubernet. Hinc est, cum Nobilis ac Generosus Noster ac sacri Imperii fidelis, dilectus Eberhardus senior, Comes de Würtemberg & Monte Beliardo, affinis noster, nuper in oppido suo Tübing nobis ac dicto Imperio subjecto pro laude Dei omnipotentis, ac suorum subditorum incremento scolas generales, in quibus, artium Medicinæ, Juris Pontificii ac sacrarum literarum publicè traderentur documenta, & quibusvis in

ea pa-

ea palæstra certãtibus Sanctissimo Domino nostro, Domino Sixto Papa IV. auctorante digna laborum suorum præmia tribuerentur, erexisset, Nos itaque Præfati Comitis institutionem ne dum suis, sed & omnibus Imperii sacri fidelibus utilem ac fructuosam, considerantes quoq; præfatas scolas diversis literarum documentis illustrare cupientes, quo scolarium multitudo se idem confluens habundius se locupletatam jocundetur: de liberalitatis nostræ munificentia ac Imperialis auctoritatis & potestatis plenitudine ex certa sciẽtia, sano Principum, Baronum, Procerum, Nobilium & fidelium nostrorum accedente consilio, dicto Comiti & suis hæredibus & successoribus præsẽtiũ tenore gratiosus de novo concedimus, ut ex nunc & inantea perpetuis futuris temporibus omnes & singulas Imperiales leges, constitutiones, & quæcunque alia jura, ubicunque & à quibuscunque edicta aut promulgata, quibus sacræ memoriæ præcessores nostri Romani Imperatores jus auctoritatemque dederunt, in præfatis eorum Scolis per idoneas personas publicè legi ac exerceri &, ipsarum auditores dignis honoribus & gradibus in eisdẽ sublimari faciant. Decernentes & hoc imperiali volentes edicto ut quicunque cujuscunque status gradus præeminentiæ nationis aut linguæ fuerint, dummodo . . . . . obstiterit, ad locum præfatum confluxerint, dictas Imperiales leges docere, audire, in eisdem ad gradus solitos & consuetos promoveri ac sublimari, nec non omnibus & singulis titulis, dignitatibus, præeminentiis, honoribus, prærogativis, ac aliis Juribus & immunitatibus quibuscunque uti, frui & gaudere valeant, quemadmodum reliqui legum Imperialium doctores & scolares per alias scolas ubivis in sacro Romano Imperio consistentes de jure vel consuetudine utuntur, & gaudent in contrarium faciẽtes non obstãtibus quibuscũq;, quibus per præsentes expressè volumus esse derogatum. Nulli ergo omnino homini liceat hanc nostræ concessionis decreti voluntatis & derogationis paginam infringere, aut ei ausu temerario quoquo modo contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem nostram gravissimam & pœnam centum librarum auri puri, quarũ unam fisco nostro Imperiali, reliquam vero medietatem injuriã passorum usibus applicari volumus, se noverit irremissibiliter incursurum . . . . sub nostri Imperialis Majestatis Sigilli appensioni testimonio Literarum. Datum in oppido nostro Gretz, 20. die Mensis Febr. Anno 1484. Regnorum nostrorum Romani quadragesimo quarto, Imperii tricesimo secundo, Hungariæ vicesimo quinto.

IV. Regalibus item majestatis associatur, potestas faciendi Tabelliones. Dn. D. Bocer. 2. *de Regal. num.* 161. Quam facultatem ex speciali Pri-

li Privilegio Imperatoris, Comites quoque sacri Palatii nunc habent. Vide Paurmeistet. *2. de Iurisdict. cap. penult. num.* 19. (& Ottho IV. dedit Episcopo Spirensi. Lehman. *lib. 5. cap.* 78.) Undè patescit, ipsam etiam creationem Comitum Palatinorum, ad jura majestatis pertinere. Lancellot. *templ. Iudic. 1. cap.* 1 §. 4. *fol.* 364. de quibus Reinkingk. 1. *class.* 4. *cap.* 13. Arumæus, *vol. 3. discurs. 3.* Principes, aliique Imperii status, etiam jure Notarios creandi gaudere videntur. Quemadmodum in Ducatu Würtembergensi, die Stattschreiber/ ex constitutione Ducali, Notariis sunt æquiparati. Inter hos tamen & illos hæcce differentia existit, quòd hi suo officio ubique; illi tantùm in territorio constituentis uti queunt. Gail. 2. *observat.* 71. *num.* 13. Matth. Stephani. 2. *de Iurisdict. part.* 2. *cap.* 5. *num.* 7. *&c.* Sed tamen eorum Instrumenta, quæ in suo territorio confecerunt, etiam alibi valét. Reiger. *in Thesaur. jur. verb. Notarius.* Officium autem Tabellionum quod fuerit olim, directè explicat Imperator, *in Novell.* 44. Erant certè instar publicorū servorum: & indè pro quolibet stipulabantur. Ac tandem, quomodo Notarius differat à Tabellione, notat Pasquier. 4. *des recherch. cap.* 12. Episcopos autem Notarios creare posse monet Tuschus *lit. 3. conclus.* 290.

V. Cúmque maxumè necessarius sit Monetæ (de cujus definitione vid. Freher. 1. *parerg. cap.* 14.) seu Numi usus, nec sine eo facilè subsistere Respublica possit. Aristot. 1. *polit. 6.* Meritò itaque inter majora Regalia ponitur jus Monetæ. Marcellus Donatus, *in dilucidat. fol. mihi* 1042. *&c.* Bulenger. *in Princip. Roman. 2. cap. 16.* Bornitius, *tractat. de Numis, passim.* Hoennon *disputat. Politic. 5. thes.* 78. *& seqq.* Arumæus, *ad Aur. Bull. 5. thes.* 9. vide omninò Louys Servin. *tom. 3. des plaidoy. fol.* 307. Camman. *6. thes.* 12. Lehman. *lib. 2. cap* 39. *fol.* 158. ea sive cudenda sit, sive mutanda, sive omninò reprobanda; aut ei æstimatio, valórque certus constituendus *l. 1. in princ. de contrah. empt.* Sixtin. 2 *de Regalib.* 7. Marquard. Freher. *de re Monetar. 1. cap.* 2. Covarruv. *in collat. veter. numism. cap.* 7. Dn. Collega Bocerus, *de jure Monetar. cap.* 3. Busius, *disputat. de Republic. 11. thes.* 1. Carpzovius, *ad capitulat. cap.* 8 *num.* 13. Undè vetustissima fuit sanctio Legis XII. Tabul. Triumviri Monetales, aurum, argentum, æs, publicè signanto. Freher. *dict. loc. cap. 3. num.* 1. Et Franci olim, cùm primum Gallias occupârunt, signum Majestatis supremæ arripuerunt, numos cudere Regum suorum imagine impressa. Isac. Pontan. 6. *Orig Francic. cap.* 17. *ad fin.* quod & fecerunt Macedonici Reges, undè eorum numi, ab impressa imagine Philippici fuêre denominati. Robbigius. *lib.* 10. *cap.* 6. Monetam dicitur primùm cudisse Numam: Plinius *lib. 33. cap.* 3. Canterus, *variar. lect. 2. cap.* 23. Sed jam ante in usu fuit apud Hebræos. vide Tract. Schickhardi mei, *de Numis Hebræor.* Romani

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 3, [202] - 200

manì certè diligentissimè curarunt Monetam. Adolph. Occo. *in præfat. num. ism. Romanor.* Tantamque ejus curam habuerunt Romani, ut ex iis vetus historia restitui queat. vide Melch. Adami. *in Vit. Hubert. Golzij.*

VI. Quin & qualitatem Monetæ dare, id est, constituere, quantum auri, argenti ferri, vel alterius metalli, debeat admisceri, solus potest Imperator. (Hincque argentum ad hunc modum dilutum, Regium appellant. Fr. Balduin. *in Constantino lib. 2. fol. 123. &c.*) similiter ac de proportione Auri atque Argenti Leges dare, *l. un. C. de argent. precio.* Balduin. *dict. loc. fol. 117.* adde Aleman. *Palæstr. consult. consult. 8. fol. 492.* Ex eo, quod jus Monetæ spectat ad Majestatem, haud ineptè notationem monetæ deducit Dn. D. Bocerus, *de Regalib. 2. num. 224.* quòd Principis effigies seu vultus, monetæ impressus, moneat Subditos, ei se Principi subjectos esse, cujus imaginem habeat Moneta. *arg. Matth. cap. 22. ubi de Tributario Numo.* Numismata summi obsequii sunt signa: statuarum sunt compendium; imò potiùs statuæ sunt euntes. Pitsillius, *in Imag. Princip. color 6. fol. 82. &c.* Cujus ideò est Leges jubere, ejusdem est Numorum pretium, pondus & figuram præscribere. Nam Græcorum vox νόμος, Numo videtur originem dedisse.

VII. Judicant sic prudentissimi quique; magnarum mutationum in Republicâ præsagium esse, insolitam in hodierno seculo Monetæ mutationem & depravationem: præsertim cùm Numus mensura esse debeat, ad quam omnia commensurantur. Et verè, nescio quis Imperii status, numum cum inscriptione: *Moneta pro tempore* nuper cudi fecit. Notans seculum nostrum ita pravum esse, ut numus ille omni caruit materiâ probâ.

Et quoniam mala sunt secla, moneta mala est:
Tempora si mala sunt, malam & esse necesse monetam est.

Vetustissimumque Germanicum Proverbium est: Wie das Gelt/ also ist auch die Welt. Optimè Luc. Lossius, *in Lunæburgá fol. 36.*

Quotidiè in pejus Mundi peccata ruentis,
Cernens, hoc inter plurima dicta tulit.
Bey der Müntz soll man lehren/
Wie sich die Welt thuet verkehren.
Discitur ex nummis, quàm se malè tempora mutent:
Omnia quàm in pejus deteriora ruant.
Aurei erant quondam nummi, fuit aurea & ætas,
Nummi nunc fiunt, cuprea massa, mali.
Cuprea nunc ætas hominum est, nunc cuprea proles,
Inq; dies fiet post scelerata magis.

Rettulit ut Naso, veraci carmine, doctus,
De ferro est ætas ultima facta truci.
Protinus irrupit, venæ pejoris, in ævum
Omne nephas, fugêre pudor, verumq́, fidesq́,
In quorum subiêre locum, fraudesq́, doliq́,
Insidiæq́, & vis, & amor sceleratus habendi.

Usitatum jam olim fuit, pretium monetæ augendo, Reipublicæ commodum procurare; quod & Solon fecit. Plutarch. *in Vit.* Sic & Philippus Valesius, monetæ ponderi aliquid detraxit. Girard. *lib. 2. m. fol. 185. & 201.* Ac etiam Turcæ hâc cautione interdum utuntur. Soranz. *mihi fol. 68.* Sed tamen, non nisi in summâ necessitate, hoc remedio est utendum, ut dixi *in tractat. de Ærar.* vide Conestagium *fol.* 44. ac de auto puro, numve unum alio præstantius sit, disputat Bellonus, *lib. 1. observat. cap. 50. & seqq.* Sique mutentur monetæ, infinitæ lites exoriũtur, de quibus Ego aliquot Consilia, *Augustæ Vindel. & Tubingæ apud Eberhardum Wildium impressa*, confeci. Quas quondam etiam veriti sunt Galli, & propterea pacto singulari eã præcaverunt. *Et si dedans le temps du rechapt, d' icelle engageure, la monnoye estoit deteriorée au poix, ou en aloy, nous rendrons pour chasque trente sols, un marcq d' argent.* Paradin. *2. cap. 39. histor. Lugd.*

VIII. Ex hactenùs verò deductis apparet; illi, qui jus non habentes, vel absque ullâ Principis authoritate vel permissu Monetam cudunt, majestatis reos censeri. *l. 2. C. de fals. monet.* Dn. D. Bocer. *de crimin. majestat. 2. num. 62. &c.* ea etiamsi justa sit, & ponderis ac pretii æqui. Menoch. *arbitr. casu 316. num. 15.* Obrecht. *disputat. de regal. thes. 245. &c.* Camman. *6. thes 42.* At licèt respublicæ inferiores, hocce gaudere regali queant. Tileman. **Friese im Müntzspiegel.** *1. cap. 4. & lib. 4. cap. 36.* Sixtin. *2. de regal. cap. 7. num. 91. &c.* **Also ist die Müntz bey den Geschlechtern vor zeiten in den Stätten gewest.** Lehman. 4. *cap.* 14. Ita jam sub Dagoberto, Spira & Monasterium **Weissenburg**, jus monetandi habuerunt. Lehman. 3. *cap.* 12. Undè rectissimè Dn. D. Bocerus dicit, *cap. 3. de jur. monet. num. 5.* non cudendi solùm jus ad Imperatorem pertinere; sed & jus concedendi facultatem monetæ cudendæ. vid. Busium, *disputat. polit. 11. th. 2. usque 11.* debent tamen eorum numi, vel maximè reputari pro monetâ ipsius majestatis; ita ut eos adulterans, in crimen diminutæ pariter incidat majestatis. Petr. Wesembec. *consil. 45.* Id quod præsertim obtinet in Germaniâ nostrâ: Cæsaris ubi plerunque in orbe circumscriptum nomen, aquilámque bicipitem, inserto ejus pectori Imperii globo, ex lege referunt numismata. **Reichsabschied.** Anno *59. §. 10.* Sed & in Germaniâ Imperii status, monetam ipsius quoq; Imperatoriâ

peratoris taxare jam olim præsumpserunt. Lehman. *lib.* 4. *cap.* 12. *fol.* 367. Romani cauti magis hâc in parte fuerunt: qui jus illud privatis cõcedi noluerunt. *l. ult. C. de fals. monet.* Decian. *prax. criminal. lib* 7. *cap.* 24. *num.* 3 Gigas, *tract. de crimin. majest. rubr. qualiter & à quibus quæst.* 62. iique etiam gentibus exteris monetas cudere non permiserunt. Chiflet. *in Vesont. fol.* 206. *&c.* Ac item nonnullis monetis, impressum manus stigma, notat potestatem. Rittershusius, *de Asylis, fol.* 49. Majestas tamen, quæ à cudendis numis haud minimum sibi conciliat splendorem; diminui videtur, si percussura proprii numismatis, passim concedatur. Johann. Selden. *lib.* 2. *Iani Anglor. num.* 41. *fol.* 88. De monetis, vide tractatus singulares Budæi Chokier, Tilemanni Friesen / Marquardi Freheri. Johann. Bodini, Reineri Budelii. Item disput. hâc de re Hanfmanni, Aur, *Basileæ*; & Meureri, *Ienæ habitas.* & eâ de re tractat etiam Camerar. *tract. de re equestr. ad fin.* Ærodius, *rer. judicatar. fol.* 602. Statuta Polon. §. *Moneta.* Balduinus, *in Constantin. Magno. fol.* 117. *&c.* Et sic etiam einen Wechsel anstellen / pertinet ad jus majestatis. Papon. *lib.* 5. *tit.* 1. *arrest.* 8.

IX. Monetali juri geminum est mensuræ, ponderum & ulnarum jus. Quod itidẽ inter regalia censet, & publicũ esse asserit Knichen, 4. *de territor. jur. num.* 232. *& c. per l.* 9. C. *de suscep. lib.* 10. Borell. *de magistrat lib* 3. *cap.* 15. Schepliz. *ad const. Brandenburg. part.* 4. *tit.* 6. Buchananus, *hist. fol.* 338. Hinc Hebræi Mensuram, *mesura* vocant, à radice *sur* principatum tenuit: quia mensura rerum domina est, & dividendorum Princeps. Dicitur item *Schaar*, mensura, quia portæ affigebatur. Avenar. *Lexic. verb. Schaar.* Sic quidam in Angliâ Rex, mercatorum falsam ulnam castigavit; brachii sui mensurâ adhibitâ, omnibúsque per Angliã propositâ. Selden. 2. *Iani Anglor. fol.* 85. *num.* 33. Sanè absolutè subditi, formam & pondus, ex Archetypo superioris desumere obstringuntur. Knichen. *dict. cap.* 4. *num.* 237. Belgæ verò, liberiores aliis multis, Carolo V. omnia commercia rerum venalium, per omnes inferioris Germaniæ Provincias, unius ponderis & mensuræ constituere satagenti, restiterunt, quod alicubi memorat Meteran. Sic Christophorus Würtembergiæ Dux, magnâ prudentiâ usus est, daß er das Meß vnd Gewicht / in seinem gantzen Land gleich gemacht: Sed vicinæ civitates Imperiales, in eam ordinationem consentire noluerunt; non solùm, ut ne subditi videantur, sed & ut eorum fora victualibus eò magis abundent.

X. Hoc itidem intuitu, jus commercia constituendi majestatis est. Hinc Nundinæ sollemnes ac majores, πανηγύρεις, celebriores unius Provinciæ, vel totius Imperii mercatus; (quales in republicâ Romanâ fuerunt feriæ latinæ, vide Hospinianum *tract. de festis, cap.* 5. *fol.* 45. hodiè

diè apud nos sunt Nundinæ Francofurtenses &c. ab Heinric. Stephano, singulari libro celebratæ) à solo impetrantur Imperatore. *l. un. C. de Nund. l. 1. ff. eod.* Camman. *6. th* 4 Börtius, apud Arumæum, *discurs. 30. cap. 3. th. 26. fol. 881.* Et semel concessæ, Principis sine consensu, aliò trãsferri non possunt. Cravetta, *consil. 640.* Dissentit tamen Natta, *consil. 511. & 512.* cui adstipulatur Timannus à Kuyk. *in annotat. ad Cravettæ responsa.* Pertinet hûc, quæ habet Amplissimus & Præclarissimus Dn. Philipp. Reinhardus, in dem gegenbericht der Grafschafft Wertheimb/ *cap. 13. in fin.* ibi: In gleichem gehört vnter die Regalia, vnnd wem es von dem Römischen Keyser / ex speciali privilegio vergünnet wird/ Jahrmärckt anzurichten. Allermassen dann / Weyland Keyser Maximilian der Ander/ dem Wolgebornen Herrn / Graffen Ludwigen von Stollberg vnd Königstein/ auch seinen Nachkommen Graffen zu Wertheimb in Anno *1566.* allergnädigst vergünnet/ daß sie in der Statt Frewdenberg jährlichen drey Märckte halten/ vben vnnd gebrauchen mögen. Nunquàm tamen Cæsar consuevit, alicui dare Nundinarum privilegiũ, nisi prius adjacentibus & vicinis civitatibus, quarum interesse possit, auditis. Gail. *2. observat. 69. num. 24. & 25.* Georg. Schönborner. *5. polit. cap. 12.* Jus Nundinarum Imperatorem quoque auferre posse, cum causa liquet. Sic Carolus IV. Francofurtensibus illud abstulit, & Moguntiam transtulit: quod tamen mortuo Gunthero, intercessione Rudolphi Palatini, & Marchionis Brandenburgensis, iis restituit. Peucer. *lib. 5. Chronicor. pag. mihi 805.* Arnisæus. *lib. 2. de jur. majestat. cap. 3. nu. 18.* Hûc & stapulæ, sive emporii jus, pertinere arbitror. Mynsing. *consil. 9.* Sixtin. *2. de regalib. cap. 3. num 39. & c.* Klockh. *de vectigalib. th. 56.* Lehman. *lib. 4. cap. 22. fol. 363. & fol. 366.* Et certæ Nundinæ luculentum hoc privilegium habent, ut nemo ibi possit arrestari. Berlich. *tom. 1. concluſ. 53.* Ac cur eæ dicantur Messen/ disquirit Dn. Gryphiander. *disputat. de Democratia. th. 76. & c.* De Nundinis annuis, earûmque privilegiis, vide etiam Marchantium, *in Flandriâ. lib. 1. fol. 32. & c.* De Nundinis Lugduni institutis, vide Paradin. *histoir. Lugd. lib. 1. cap. 9. & seq.* de iis ad S. Dionys. vide Girard. *tom. 1. fol. 450.* Hûc spectat indictio Feriarum. *l. 26. §. 7 ff. ex quibus caus. major.* Wesembec. *in paratit. ff. de feriis, n. 4.* Ummius, *disput. ad proceſs. 7. num. 36.*

XI. Jus etiam dandæ linguæ, majestatis est, & pars esse videtur legislatoriæ potestatis. Brunning. *disput. de Vniversitat. th. 7.* Sicque Latini in provinciis quoque, non nisi latinè sententias protulerunt: postea etiam Græcè, Imperio illûc translato. Sic Latina lingua, quâ passim in Cancellariis utebantur, abrogata fuit à Rudolpho I. Imperatore. Tschudi *de Rhætia, cap. 36.* Lehman, in der Speyrischen Chronick. *5. cap. 107.*

Ita

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 3, [206] - 204

Ita Bohemi pro Imperio, adhûc tuentur suam linguam. vide Böhemisch Recht B. 4. b. adde Dn. Forstner. *hypomn. num. 81.* & me, *de increment. Imper.* §. 12. Jus civitatis condendæ, hûc referendum. Brunning. *disput. de jur. Universitat. th. 13.* Knichen, *in encyclopæd. 1. num. 209. & c.* Ohm. *disput. de jur. Episcop. th. 13.* Vico enim alicui spiritum & vitam dare, Stattrecht geben: ut loquuntur JCti. Arnold. Clapmar. *de arcan. rerum publicar. lib. 1. cap. 21. in fin.* solius Imperatoris est, sicuti Comites Wertheimenses tertiâ vice hujusmodi privilegia sunt consecuti. Author deß Wertheimischen Gegenberichts. *cap. 13. circa fin.* ibi: Solcher gestalt nun haben auch die Graffen zu Wertheimb von Keyser Ludwigen/im Jahr 1333. vnd widerumb Anno 1376. von Keyser Carln dem Vierdten, vber Frewdenberg von Wenceslao An. 1379. vber Schwartzberg vnd Lautenbach/Stattrecht erlangt/auch bey Frewdenberg solcher Keyserlicher Concessionen sich gebraucht/&c. Hinc cùm Albertus Comes Mansfeldensis, sine concessione Imperatoriâ, vico cuidam propè Islebiam spiritum & vitam, ut vocant, concedere vellet. Imperator Maxæmilianus, Anno 1514. Mandato inhibitorio id fieri noluit: cui Mandato hæc in specie fuêre verba inserta: Wann nun dir/noch jemand anders nicht gezimet/Stattrecht oder anders/das der hohen Obrigkeit anhangt/ohne sondere erlaubnuß auffzurichten/so empfelen &c. Thomas Michaël, *de jurisdict. conclus. 12. lit. c.*

Lubet hîc addere formulam privilegii Imperialis, quo civitatis condendæ jus datur: Wir Friederich von Gottes Gnaden Römischer Keyser/zu allen zeiten Mehrer deß Reichs/zu Hungern/Dalmatien/Croatien/Costnitz/Hertzog zu Oesterreich/zu Steyr/Kärndten vnnd Kranich/auff der Windischen Marck vnnd Portugall/Graff zu Habspurg/zu Tyrol/zu Pitet/vnd Keberg/Marggraff zu Brandenburg vnd Landgraff zu Elsaß. Bekennen vnd thun kund aller männiglichen mit diesem Brieff/daß wir angesehen vnnd betrachtet haben die getrewen Dienst so vns/dem Heil. Reich/vnser vnd deß Reichs lieber getrewer Reuß von Thüngen/zum Reussenberg/offt vnd dick gethan hat/vnnd hinfurt in künfftig zeit wol thun soll vnd mag/vnnd haben darumb mit wolbedachtem muth/rath vnser/vnd deß Reichs Fürsten/Grassen/Edlen vnd Getrewen/vnnd recht erwiesen/dem benannten Reusen die besondere Gnad gethan/vnnd jhme vmb seiner fleissigen Bitt willen/vergönt vnd erlaubet/daß er vnd andere deß Stammens vnnd Geschlechts von Thüngen/so an dem Schloß vnd Marck Thüngen/eine Statt machen/bawen/vnd die mit Mauren/Thürnen/Thoren/Brucken/Gräben/vnd andern nothdürfftigen Wehren/zu recht bewahren/besesten vnd darzu in derselben Statt einen Rath/auß den Burgern daselbsten erwehlen/

wehlen/vnd Ampteleut setzen/vnd besetzen/als offt sich das gebürt/vnns dieselben Statt mit Rechten/Ampteleuten vnd Burgern mit guter ordnung/Handwercks zünfften/vnd allen andern offnen Ampteren/so nach Gerechtigkeit herkommen anderer Stätt daselbst vmbgelegen/versehen/auffrichten/vnd bestellen mögen/nach nothdurfft/vnnd jhrem gefallen/ohne geferd.

Daß sie durch sündasser in gemelter jhrer Statt Thüngen/alle Jahr/jährlichen auff den Tag jhrer Kirchweyhung daselbst zu Thüngen ein Jahrmarckt/vnd alle Wochen auff den Sambstag einen Wochenmarck daselbsten haben vnd halten/auch sollen vnd mögen/auff dieselben Jahr vnd Wochenmärck auch alle vnd jede Kauffleut/vnd andere Leut darzu vnd davon ziehen/vnd die besuchen/alle die Gnad/Fried/Freyheit/Geleit/Schirm redliche Gewohnheit/Ordnung vnd Herkommen haben/vnd der gebrauchen geniessen sollen vnd mögen/die andere Jahr vnnd Wochenmärck/in den nächsten vnsern vnnd deß Reichs/oder an den Stätten/vmb die Ehrgenannte Statt Thüngen gelegen/vnd die Leut/so darzu vnd davon ziehen/vnd derselben geniessen vnd gebrauchen/auch von Recht vnd Gewonheit/von allermänniglichen vnverhindert/doch andern Stätten/Dörffern vnd Märckten/bey zweyen Meilen vmb die jetzberührte Statt gelegen/an jhren Jahrmärckten/Wochen vnnd Marckrechten/Freyheiten Recht/vnd Gerechtigkeiten/thun vnd geben den vorgenannten von Thüngen/vnnd jhren Erben solche vorgemelte Gnad vnd Freyheit/in der gemelten jhrer Statt von Röm. Keyſ. Macht vnd Vollkommenheit/in Krafft diß Briefs/vnd gebieten darunter allen vnd jeglichen vnsern vnd deß Reichs Vnterthanen/vnd Getrewen/von jetzt gemelter Röm. Keyſ. Macht/ernstlich vnd festiglich mit diesem Brieff/daß sie die vorgnante von Thüngen/vnd jhre Erben/an diesen ehegeschriebnen vnsern Gnaden vnd Freyheiten/an der offtgemelten jhrer Statt nicht hindern/noch jrren in kein weiß/sondern sich der gebürlichen gebrauchen vnnd niessen lassen/als lieb jhnen sey/vnser vnnd deß Reichs schwere Vngnad.

Mit vrkund diß Briefs versiglet mit vnserer Keyſ. May. anhangenden Insigel. Geben in der Newstatt am Freytag vor vnser lieben Frawen Liechtmeß/nach Christi Geburt/vierzehenhundert/vnnd im fünff vnd sechtzigsten/vnsers deß Röm. in 25. deß Keyserthumbs im 13. vnd deß Hungarischen im sechsten Jahre. Sunt & jura majestatis alia adhûc plura; de quibus nunc pertractare, ratio instituti haud permittit. Erant & insignia Principis; purpuram ferre, coronam, sceptrum. Rudolph. Fornerius. 5. *rer. quotidian. cap.* 30. Summatim, omnis Imperii administratio, penes Majestatem, ejúsq; juris est; nisi quatenùs aliquid

vel

vel expressâ vel præsumptâ voluntate alicui largitur. Quâ verò ratione Imperii meri, vel mixti proprietas, à potestate legibus absolutâ discernatur, consule Joach. Stephan. *1. de juris dict. cap. 4. num. 32.* Ac tandem observa lector, jurium Imperii explicationem, hîc à me eo saltem modo susceptam; quatenùs competunt Imperantis majestati, & ita ad constitutionem reipublicæ capitis requiruntur: eorum jurium, qui in conversatione, aliisque reipublicæ muniis usus sit; alia, húcque non pertinens tractatio est. vide Busium, *3. de republic. cap. 2. à princip.* quamvis interdum etiam hoc loci, ea fuerint à me admixta, quæ sapiant reipublicæ magis conservationem, quàm constitutionem.

CAP. IX.

De jurium majestatis concessione, & translatione.

POrrò summa tàm ecclesiastica, quàm politica imperii jura, ita majestatis reputantur esse propria; ut individua sint, & communicari sine status mutatione, cum nemine unquam possint. Regner. Sixtinus, *de regalib. 1. cap. 5. à princip.* ego *in tractat. de appellat. cap. 1. nu. 16.* Si aliquis subditorum, ea jura sibi arrogare velit, crimen majestatis incurrit: eò quòd publicum violet statum. *l. 3. ff. ad l. Iul. majest. l. sacri affatus. C. de diverf. rescript.* Nec item præscriptionem, stante republica admittunt, vide latè Gilken. *ad authent. quas actiones. C. de ss. eccles. cap. 9.* Non enim mortales adversus Deum, nec privati adversus rempublicam præscribunt. Petr. Heig. *part. 2. quæst. 40. num. 79.* Thom. Michaël. *de jurisd. th. 24. ad fin.* vide me, *de appellat. cap. 1. num. 8. fol. 42.* Nihil tamen impedit, quin permissione & consensu superioris, in parte gubernationis concessæ, ab aliis exerceri, vel etiam in Feudum recipi queant; majestatis sine deminutione, Dn. D. Bocerus, *tractat. de investit. cap. 3. n. 97. &c.* Bornitius *de majestate cap. 1 .* Quo respectu regalia, vel proprio, vel alieno jure competere videntur. Proprio jure regalia habet tantum Imperator, & aliæ respublicæ perfectæ. Hœnning. Arnisæus, *politic. cap. 11. fol. 253.* Alieno jure illa habere censentur; qui ea alterius beneficio, vel feudi, vel jure privilegii, aut alio titulo usurpant: aut se immemoriali temporis præscriptione tuentur. Cravetta, *consil. 338.* Potest etiam aliquis habere commoditatem regalis, sine omni dignitate. Sic olim in Imperio Romano, Publicani, & hodiè in Poloniâ Judæi, vectigalia emunt. Quemadmodùm rei meæ, non solùm procuratorem facere licet; sed & in eâdem, alteri jus emphyteuticum constituere possum, salvâ interim

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 3, [209] - 207

terim mihi manente proprietate, licet jus illud revocare non queam. Ita & regalia omnia, tam majora scilicet, quàm minora; concedi posse putarem. vide *suprà, sect. 3.* Contrà ac Clapmar. 1. *de arcan. cap. 21.* & Jehan. Papon. *arrest. lib. 5. tit. 1. nu. 1. fol. 238.* putant: cum Thomâ Michaël, *disp. de jurisdict. th. 24.* & Camman, *disput. 1. th. 93.* Undè vulgatum est apud interpretes juris: Duces habentes regalia, habere plenitudinem potestatis; etsi superiorem agnoscant. Ludovic. Rodolphin. *de plenitud. potest. cap. 2.* Et quidem regalia aliis concessa, nihilominus regalia nominari merentur, quatenus scilicet à solo rege proveniunt; non tamen jura majestatis dici possunt, nisi cùm alicui proprio competunt jure. Quidam etiam majestatis jura cõcedi vix possunt. Papon. *lib. 5. tit. 1. arrest. 1.* Si jure societatis regalia communicantur, tunc mutatur reipublicæ forma, & status fit mixtus. Aliud est abdicatio majestatis; ubi in certo territorio, vel ejus parte, amittit omnem potestatem Princeps. Hócq; etiam notatu dignum est: quod Germaniæ Princeps præscribens regalia, non habet ea, ut majestatem, sed ut privilegia perpetua. Ergo haud differt ab investitura, nisi ut nõ possit ad Imperatorem redire morte. Sic civitates habent præscripta regalia, sed specie vel substantia non alia sunt ab iis, quæ per investituram tantum ratione modi perveniendi & finiendi differunt: Sicque regalia in Imperio Romano præscribentes, non ideò liberi sunt; sed exercitum tantum regalium jurium, præscriptione adquirunt: ipsique præscriptio est loco concessionis, & summa superioritas nihilominus reipublicæ salva manet. Ergò habere majestatem per gratiam (putà privilegium, investituram, præscriptionem) non est habere illam ipsam majestatem; sed quandam ejus participationem, ut in aliis tamen terminis loquitur Bellarmin. *lib. 3. de Christo. cap. 15.* Nec ipsa præscriptio hoc facit, quia non præscribitur majestas absolutè à statibus; sed exercitium & tale jus, quod alii habent per privilegium vel investituram.

II. Hìc notanda est communis illa theorica doctorum: quocunque modo regalium concessio fiat, quod nihilominus superius illud & majestaticum Imperium, eâ largitione nunquam censeatur comprehensum, sed potiùs major semper, quàm est concessa, reservata & retenta putetur potestas. *c. audum. § hoc igitur de præbend. in 6. l. inquisitio. & ibi Dd. C. de solut.* Peregrinus, *de jure fisci. lib. 1. tit. ult. num. 33.* Knichen. *de jure territorii. cap. 1. num. 315. & c. ego, tractat. de appellat. c. 2. num. 16. fol. 59.* Imperator statibus privativè regalia concedit, & per contractum; eóque promittit, se ea ipsis non adempturum: sed cumulativè ipsis ea largitur, ratione proprietatis & inspectionis. Variæ hìc moveri possunt, magni momenti quæstiones, quarũ inspectio necessaria est & fructuosa.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 3, [210] - 208

(1) An territorio conceſſo, regalia conceſſa intelligantur? Weſembec. *conſil.*109. Num item per generalem regalium cõceſſionem, etiam veniant majora? Quod ex perſonarum, quibus illa conceduntur differentiâ, definit Borcholten. *ad c. un. quæ ſint regalia. num.* 7. vide Roſenthal. *de feud. cap.* 5. *concluſ.* 9. Zaſ. *epitom. feud. part* 5. *num.* 13. Reinkingh. *lib.* 1. *claſſ.* 4. *cap.* 16. *num.* 31. *&c.* (2) Porrò ſi aliquis de Ducatu aut Comitatu, cum generali omnium regalium concеſſione inveſtiatur; conſequitur is etiam majora. Arumæ. *diſput. feud.* 4. *th.* 22. (3) Id verò non ſimpliciter aſſerendum cenſeo: quòd regalibus quibusdam in ſpecie conceſſis, etiam veniant ſimilia expreſſis. Peregrin. *de jure fiſci.* 1. *c. de iis qui jur. fiſc. hab. num.* 100. Roſenthal. *d. cap.* 5. *concluſ.* 13. Niſi generalis clauſula ſubjiciatur. Zaſius, *d. part.* 5. *num.* 11. Borcholt. *ad d. c. nu. num.* 11. *&c.* An autem Dux creatus, eo ipſo regalia nanciſcatur, tractat Valaſcus, *de emphyteut. quæſt.* 8. *num.* 42. *&c.*

III. Et ſic Duces, Civitates, aliique ſtatus in Imperio Romano-Germanico, etiam in aliis, quàm ad Jurisdictionem feudalem pertinentibus, Imperatori Imperioque ſubditi ſunt. Neque ſolùm Feudi, ſed & Perſonæ nomine obligati: Roſenthal. *de feud. cap.* 5. *concluſ.* 13. Muſculus, *de ſucceſſ. membr.* 1. *fol.* 14. ego, *tractat. de appellation. cap.* 2. *n.* 20. imò Imperii Vaſalli ligii cenſentur. Knichen. *de territor. Iur. cap. ultim. à princip.* Ampliſſimis licèt clauſulis ſint inveſtiti, eorúmque aliâs poteſtas maxuma deprehendatur: Landes Obrigkeit vulgò quæ indigitatur: cujus explicatio ad ſtatus ſubalterni pertinet tractationem. de quo jam egi, *in ſingular. diſſertat.* Quamvis Germaniæ Principes, Majeſtatem habere dicat Bernhard. Zeritz. *tractat. de Princip. prærogat. H. &c.* uſu tamen potiùs & effectu Majeſtatis gaudere videntur, & cum mica ſalis, quod ajunt, intelligendum eſt axioma illud: Duces, Principes &c. tantum in ſuo territorio poſſe, quantum Imperator in Imperio univerſo: idque nec Imperii, nec ſubditorum reſpectu, in totum affirmari poteſt. Iacob. Bornitius *de Majeſtat. cap.* 14. *fol.* 126. Tobias Paurmeiſter. 2. *de Iurisdict. cap.* 4. *num.* 70 Rutger Ruland. *tract. de Commiſſ.* 5. *ca.* 4. Arumæus, *diſputat. feud.* 3. *theſ.* 14. *in not.* Barthol. Muſculus, *diſputat. de confraternitat. th.* 23. *&c. in diſputat Baſilienſib. tom.* 1. Pruckman. *in* §. *ſoluta poteſtas. cap.* 4. *membr.* 3. *eff. &.* 10. *num.* 22. Keckerman. 1. *politic. cap.* 32. *in fin.* videatur etiam Caſpar Klocke, *diſputat. de contribut. theſ.* 8. *lit. a.* Waremund. de Erenberg. *de ſubſid. Regnor. cap.* 15. *num.* 15. Gothofred. Anton. *diſputat feud.* 2 *th.* 5. 4. *lit. c.* Rittershuſius *lib.* 1. *part. tit. Feud.* 5. *quæſt.* 11. adde quæ dixi *in diſcurſ. de Iurisdict. Imper. Roman. quæſt.* 16. & 18. De differentiâ item Principis abſoluti & mediati: ac de ſtatibus Imperii Romano-Germanici, an poſſint quod Princeps? con-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 3, [211] - 209

sulatur Nicol. Betsius, *tractat. de pact. famil. illustr. cap. 8. fol. 425. &c.* Quæ omnia, usu magis & Legibus singularum Provinciarum, Imperiorúmque; quàm ex Jure communi, & generalibus Politicis rationibus dijudicari debent. Interim tamen atteſtatur Joh. Papon. *lib. 22. tit. 1. arrest. 1.* læsæ Majestatis reum puniri, qui insidias struit, Duci, Comiti, Marchioni, &c. Dn. Mayer. *in Colleg. Argent. disput. de Majest. th. 6.* Non quòd propriam habeant Majestatem: sed quòd Majestas Imperii, (cujus illi membra & Consiliarii sunt) hâc ratione per consequens lædatur.

DISSERTATIO SINGULARIS DE STATU REIPUPLICÆ MIXTO.

CAPUT I.

An detur Respublica mixta.

PRæmitto meritò huic tractationi, ubi de statu simul Ego Imperii Romani, & gravissimas adnecto quæstiones, illud Tiberii Deciani: *cons. 8. num. 169.* In gravibus, innitens auctoritati docti alicujus Viri, quamvis erret, excusatur, Vetus. (& meo quidem judicio) vera seu probabilis sententia est; non omnem Statum Reipublicæ simplicem esse; sed temperatos quosdam existere, vel mixtos, ex duabus vel tribus gubernationum speciebus. Summa quippè nam potestas, & hinc natæ Rerumpublicarum formæ, regulariter ex plenâ & liberâ jurium majestatis usurpatione quia descendunt: indè supremi Imperii jura, maximæq; potestatis notæ, ac quasi insignia & functiones; si non omnia, vel solus, ipsámque legibus solutam potestatem, si non per omnia Rex, aut Populus aut Senatus habeat; Mixtus existit) non uniformis reipublicæ Status. Nicol. Machiavell. *1. discurs. cap. 2.* Clapmarius, *5. de arcan. rerumpublic. cap ult.* Vincent. Cabotius. *2. disput. cap. 4.* Paul. Busius, *2. de republ. cap. 6.* Barth. Keckerman. *disput. pract. 36. problem. 8.* Arnisæus, *doctrin. polit. cap. 8.* Thomas Smithus. *1. de republ. Anglor. cap. 6.* Clemens Timpler. *5. polit. cap. 2. quæst. 7.* Dn. Joachim. Cluten. *paradox. 14.* Velstenius, *cent. quæst. polit. decad. 7. th. 5.* latè & optimè Petr. Andr. Canonhiero. *6. dell' introduzz. cap. 3.* Neque Monarchiam, neque Aristocratiam, neque

que Democratiam ullam usquàm puram putam, sine temperamento olim extitisse, neque hodiè ostendi posse, Kirchnerus propugnat, *disput. de republic. 3. corollar. ultim.* Hanc formam hodiè in plerisque regnis Europæ servari, Paul. Busius scribit, *2. republ. cap. 6.* cùm nulli Reges aut Principes, quorum potestas in capitibus majestatis, ordinibus aut Senatui communis est, dici queant statum purum tueri. idémque sentit R. P. Contzen, *lib. 1. politic. cap. 14. §. 3.* Sic in Statu populari, Senatum ferè cũ plebe participare reipublicæ summam &c. paucos vel nullos reperiri Reges, Principésve, quorum potestas capulationibus certis non sit valdè circumcisa, attestatur Waremund. de Erenberg *in verosimil. de regni subsid. cap. 11. num. 40.* Ego verò nullum ferè simplicem existere statum, haud asserere audeo. Enimverò in statu Mixto, deflexisse quidem à naturæ suæ regula, reipublicæ dicetur forma; non eam tamen exuisse penitùs: hincque genus ac nomen partis, quæ plus est, ferè sequitur. Lips. *politic. 2. cap. 2.* Et non rarò Monarcha, Réxq; vocatur, qui non nisi Status mixti Princeps est. Sicque hîc pariter, ut in Polyarchico simplici statu, propriè & in solidum majestas apud universum illud corpus residet, quod particeps est majestatis. In Principe verò, potestas non est absoluta, sed determinata.

II. At quòd status aliquis sit mixtus, ut plurimi acriter pernegaverunt: ita pauci id affirmantes, rem ipsam attigisse videntur; sed cum ratione gubernandi, jus gubernationis perperàm ut puto, confuderunt. Ergò hic duo sunt cavenda. (1) Bodini opinio est declinanda, qui *lib. 2. de republic. cap. 1.* Statum aliquem mixtum esse negat: cui adstipulatur Zacharias Fridenreich/ *polit. cap. 18. & cap. 29. fol. 201.* Jacob. Bornitius, *tractat. de majestat. cap. 11. & cap. 13.* vide Franzium apud Arumæum, *vol. 3. discurs. 27.* (2) Hîc vel præcipuè, (quod & *in tractat. de monarchia cap. 2.* monui) caveri debet; ne rationem gubernandi, cum ipso statu confundamus, & monarchiam, verbi gratiâ, Aristocraticè gubernatam, pro statu sumamus mixto. Id quod tamen Lipsius, *2. polit. 2.* Kirchner. *disput. de republ. 3. th. 7. lit. e.* Keckermannus, *2. polit. 4.* aliique facere videntur, contra quos disputando insurgit Daniel Ottho Oeringens. apud Arumæum, *tom. 2. disput. 22. th. 13. & seqq. usque 34.* Ac sanè si non ex jure, sed ex gubernationis ratione respublica definiretur; tùm Dominus servum filiali amore complectens, non affectione, sed & jure fieret pater: quod nemo facilè dicet.

III. Multa rerumpublicarum mixturæ obstare videntur. Ajunt, duo contraria non posse simul subsistere in summo gradu; aqua & ignis, monarchia atque democratia vera. Sed tamen hoc natura permittit, si utrinque aliquid remittatur. Infestum ac perennem hîc inimicum habemus

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1. Stück 3, [213] - 211

bemus Bodinum, cujus præcipua ratio videtur, quòd majestas dividi vel distrahi non possit. Id quod præsuppositum ego nego. Salvâ quidem reipublicæ formâ, non illa communicatur; sed statim fit mixtura formarum. Regerit quispiam: Republicâ simul constitutâ, illicitum esse ejus commutationem. Dico constitui ab initio rempublicam ita posse, ut majestas non uni vel paucis absolutè committatur. Potest namque Imperium à populo ad Principem transire, vel plenarium, vel conditionatum. Vasquius, *illustr. cap. 47. num. 9. & seq.* vel etiam in reipublicæ conversione, ut aliquando adimitur in totum, ita limitari nonnunquam absolutam potestatem, nil prohibere videtur. Nec raro irrepere solet temperamentum, quod vix unquàm percipitur, nisi secutâ conversione: ut ipse monet Bodinus. 2. *de republic. cap. 6.* & idem Medici in corpore humano observant. Et alicubi Bodinus Principatum, medium quendam statum inter Aristocratiam & Monarchiam agnoscit; nempè formam quandam mixtam. Daniel Ottho, *in dict. disput. th. 34. & multis seqq.* ex plurimis, qui à Bodino fecerunt secessionem, duos, Keckermannum scilicèt, & me, sibi proposuit oppugnandos: cujus impetitiones succinctè nunc examinabo. (1) Nunquam (inquit ille) fieri per naturam, & ne quidem imaginatione perfici potest: ut summa potestas sive majestas, cum inferiori commisceatur, ut tamen maneat summa. Respondeo, summa manet, sed non in uno; verùm in corpore seu collegio ἀρχόντων universo: ita tamen ut non sit æqualiter inter eos distributa; sed Principi quædam eminentia magna concedatur (& major etiam quàm in republicâ Venetâ Dux habet) aliàs enim fieret Aristocratia. (2) Contradictionem involvere putat: esse penes unum supremam & absolutam potestatem, & eandem esse penes plures. Verum hoc nemo sanus cogitârit unquàm. Monarchia verè est, si penes unum resideat Imperium summum. In statu mixto, (utpotè qui Polyarchico accensetur) idem pluribus est commissum. (3) Infert, nil majestati magis contrarium esse, quàm dividi atque communicari. Concedo si prædicatũ hoc copuletur monarchicæ majestati absolutè: aliàs in omni Polyarchico statu ea sanè communicatur. (4) Majestati repugnare dicit, à superiori dependere. At liquet, in statu mixto, majestatem in solidum penes collegium esse, licet in illo collegio caput plerunque multis modis, præ reliquis membris excellet: non tamen in solidum, omni jure imperii fruatur. Et ita majestas hæc, quam tale collegium habet, Deo immediatè subest. (5) Et hoc adfert: in monarchiâ, quæ cum aristocratia est mixta, omnes esse Principe inferiores, illíque obsequium præstare teneri. Id quod negarem, nisi quo ad jura, quæ cõpetunt ipsi soli. (6) Multùm interesse putat, jura supremæ majestatis contrahantur an detrahã-

tur

tur &c non abnuo: nempè si contrahantur, fit mixtura, si detrahantur, mera Aristocratia. (7) Ait: positis majestatis juribus, ponendum esse summum magistratum. Hoc idem est quod volo; nempè aliquando non penes unum omnia, nec absolutè deponuntur majestatis jura: talis ideoque à vero differt monarchia. Respondet quidem hisce meis exceptionibus, Dn. Ottho. *in tractat. singular. de majestat. cap. 2. num. 15. &c.* Sed hæc & omnia mea, cujusvis candidè sentientis censuræ subjicio, meritò lubens. Hócque tantùm addo, ipsum Dn. Ottonem, *in tractat. de jur. public.* concedere mixturam.

IV. Etenim si Rex Imperii sui ordinum; populíque primorum, consilio sæpiùs utatur, aristocraticus quidem ibi est imperandi modus: non indè tamen, cum iisdem si non aliquatenus communicata invenitur majestatica potestas, reipublicæ forma fit mixta. Sed tum demùm illud accidit, ordines si non simpliciter consulendi, verùm etiam in simul prohibendi, vel impediendi polleant facultate: Princépsque illorum consilium, vel dissensum sequi teneatur.

CAP. II.

De Imperio Romano & Polonico.

STatus mixtus, variationes quamplurimas admittit. Interdum dividuntur Imperii jura: ut quædam Rex, quædam Senatus habeat; aut quædam optimates, quædam plebs. Interdum communicantur: ut nec Rex sine Senatu, nec Senatus sine Rege ea obtineat; iísve plebs simul fruatur & nobiliores. Interdum aliter (præter mixturam) summa temperatur potestas. In primâ specie mixti status, majestatis separantur jura, & diversa diversis ordinibus attribuuntur. Maximè concinna in hâc mixturâ harmonia esse videtur: quædam enim jura optimè ab uno exercentur, putà judicandi & puniendi potestas: alia sunt, quibus vix sine iniquitate, haud participes redduntur Imperii ordines vel status. Jus putà belli suscipiendi, & si quæ similia alia existunt.

II. Exemplum status, ubi majestas divisa quasi est; *Imperium Romano-Germanicum* præbere posse (salvo semper peritiorum judicio) putarem. In eo etenim non monarcham absolutè Cæsarem; sed ibi ex Aristocratiâ & Regio Imperio, commixtum hodiè statum, & sejuncta esse Imperii jura, rerumpublicarum eruêre censores. Velsten. *decad. 7. th. 6.* Keckermann. *disputat. practic. ult. problem. 12.* Joachimus Cluten. *in fasciculo rer. quotidianar. th. 16.* Crugerius, *disput. polit. 4. th. 112. & multis seqq.* Heig. *part. 1. quæst. 2. num. 14. & multis seqq.* Paurmeister.

2. *de jurisdiction. cap. 1. num. 9. &c.* (quibus idem, *dict. lib. cap. 2. num. 53. &c.* proportionem hujusmodi mixturæ indagat) Arumæus, *discurs. de jure public. 1. vol. 1.* Syring. *de pac. publ.* Vindiciæ Mauritianæ, *th. 6.* Börtius, apud Arumæū, *discurs. penult. th. 5.* Daniel Ottho, *dissertat. de jure publ. cap. 7. fol. 141.* post Clapmarium ego *tractat. de appellat. cap. 2. num. 21.* & nec id abnuit Auctor des Calvinischen Modells *à princip.* Adeò ut unaquæque pars, sua habeat & imperii libertatisque jura, & arcana atque simulachra præterea alia. Ac ideò decreta & consulta, non constitutiones, vel pragmaticæ sanctiones; sed leges fundamentales, communesq; reipublicæ sponsiones. Schönborner. 4 *polit 3. num. 5.* & Status, non Senatorum aut Consultorum; sed ἀρχόντων sunt loco. Paurmeister. 2. *de jurisdict. 2. num. 34. & 36.* Eóque intuitu apud Sleidan. *lib. 1.* in voto suo electivo dicit Moguntinus, Germanis retinendam esse Aristocratiam.

III. Argumentum pro hâc opinione sumi haud infirmum potest, ex condictionibus (seu capitulatione) Carolo V. præscriptis. Sleidan. *lib. 1. fol. 28* & vide tractat. cui titulus: Königs Carle des Fünfften Verschreibung gegen des H. Röm. Reichs Churfürsten: apud Goldastum, *constitut. tom. 1. part. 2 à princ.* & inseruit idem Politicis Imperialibus Germanicis, Ferdinando ac Maximiliano II. ac Latinis, Rudolpho datas imperandi leges; ut & capitulatio præsentis nostri pientissimi ac felicissimi Imperatoris extat, *in tractat. de homag.* Johann. Brunningi: ut & *in actis publicis* Londorpii. Ex quibus apparet, non ita liberam nūc in electione Imperatori Romano-Germanico potestatem tradi; quem, admodū olim lege regiâ divo Augusto & successoribus concredita fuit, *l. 1. ff. de constitut. princip.* (*de capitulatione Imperatoriâ*, elegantissim. edidit tractat. Carpzovius, lectione planè dignum.) Proindè haud insulsè argumentari videntur, qui non ex jure Latino, legibúsque Romanis; sed ex fundamentalibus sanctionibus Imperii hodierni, de potestate Cæsaris rationandum esse assertant. Cùm multùm interfit inter id quod fuit, & illud quod nunc est. *l. 98. §. 8. de solutionib.* Knichen. *in præfat. tractat. de territor. jur.* ac alterato statu, etiam leges status varientur; & è contra. In decisionibus verò causarum, is status semper sit attendendus qui nunc est, non qui olim fuit, aut est futurus: Cravettâ, *consil. 906. num. 4.* De quâ controversiâ, adversas argumentorum acies lustrare licet, In der Donawerttischen Information. *fol. 121. & 127.* & im bericht auff selbige, *fol. 137.* Paurmeister. *1. cap. 6. num. 23.* vide Discurs. meum *de jurisdict. Imper. Roman. cap. 10.* adde Goldast. *in polit. Imperial. part. 12.* Ant. Coler. *section. 1. th. 33. & seq.* Diss. Arumæus, *discurs. 7.* & eum secutus Daniel Ottho, *dissertat. de jur. public. cap 8. fol. 189.* Sanè jus Romanum, ratione, non Imperio nos ligat. Tilemannus, *disp. 1. th. 34. volum. 1.*

nun-

nunquam enim Corpus Juris receptum fuit instar legis, sed loco artis juris. Et habuimus in Germaniâ Imperium atque leges, antequàm inibi Romana jura, vel nomine saltem essent nota. Lehman. in der Speyrischen Chronick. *5. cap. 4.*

IV. Robur itidem capit hæc sententia ex eo; quod hodiè in Imperio Romano quædam Cæsaris, ordinúmque communia inveniri dicuntur: Cæsaris quædam propria reputantur, ejúsque solius cognitioni reservata: quædam aliena à Cæsare censentur. Quod pluribus remissivè illustrat Denaisius, *in jure Cam. §. Cæsaris in Imperio eminentia & aliquot seqq.* Ubi Cæsaris, ordinúmq; communia esse dicit: Bellum facere (præsertim si velit, ut ad id status auxilium præstent.) Fœdus inire, leges ferre. *de form.* eines Rathschlusses vide Frãcisc. Burckhardum, in der Freystellung *lib. 3. cap.* 14. Lehman. *lib. 7. cap. 124.* Paurmeister. *2. cap. 2. nu. 50. & 6. & item num. 63. ac multis seqq.* addatur Auctor Thesauri Politici. *1. relat. della Corte dell' Imperatore. fol. m. 59. & seq.* Gerlac. Buxtorff. *in dissertat. ad Auream Bull. th. 6.* Transferre Cameralem sedem, Acta in Camerâ revidere, Cameram visitare. Vultejus, *ad l. 1. C. de jurisdict. n. 87. fol. 61.* Decreta visitationum publicare: Dubia Cameræ, ac supplicationes super pace religionis, & publicâ, quarum occasione sanè pares sententiæ dictæ fuerunt, decidere: Vectigalia nova exigere, vetera augere, extraordinariam collationem indicere. Waremund. *in verosimil. de subsid. cap 5. num. 41. fol. 82.* Cæsaris & Imperialis Cameræ concursum, in mandatis avocatoriis, pacifragorum pœnâ constituendâ, eorundémque à Banno absolutione conspici. Cæsaris propria esse, Fiscales causas, ut & territoria, oppida vel arces concernentes transigere. Principibus exteris, militem in Imperio conscribendi concedere licentiam: adversus non subditos Imperii processus decernere. Ejus solius cognitioni reservata censeri, de feudis majoribus, sessionéq; inter status disceptationes. A Cæsare aliena reputari, contra Cameram aliquid edicere, ejúsve derogare ordinationi; causas à Camerâ Imperii ad aulã avocare, &c. Quæ ita nominatim (cujus fide dicta sunto) Denaisius recenset. Est & maxuma, Germanorum præsertim Nobilium libertàs in eo, quòd pro lubitu queunt exterorum bellis interesse. Paurmeister. *1. cap 3. nu. 22. & 6.* de Comitiis ac quid ibi possint status, vide Reinkingk. *lib. 1. class. 5. c. 8.*

V. Imperium quidem Romanum, ut nostro est tempore, puram aristocratiam esse, censet Bodinus, *2. de republic. 1. num. 181.* quæ septem electoribus, trecentis Principibus, ac civitatum imperialiũ Legatis, coalescat; quibus Princeps unus præsit, ut Concilii jussu exequatur, aut magistratum abdicare cogatur. Idque jam à Caroli Magni ætate, ita receptum esse dicit Tilemannus, *disput. 2. th. 48. vol. 1.* Quam tamen opinionem

nem refutat; quòd quędam Imperatoris propria, ab aliisque aliena sunt. Et passim etiam in Recessibus Imperialibus, mentio fit der Keyserlichen Hoheit vnd Reservation. Quę contrà monarchiã esse urgent, inter quos etiam est Dn. Johann. Ulric. Wolff. *disp. politic. 5. th.* 11. *&c.* Reinkingk. *lib. 1. class. 2. cap. 2.* illam tamen ferè omnes, aristocraticis rationibus, per Electorum & Principum, Ordinúmq; consilia & conventus, temperatam profitentur: de quo passim eruditissimus Kirchnerus, maximè *disput. 5. th. 1 lit. C. item oration. 15. ac 16. volum. 1.* Christ. Matthias, *colleg. politic. 2. disput 1. th. 6.* Philippo-Johann. Treutler. *disput. de form. rerumpublicar. th. ult. in disp. Basileens.* Anton. Coler. *section. 1. thes.* 30. *& seqq.* Cothman. *ad tit. C. de summâ Trinit. quæst. 1. & 2.* Qui mihi propterea falli videntur; quòd Imperator illum ordinem (ita ajunt) mutare nequit, quódque ab eo nonnulla, quæ de essentiâ sunt majestatis absolutæ, aliena habentur. Ita ut modo adductæ sententiæ patroni, ordine administrationis & simulachris, rempublicam definiant: quod fieri non debere suprà est dictum. Ac etiam eorum argumenta, qui pro Monarchia propugnant, Aristocratiam tantùm, non Statum mixtum offendunt. In Monarchiâ seu Regno pleno, etiam imperandi ratio, in potestate & arbitrio est Imperantis, qui legibus nullis positivis astringitur. In Imperio verò Romano, contra Recessus, Legesque Imperii, non Cæsaris prævalere potestatem, passim fatentur omnes, & id arguunt verba, quæ in omnibus ferè Recessibus inveniuntur: So haben wir vns demnach mit den Ständen / vnd sie hinwiderumb sich mit vns verglichen. Sanè Germania, semper absoluti Imperii impatiens fuit. Lazarus Schwendi. *in Consil.* Von Reaitrung deß Römischen Reichs. *præsertim. num.* 12. & de statu Germaniæ veteri, videri quoque potest Cominæus. *lib. 4. cap. 1. fol. 275. &c. ac item cap. 3. fol. 291. &c.* An Capitulatio minuat Majestatem, vide Arumæum *tom. 4. discurs. 3.* Quo tempore introducta idem Arumæum. *ibid. discurs. 4.* & Carpzovium, *in tractat. de Capitulat. qui extat in tom. 4. Arumæi.* Capitulationis etiam initia indagat Lehman. *2. cap. 4. lib. cap. 24. fol. 234. item lib. 4. cap. 10. fol. 300.* qui jam eam sub Francis fuisse usitatam prodit. Si verò Regimenti Conventus, à Maximiliano I. in Comitiis Augustanis, Anno 1500. institutus, non in desuetudinem, Carolo V. procurante abiisset; Sleidan. *lib. 7. ad fin.* ad Regnum Ephoristicum, ubi Monarchia cum Aristocratiâ mixta, (non ubi divisa summi Imperii jura) Germanicam ego Rempublicam referrem. De hâc autem quæstione; an nimirùm Imperium Romanum Monarchicum sit? vide contrarias disputationes apud Goldastum, *in Politicis Imperialibus, fol. 623. &c. usq; ad fin. fol. item 645.* Hodiè Catholici cumprimis, Imperium Romanum plenum esse Regnum defendunt.

dunt. hâc enim ratione, facilius religionem ſuam reſtitui poſſe confidunt. Quibus ex noſtratibus nonnulli accedunt: vident enim poteſtatē Imperatoris reſtringi, ut multorum licentia dilatetur. Regerunt Calviniſtæ, Catholicos haud Cæſareæ, ſed potiùs Pontificiæ majeſtatis moliri incrementum. Quin & nullos magis contemptim habere Imperii reputationem, quàm qui Privilegia Auſtriaca contra Cæſaris ſublimitatē, Imperiique unitatem nimis latè extendunt. Sed & duplicari ex alterâ parte ſolet, conſtátque illa privilegia antiquiſſima eſſe, jam ſub Suevicis Imperatoribus nota, ac ita meritò gnaviter defendi. Ego infantiam & ruditatem meam agnoſco: Julius Pflugius, *Oration. de Germaniâ, quam etiam Politic. Imperialib. inſeruit* Goldaſtus; Subtiles percenſet rationes, quibus Imperium Romanum, ad priſtinam dignitatem; hoc eſt, ad Statum verè Monarchicum pervenire poſſit. Quod nunc, rebus ita ſtantibus, impoſſibile, & forſan exitioſum eſſet; cùm absque motibus pernitioſiſſimis id fieri non poſſet. vide etiam Clapmarium. *ſ. de arcan. cap. 12.* Adde Icon animorum Barclai, *fol. m. 142. & multis ſeqq.*

VI. Ab hâc conſideratione, multarum maximi momenti quæſtionum, reſolutio depēdet; de quibus tamen certi aliquid ſtatuere; minimè ego, ſed ii tantummodò poſſunt, qui rerum illarum diutino uſu peritiam acquiſiverunt. Quemadmodum enim vix invenitur aureus numus qui ex puro puto auro fiet conflatus; quantitas verò alieni admixti metalli, non niſi lapidis Lydii ſubſidio inveſtigatur exactè: Ita pariter, quamvis rempublicam Romano-Germanicam, παμβασιλείαν nō eſſe, conſtet in quantum tamen ab eâ recedat, non cujusvis eſt æſtimare; ſed cui Imperii, & Status publici arcana, jugis experientia reſeravit. Ego quæ in ſequentibus diſputabo, non judicandi, ſed differendi animo proponam.

VII. Ex hiſce ergò primò, erui poſſe videtur; Principes, Comites, aliōsque Imperii Status, non propriè dici ſubditos (ſolius) Imperatoris; ſed potiùs Imperii ſubditos & membra. Ita ut Imperator ſolus, ob delictum aliquod, eos beneficiis & privilegiis privare, aut Imperii banno ſubjicere non poſſit: niſi re in Comitiis Imperii publicè deliberatâ; præcipuè, ſi ex eâ condemnatione, periculoſi motus in Imperio ſint metuendi. Nicolaus Betſius, *de pactis famil. fol. 448.* Donaverſche *Information, fol. 142.* Bernh. Zieriz. *tractat. de prærogativ. Princip. H. 7.* Executio etenim ejusmodi banni, ſine bello fieri nequit: quod nec Cameram, neque Imperatorē ipſum, indicere poſſe dicunt. vide tamen Georg. Everhard. *tom. 2. conſil. 17.* Hæcque quæſtio diſputata olim fuit tempore Smalcaldici belli; ac etiam à Mauritio Electore, eo finito: nuncque in ſcenam inferunt denuò hanc diſceptationem Palatini. Sed certè Fride-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1. Stück 3, [219] - 217

ricus I. propriâ authoritate debellavit Leonem Brunsvvicensem. Meibon. *in Histor. Badervici. fol. 15. &c.*

VIII. Hinc porrò putant, Imperatorem regales dignitates (feuda regalia) Imperio apertas, sine consilio & voluntate ordinum imperii, reinfeudare non posse. Rosenthal. *cap. 10. conclus. 11. num. 11.* Hortleder. *tom. 1. vom Teutschen Krieg. lib. 3. fol. 612.* Buxtorff. *ad auream bullam. th. 87.* Arumæus, *ad aur. bullam. discurs. 4. th. 16. & 17.* Dissentit ex parte Dn. D. Bocer. *tractat. de investitur. cap. 3. num. 66. 71. &c. & nu. 96.* vide eundem, *tractat. de regalib. 4. num. 17. &c.* quem satis refutat Daniel Ottho, *de jur. public. cap. 11. fol. 370. &c.* adde *cap. 2. extr. de feud.* Id quod nec priscis quidem temporibus Imperatori licuisse, ex eo apparet: quod olim ordines, cur Wenceslaum Regem Imperatoriâ dignitate privaverint, vel præcipuam causam prætendant; quòd Dominos Mediolani & Papiæ, ad altiorem dignitatis evexerit gradum: hunc Comitem, illum verò Ducem in feudis Imperii creando. Betsius. *d. loc. fol. 552.* videtamen Johann. Stollii Ravensburg. *disputationem, de Iudice, Ienæ, Anno 1617 habitam th. 81.* ubi ait: quòd Carolus V. Imperator Johannem Ducem Cliviæ de Ducatu Juliacensi & Montium, ut & Ravensburgensi Comitatu investivit, absque Statuum Imperii voto, & consensu. Deductio Saxon. *in puncto succes.* Gülick, Cleve vnd Bergk. *&c. producto. 5.* Sic manifestum fuit exemplo Mauritii Electoris, qui Anno 1548. Electoratu Saxonico solemniter fuit investitus in Comitiis Augustanis, assidentibus Carolo Electoribus, ut narrat Johann. Sleidanus, *lib. 20. de statu relig.* Verùm septemviratum & Johannis Friderici Provincias maximam partem jam ante ei attribuerat Carolus Imperator solus in castris ad Wittebergam. Sleidan. *d. lib.* Ibi enim nemo ipsi ex electoribus adfuit, præterquam elector Brandenburgicus, qui tamen non hâc de causâ eò venerat; sed ut intercederet pro electore captivo. Sleidan. *dict. loco. lib. 19.* Et quod capitulationem attinet, respondit, quod non loquatur de bonis Imperii feudalibus, sed aliàs vacantibus.

IX. Hinc etiam elucescit, ad Status Imperii quandoque appellare concessum. Nempè tunc ab Imperatore malè informato; ad Status Imperii, & simul ad ipsum Imperatorem, meliùs informandum provocatur aut potiùs supplicatur der Possidierenden Fürsten zu Gülck außschreiben *de Anno 1610. F. 1. fac. 2.* Just. Springer. *de pace relig. fol. 9. &c.* Vicissim à revisoribus Cameræ, ad Imperatoriam majestatem, provocare fas non esse. Vultejus, *ad l. 1. num. 96. Cod. de jurisdict. omn. jud.* Grævæus, *concluss. practic. part. 1. cap. ult. consid. 1.*

X. Ex eodem fonte promanat; quòd Imperatorem Romanum, sub prætextu absolutæ potestatis, ordinem administrandi justitiam, de-

quo

quo inter ipsum & Status Imperii convenit, negligere, vel *secundo la ragione di Stato*, dirigere haud posse, nonnulli censent, Donawertische Information. *fol.*111. *& fol.*167. Ut & putatur, Imperatorem contra Austregarum, seu Primarum instantiarum privilegia; Electores & Principes, Juris experiundi causâ, ad aulam avocare, ad causarum suarum dijudicationem, aliis delegare vel committere potis non esse, post Andr. Rauchbar. Heigius, *quæst.*9. *num.*12. *&c.* Waremund. de Erenberg. *in verosim. lib. polit. de subsid. regnor.*11. *nu.*40. *&c.* Informatio Donavvert. *fol.*115. *& multis seqq. fol. item* 177. *&c.* Caspar. Ziegler. §. *Austregæ, concluſ.*1. *num.*14. *&c.* Dissentit Paurmeister, 2. *de jurisdict. cap.*4. *num.*124. *&c. ac cap.*6. *num.*32. *&c.* Daniel Ottho, *de jure public. cap.*11. *fol.*350. Magis enim est, ut cum Gailio, vide Dn. Bocerum, *tractat. de jurisdict. cap.*3. *num.*78. causam hujus privilegii, præeminentiæ & excellentiæ principalis dignitatis adscribã. Et hæc videntur omnia eo niti fundamento, quod ordo ille judiciarius est ex translatione vel pacto introductus.

XI. Porrò in causis præcipuè pacem religiosam concernentibus, nunquàm cum Camerâ Imperiali, concurrentem jurisdictionem habere Aulam Cæsaream, verissimum videtur Auctori, der Donawertischen Information, *fol.*177. *& multis seqq.* contra Auctorem, der Donawertischen Erinnerung *part.*1. *fol.*236. vide Just. Springer. *tract. de pac. religios.*14. *fol.*142. Cranium, *part.*3. *problem.*1. De concurrentiâ Aulici, & Cameralis judicii, vide *tractat. Germanicum, hac de re singular. Amberga impreſs.* Arnold. Engelbrecht, *disputat. de jurisd. Imperii thes.*106. *&c.* Caspar Leopold. *de concurrentiâ, quæst.*4. *&* 19. Discurs. meum, *de jurisdict. Imper. Roman. quæst.*12. Urget hîc, quod in constitutione pacis religiosæ. §.32. Wir befehlen. diserte jubetur, ut Cameræ Tribunal, jus postulantibus, citra hujus vel illius religionis respectum, administret; nec Cæsar ibi ullam cognoscendi facultatem sibi reservavit; quam rationem expendit Jurisconsultus quidam, apud Schvvanmannum, *in observat. Cameræ Imperial. ad finem Consilii de primariis precibus.* Antè pacem in religione sancitam, Cæsaris in causis religionem concernentibus, judicium & jurisdictionem agnoscere noluerunt protestantes. Nunc in illâ constitutione, non Cæsari, sed Cameræ fuit cognitio data: eóque sese adstrinxit Cæsar, quod non velit Cameræ hâc in parte præjudicare. Non concessit hanc cognitionem Cameræ cumulativè; quia per conventionem: nec se eâ potestate privavit; quam nunquam habuisse videtur.

XII. Et tandem ex degradatione, electorum collegio competenti, (vide omninò electorum imperii sententiam, exauctorationis Wenceslai Romani Regis, apud Goldastum, *rom.*1. *constitut. fol.*139.) colligere

ligere quimus, non ita absolutam potestatem Imperatori esse relictam, ut quod ajunt, mutare possit quadrata rotundis, Dn. D. Bocer *de jurisd. cap. 8. num. 86.* Schönborner, *polit. lib. 5. cap. 33.* vel quam vi Regiæ Legis, Imperator olim Romanus habebat. Cæsarem tamen coram Palatino Comite, in civilibus tantùm; non etiam in criminalibus conveniri posse, veritati magis consonum est. Wehner. *in practic. observat. verbo* Außträg. vide post Freher. *in orig. Palat.* meum *tractat. de appellat. cap. 2. nu. 9. in fin.* Goldast. *in rational. constitut. tom. 1. in not. ad Aur. Bull. cap. 5.* Ac & Imperatores Francos depositos fuisse, tradit Lehman. *lib. 2. cap. 19. fol. 151. col. 2.* Sed de his quæstionibus ac aliis vicinis, videri possunt contraria scripta, edita in causâ Donavverdensi, Informatio & Erinnerung Ac etiam aliæ coincidunt quæstiones majoris momenti; An nempè Imperator possit ex causâ dispensare, vi absolutæ potestatis, contra leges communi Statuum consensu latas? An possit in casu necessitatis ordinem negligere juris? Item an Cæsar, invicem dissentientibus statibus, einen Schluß zumachen befüget? Certè hoc factum in constitutione pacis religiosæ, betreffent den Geistlichen Vorbehalt. Ac etiam ex recessu Imperii de Anno 44. §. Als wir aber/ꝛc. Aliud exemplum adfert Reinkingk. *fol. mihi 245. num. 35.* Certè si hoc non posset Imperator, esset Anarchia in imperio Romano, nec ulla majestas satis plena. vide die schreiben/so tempore Rudolphi II. gewechselt worden / vnd zu München gedruckt seind / in einer Epistel an den Fürsten zu Anhalt. Sique Cæsari non concedatur hæc potestas; tunc factiones, liguæ, & tandem bella civilia suboriuntur. Ac graviter disserit de dissensionibus & unionibus, Reinkingk. *lib. 1. claß. 2. cap. ult.* Tutissimum etiam videtur, hásq; quæstiones, non in regulas generales includi, non discursibus, thesibus, ac disputationibus (quæ omnia turbant) decidi: sed ex consuetudine & ordinum voto, circumstantiis & occasionibus aptato. Sæpéque sub umbra defensionis, libertas occultatur, quod tendit ad sceleris impunitatem: cujus rei exemplum habet Lehman. *lib. 5. cap. 27.* Quædam notatu digna hîc addere lubet ex Cusano & Pflugio: Nicolaus Cusanus Cardinalis, & Imperii Romani rerum maximarum, & absconditarum peritissimus, Imperatoris Sigismundi Consiliarius, de statu ante & post interregnum sequentia literis mandavit, *de Concord. Catholic. lib. 3. cap. 26.* Regebatur quondam Imperium imperativè, quoniam vox imperialis, potentiâ & vigore armabatur. Non erat lex, quam impunè etiam maximus transire posset, nisi enim lex censuram, & pungitivam acutiem retineat, obtunditur, & in disuetudinem abit. Oportet enim, quòd appetitus noxius freno legis teneatur, & intra suos terminos limitetur. Lex sine correctione censuram non habens, vitâ perdit, nec lex dici meretur,

sicut

ſicut nec mortuus homo, homo. Tunc quidem vigebant leges, & timebantur imperialia ſtatuta. Et ut ſeveritas legum continuo uſu fortificaretur, annui, & maximi Principum conventus indicti fuêre, in quibus nullus quantæcunque potentiæ legis transgreſſor impunitus abſceſſit. Oportebat quidem non imperiale tãtùm, ſed omnium Principum, imò parentum & amiciſſimorum ſententiam æquanimiter tollerare. Non poterat quisquam ob jusjurandum imperio præſtitum, ſtatutam legem interrogatus non approbare, & non laudare, & per eam occurrentem caſum etiam contra filium non judicare; ſed erat neceſſarium, ſecundũ legem unam omnium ſententiam, & proferri & executioni mãdari. Sic absque partialitate, ex communi concordiâ, legalis ſanctio cenſuram obtinuit, nec poterat ſuâ libertate quisquam eandem impunè transgredi. Ex hoc pax communis, & patria felix. Idem, *cap.* 28. Erat inſuper Imperatorum conſuetudo, facilè accuſationes fractæ fidei & perjurii admittere, ut fidelitas, per quam ſolùm perſiſtit imperium, nunquàm negligentiâ parvipenderetur. Pœna verò erat privationis, fidem non ſervanti. Erat tunc Imperator habens publicam, defendendæ pacis perſonam, adhæc habens de publico exercitum ſtipendiatum: undique per Principes & rectores timebatur, undique per populum defenſor patriæ, conſervator libertatis, relevator oppreſſorum, rigidiſſimus executor in reipublicæ turbatores adorabatur, venerabatur & colebatur: tunc rectè in eum delinquens, majeſtatem ſummam offendit: & hoc crimen maximum erat, qui in patriæ & omnium patrem peccavit. Quod ſi cuncta illa digniſſima relatui inſcribere, prolixior propoſito fierem. *Ibid. c.* 29. Ex his tamen reſpice, quantum abſceſſit hodierni regiminis ſtatus, ubi plenè nulla horum in uſu habentur: periit omnis cura reipublicæ, laxato freno, tranſtulit quisque leges impunè. Et ubi quondam veneratio cum tremore & timore, nũc deſpectus vel contemptus. Et leges omnes de aranearum telis cõnexæ ſunt, minutiſſimæ vix locuſtæ teneri in ipſis poſſunt: non ſicut quondam, quando in limitibus concupiſcentiæ ut aprorum fortiſsima retia continuè tenſa, importunos transgreſſores innectebant. Jam privato commodo invigilant cuncti, nulla de proximo & de futuro cura per incuriam Imperatorum, pietate tantùm putantiũ reficere poſſe, & reformare ab errato. Cenſura omnis ceſſavit, nec puniuntur rebelles: Et facti ſunt ex tyrannicâ dominatione Principes multi & potentes, imperio decreſcente, &c. Idem, *cap.* 30. Eſt inſuper alia imperii deſtructio: quoniam cùm Imperator ſolùm adminiſtrator in utilitatem reipublicæ exiſtat, ſæpè per pacta electorum ſua quærentium intrat regimen. Et occupata contra jus imperialia ob jusjurandum repetere non audet telonea gravantia rempublicam deponere, ac alias utiles

ordinationes facere, & per anteceſſores inconſultè absque omnium cō-ventu amoris inordinati, aut affectiones, vel ſanguinis tam in præjudicium imperii donata vel impignorata, revocare inhibetur. Imperatores non deberent permitti, facere alienationes præjudiciales, imperatori Principes aſſiſtere deberent, ut ſemper Auguſtus eſſet: ſed quia eum ligant, ne ipſis donata vel obligata aliquando fictè, vel per conſanguineos aut parentes, qui imperio præfuerunt, auferantur, tacent, dum idem facere vident imperatorem, ne ſeipſos damnent. Curantibus enim omnibus ſua augmentare, imperio ad nihil tendente, quid ſequitur, niſi univerſorum deſtructio? Quoniam non exiſtente potentia majori conſervativa, & pacativa imperii invidia, eadem ſemper creſcens cupiditas, bella, ſchiſmata, diviſiones quæ faciet, & tunc ſicut omne regnum in ſe diviſum, deſolabitur iniquè collectum. Decipiuntur itaque Principes ſub imperio, dum ob illum finem attrahunt & colligunt undique imperialia, ut potentiores & fortiores fiant, quoniam poſtquam totam capitis & imperii poteſtatem, membráque laniaverint & deglutiverint, deſinet hierarchicus ordo. Non enim eſt primus, ad quem concurratur. Et ubi non eſt ordo, ibi eſt confuſio; & ubi confuſio, ibi nullus tutus. Et ſic nobilibus inter ſe altercantibus, jus omne in armis propriis quęrentes ſurgent: quoniam ſicut Principes imperium devorant; ita populares devorabunt Principes. Idem, *cap. 39. de concord. catholic.* Et conſequenter ad hoc maximè ſtudendum, ut poteſtas imperii reſuſcitetur: alioqui de omnibus ordinatis & ordinandis nullus ſequeretur effectus. Vigor legis in coërctione eſt, coërctionem potentiæ cuſtodit, & exequitur: quâ ſublata (quia nitimur in vetitum, & ſumus ab adoleſcentia proni ad malũ) legalis cenſura, & per conſequens pax & juſtitia non diu perſiſtent.

Quum ergò hoc ita ſit, oportet per reformationem modus ad hoc detur. Quondam ſolebant Epiſcopi, Abbates, Principes, Comites ſecundum ſibi ſubjectam Provinciam & terram, annua & quotidiana ſervitia, perſonalia & realia, imperio facere: Ex quibus quidam Stipendiarii exercitui quotidiano imperiali pro defenſione Reipublicæ tenebantur: ac etiam ipſe Imperator honeſtiſſimum Imperialem ſtatum geſtare ſolebat. Quo quidem Imperiali & Reipublicæ defenſione exercitu deficiente, periit Reſpublica multùm. Perindè itaque foret, huic ordinationi diligentiſſimam operam dare, ut per annuas contributiones moderatas, ſecundum dominia & loca, talis exercitus erigeretur, ut & per ipſum juſtitia & pax ſervarentur. Poſſet itaque facilè de teloniis imperialibus & gabellis, Principibus pro Republica conceſſis, competens portio pro ſtatu Imperij annuè reſervari, & ab omnibus teloniis in portione moderatâ abſtrahi. Conſimilia ferè habet Julius Pflug. Epiſcopus

scopus Numburg. Vir exquisitæ prudentiæ & magnæ virtutis, & ob hęc & alia animi ornamenta Imperatori Carolo V. perquam charus, *in libello de Republicâ Germaniæ*. Atque hæc (inquit) hactenus de optimo Reipublicæ nostræ statu, in quo nec emolumentum bonum, nec jus æquabile, nec concordia, nec libertas, nec dignitas vera, nec justum unius Imperium, nec denique illa Sacrosancta DEI immortalis Religio desiderari posset. Nunc verò vellem, aut eadem Respublica nullas postea labes contraxisset, aut mihi integrum esset, easdem ipsas præterire. Quanto enim majore cum voluptate animi in cogitatione optimarum illarum rerum versor, tanto acerbiore adore afficior, quoties mihi malorum hujus ætatis atque temporis in mentem venit. Verùm quia non superiorum ætatum bona recensere, sed etiam quæ posteribus seculis accepimus vulnera aperire, atque tractare decrevi: Si quo modo & hæc sanari & illa recuperari possint: faciendum est profecto, quod locus hic atque salus publica postulat. Ac primo quidem etsi Respublicæ eo minus labefactari possunt, quo melius constitutæ sunt: tamen cum ita comparatum sit, ut non minus quàm aliæ res humanæ sint mutabiles, & harum ut Plato inquit, conversiones naturales: profectò cùm diu & aliquot secula floruisset Imperium Germaniæ nostræ, ita tulit tandem casus, rebus nostris infestus, ut post mortem Friderici Secundi idem duodevinti annos Imperatore careret. Interea cùm Majores nostri non haberent, cui parerent uni, optimam illam, de quâ egimus, Reipublicæ suæ formam propè amisisse videntur. Quam etsi postea per Rudolphum Habspurgum Respublica recuperavit, non ita tamen, ut ante, interregnum floruit. Nam quo tempore, Magistratus, Principesque nationis nostræ præsidio Principis sui nudati erant, nec habebant, à quo defenderentur, opes ipsi suas, quibuscunque rebus possent, firmarunt. Et multa eorum, quæ ante Imperatorum fuerunt propria, ad se transtulerunt, ut cùm quisque in Civitate atque ditione suâ, & regenda & tuenda munus Imperatoris obiret, ipse ejus nervis & quasi viribus niteretur. Ac cùm Magistratus, Principesque nostri illa usurpassent aliquandiù, nec sine vi ab eorum possessione dimoveri posset, maluit Rudolphus de jure suo decedere, quàm offendere voluntates eorum quorum opera & domi & militiæ utiliter uti posset: nec suspicatus fuit unquàm fore, ut qui ex ipso quasi patrimonio Imperii crevissent, non obtemperaturi essent sibi, posterisque suis ultro, nec Rempublicam gratis animis adjuturi. Et quanquam Princeps hic statuebat, se Imperium beneficijs multò facilius, quàm vi atque armis tenere posse, decessit tamen non parum de publicis Imperii ejusdem facultatibus, atque emolumentis. Quin ab eo tempore indies magis ac magis extenuata fuerunt jura atque vectigalia

Impe-

Imperatorum nostrorum, ut post Carolum Quartum è publico nostro, & vectigalibus Imperii non modò non nervos bellorum, sed ne pacis quidem subsidia ampliùs Imperatores nostri habuerint. Debilitavit quidem ratio hæc potestatem, quam penes esse debebat summa rreũ nostrarum, atq; ita convulsit, ut quibus Principibus, populisq; Germaniæ imperare oportebat Cæsarem, eorum ipse nutum intueri quodammodo cogeretur: cùm præsertim ei non ampliùs liceret, pecuniam atque Militem, sine quibus nihil rerum magnarum benè geri potest, populis Germaniæ nostræ imperare, nisi Principum atque Ordinum consensus publicus accederet. Quanquàm autem dignitas, atque majestas Imperatoris nostri posteà non iis opibus, nec ea potentia, quâ oportebat, sustentata fuit: tamen benevolentiâ atque virtute hominum nostrorum nixa stetit, ut Respublica nostra etsi foris minùs gloriosè, tamen domi satis benè administraretur. Quoad boni illi atque antiqui mores in natione nostrâ viguerunt. Nam & homines nostri juncti fuerunt inter se, & Imperatorem observarunt, & Patriam ita amarunt, ut se pro ea gravissimis offerre periculis, atque vitam adeò suam profundere non dubitarent. Quibus, ut nihil fuit antiquius, quàm honestè vivere, ac de Patria bene mereri, ita vicissim nihil odiosius, quàm turpiter vivere, & Patriã deserere, ut Respublica nostra cũ minùs, quàm antè posset, moribus tamen bonis hominum nostrorum seipsam satis benè tuetur: & apparet verissimum esse, quod sapientissimi homines in ore habent, non esse cur ex quam statum Reipublicæ bonum non virtute potius ac pietate, quàm pecuniâ, opibus, potentia metiatur; cùm finis ejusdem sit ipsa benè beatéque vivendi ratio. Verumtamen cùm Princeps nationis nostræ summus imbecillior foret, periculum erat, ne quemadmodũ corpus humanum, si aliqua potiorum hujus partium langueſcat, ipsum ægrotare incipiat gravius: Ita Respublica etiam nostra in languorem pernicioſum incideret. Itaque avi, atavi, atque majores nostri caverant sanè diligenter, ne mores illi hominum nostrorum boni, quibus Respublica nostra sustentari videbatur, depravarentur; & eam inierunt rationem, ut quas fortè officii atque disciplinæ quasi habenas attenuatio Imperatoriæ potestatis laxaret, eam legum severitas astringeret. Etenim magna quædam inter Magistratum & Legem conjunctio. Quare lege publicâ interdictum fuit, ne quis Majestatem Imperatoris læderet, neve vim publicam in Republica nostra susciperet: qui autem contra feciſſet, gravissimâ pœnâ afficeretur. Atque hæc quidem Lex primò ab Henrico secundo lata, & deinceps ab aliis Imperatoribus sæpè renovata fuit, ut non facilè ullo tempore antiquari posset. Quæ cùm alios fructus, tùm eum attulit Reipublicæ, ut qui fortasse novarum rerum cupidi

pidi essent, statum hujus non facilè labefactare possent. Ac quo minùs nobiles, in quorum virtute magnum semper præsidium fuerat Reipublicæ, nescio quâ licentiâ fierent deteriores, atque corrumperentur: non passi sunt majores nostri leges Censorias è Republicâ nostrâ tolli, sed quicunque Nobilium gravibus se criminibus obstrinxisset & Rempublicam ejusque Principes læsisset in certaminibus, quæ instar Olympiadum Græcarum instituta fuerant, publicè inspectante tota ferè Germania infamia gravia notati fuerunt, ut quos Charitas Patriæ, atque Imperatoris authoritas in officio non contineret, pœnæ atque infamiæ metus à sceleribus deterreret: eóque minus ordo hic Rempublicam armis, quibus eam sæpè tutatus fuisset, dilaceraret. Cautum item fuit prudentissimè, ne disciplina militaris, quæ Reipublicæ nostræ non solùm utilitatem magnam, sed etiam ornamenta præclara pepererat, facilè depravari posset; neque id injuria. Etenim si ullorum hominum, certè militum vita ac mores arctiorem, severiorémq; disciplinam desiderant. Quæ si laxatur, hi in illa gladiorum suorum licentia cupiditatibus suis non facilè ullum statuunt modum. Et non solùm hostibus, sed etiam socis, amicis atque Provincialibus sunt infesti, nec iis, quos habent contubernales, parcunt, ab eisque manus abstinent. Et paulò post. Principio constat Imperatorem nostrum è publico Reipublicæ nostræ non habere, undè ipsa ac familia ejus commodè vivere possit; Abundare autem singularum regionum nostrarum Princeps atque Magistratus, ad eosque tantum bonorum atque fortunarum fluere, ut non solum commodè, sed etiam lautè atque cum quodam splendore vivere queant. Quod quale sit, & quantum de Imperatoris existimatione atque authoritate detrahat, non facilè dixerim: certè alterutrum horum usuvenire necesse est, ut aut Imperator noster ab iis, qui in potestate ipsius esse debent, contemnatur, ut nunc tempora sunt & mores: aut damna hæc Imperii patrimonio suo, si quod habet, uberius quoquo modo sarciat. Quorum alterum non potest non nocere reipublicæ, alterum verò eidem tanto minus commodum est, quantò diligentiùs ea, undè multum emolumentorum ad nos redit, quàm tenuia, si quæ habemus, curare solemus. Quare ut Imperator noster è publico nostro tantum utilitatis atque emolumentorum capere possit, quantum oportet, si suaderem Principibus, Magistratibus ejusdem reipublicæ nostræ, ut quæ vectigalia publica Imperii ad se transtulerunt majores ipsorum, ea restituerent, atque ita censum Principis sui ad communem omnium utilitatem augerent, non esset profectò, cur quisquam consilium hoc meum reprehendere deberet. Etenim si Longobardorum Principes, cùm primum regnum suum constituerent, de suo, quod publici juris

nullo tempore fuerat, in publicum tantum contulerunt, ut Rex eorum censum honestum habere posset: quātò æquius esset ut nos Imperatori nostro redderemus, quæ majores ejus aliquando habuerunt? Sed quia verisimile non est, Principes, Magistratusque nostros à jure inveterato sponte suâ decessuros esse, & passuros, ut res tanti emolumenti à se auferantur, ne detur causa motibus periculosis: satius esse censeo institui vectigalia nova ad utilitatem Imperatoris nostri, quàm vetera restitui. Cùm præsertim populis non æquè grave fuerit pendere vectigal novū, quàm Principibus atque Magistratibus sua, quæ multum utilitatis afferunt, vectigalia amittere. Ac mihi quidem videtur populis atque adeò cunctæ Germaniæ vectigal illud eò minus molestum futurum esse, quo singulorum rationes publicis commodis ita contineri videntur; ut quanto Imperator noster plus poterit, tantò singuli Reipublicæ nostræ Cives & quietiùs vivere, & è bonis ejusdem faciliùs crescere queant. Ac quid prosit habere Imperatorem, eumque potentem, notat (de interregno post Fridericum II. loquens) *Chron. Hirs.* His temporibus cùm non esset Rex in terris, qui motus prædonum reprimeret, omnia per tumultum sine lege, sine ordine prolibitu fiebant. Medio tempore in partibus Alemanniæ, & aliarum circumjacentium per diversos spoliatores viarum, & nobiles ipsius terræ, insolentiæ perpetratæ fuerunt quamplurimæ. *Fragm. Histor.* His etiam temporibus arma ubique, leges ferè nusquàm dominabantur, quisque occupat, quantum potuit per vim. Ex usu fuit Principibus, nullum Imperatorem haberi. Mutius, *rer. German. lib. 21.*

XIII. Ad hanc etiam, de quâ nunc agimus, Reipublicæ mixtæ speciem sive formam, non præter rationem, *Poloniæ* refero *Regnum*; ubi Nobiles magnam authoritatem obtinent in Comitiis Regni. Regem eligunt, dantq; ei potestatem, quam volunt; Chytræus. *lib. 23. Chronici.* Bodin. *lib. 1. cap. 8. de Republ.* vide le Mercure François. *fol. 109.* & tamen auctoritas Regis, cùm electus est, in multis rebus absoluta emicat. Ejus enim muneris est, convocare Diætas, seu publicos conventus, assignare tempus & locum, ut ipsi placet. Consiliarios eligit, Episcopos nominat, est absolutus decretorum in conventibus factorum exequutor: est supremus Nobilium judex in criminalibus causis. Habet in manu omnes modos remunerandi, beneficioque afficiendi eos, qui ipsi placent. Boterus *in Relatione de Mundi Imperiis.* Stanisl. Krzistanovvic. *de statu Poloniæ.* Thuanus, *lib. 56. fol. 1134.* (ubi refert, Poloniæ Regem, ullam sine consilio status, assensuque Nobilitatis, legem ferre posse.) Schönborner. *lib. 1. politic. cap. 16. fol. 92.* vide tamen Keckermann. *disputat. practic. ultim. problem. ultim.* Sicque refert Thuanus,

lib. 62.

lib. 62. à princip. fol. 132. cum clausula derogatoria electum fuisse Stephanum, Poloniæ Regem: ut nempe caderet Regno, si quid contra leges ab ipso fuerit factum. Et quod conditionaliter, eligatur habetur in Polonicis statutis, §. *Electio. &c.* Ac quod in conventu procerũ de bello debeat deliberari, eadem statuta habent. §. *Bellum &c.*

CAP. III.

De aliis speciebus, ac exemplis Reipublicæ mixtæ.

MOnarchia cum Aristocratiâ, vel Democratiâ, aut cum utrisq; permista censetur; ubi uni alicui gubernationis præcipua, sed non sola commissa est cura: aliquibus tamen, qui vel plebem, vel Nobiliores solum, vel utrosque simul repræsentant, ejus aliquam obtinentibus partem. Ad hunc statum Althusius, aliique Politici nonnulli, omnia præcepta principalia accommodaverunt; ac præter ejusmodi reipublicæ formam, nullum aliud Imperium adprobant, & legitimum agnoscunt. Auctor *vindic. contra Tyrannos.* Buchananus, *de jure Regni apud Scotos.* Hotoman. *de antiq. Regni Gall.* Phil. Hoenon. *disputat. polit. 9.* His Monarchia est, ubi regnum Aristocraticâ, vel insimul Democraticâ temperatur â alteratur. Aristocratia, ubi præter Senatum, Ephori sunt, populum repræsentantes. Democratia, ubi Nobilium nomine, aliqui plebis licentiam refrenant. Henning. Arnisæus, *doctrin. polit. cap. 8. fol.* 164. ut & Velstenius, *centur. quæstion. politic. decad. 7. thes.* 5. unicum illum mixtionis modum, de quo actum est capite præcedenti, admittunt, vide Keckermann. *disputat. practic. 36. probl.* 11. Et sanè hæc res, dubitatione carere non videtur: cùm ejusmodi civitas, ubi omnes tres Reipublicæ species commiscentur, nec jura majestatis distribuuntur, Democratia potiùs videatur. Verùm in Democratiâ, major pars populi concludit; hîc Rex, nobiles & plebs, constituunt ordines tres, & tria faciunt vota: nec major pars populi cæteris præjudicare potest.

II. Eorum, qui imperitant simul cum populo, Principe vel senatu; nomen & potestas est indaganda. Primum quod attinet: variis ii nominibus indigitari solent: Ordines, status, consiliarii vel senatores Regni, *Les trois estats.* Politici communius Ephoros (ex usu Lacedæmoniorum) vocant, (ἀπὸ τῆς ἐφορείας: quod ad civitatis salutem oculos habeant intentos, Drusius, *ad loca Genes. cap.* 92.) Judæi *Sanhedrim* appellaverunt. Ubi verò Aristocraticum solùm temperamentum Respublica admittit, ferè Duces, Barones, aliique nobiliores, ejusmodi peragunt

gunt vices. Keckerman, *lib. 2. cap. 4. fol. 563.* Horum munus in eo consistere putatur; ut Magistratum summum in negotiis justis, ope juvent & consilio: in rebus injustis eundem refrenent & impediant; coercendo atque moderando licentiam illius, & denique omnibus modis prævideant, ne quid Respublica detrimenti capiat; privatis studiis, odio, facto, omissione vel cessatione magistratus summi. Et ideò penes Principem non semper est, jus Comitia Regni indicendi. Sicque libertatem, quam Ephori habent conveniendi, & in commune consulendi, unicum & præcipuum medium esse, quo omnia in Republicâ præter morem & modum inducta revocari, & in meliorem statum redigi soleant; ordines Regni Suetiæ, Polonorum optimatibus, qui Ephororum conventus, Rege inscio institutos, criminis Majestatis insimulabāt, Anno 1608. responderunt: & ipsorum Polonorum, simili in casu paribus conatibus excusârunt. Meteranus, in der Niderländischen Histor. *lib. 28. fol. 70.* Sic maximum privilegium est Electorum Romanorum, qui possunt convenire, & de communibus negotiis deliberare. Gravem illam Politicorum disputationem: An Ephori in hoc statu, Principe sint principaliores? de quâ post Hotomannum & Junium Brutū, disserit Keckerman. *d. cap. fol. 566. & disputat. practic. ultim. problemat. 10.* ita decido: ut sui naturâ Princeps, caput etiam Ephororum sit, (ita tamen, ut si contra officium aliquid agat; tum ut privatus ac inferior habeatur.) At ubi in omnibus, ex speciali pacto, Ephori superiores censentur; non tunc status mixtus, sed pura Aristocratia, Respublica illa æstimari debet. At, an Imperium majus sit Imperatore, tradit Reinkingk. *lib. 1. class. 5. c. 9.*

III. Sic reipublicæ forma apud Lacedæmonios à Lycurgo instituta, ex Monarchiâ constabat & Aristocratiâ: quando vero dominantibus Ephoris, magnâ tamen ex parte remansit regibus sua potestas, & Senatui adhuc sua constitit auctoritas; ex omnibus tribus mixtus fuit status. Aristotel. *3. polit. 10.* Polybius, *lib. 6. num. 4.* Cragius, *1. de republic. Lacedæm. 4.* Imò etiam antè fuit ex omnibus mixta; si credimus Justino, *lib. 3.* ubi ait Lycurgus regibus potestatem dedit bellorum, magistratibus judicia, senatui custodiam legum, populo potestatem creandi magistratus. Jusjurandum regum & subditorum, habet Xenophon, *de republ. Lacedæm. fol. 44.* Ac Paruta, *lib. 1. discurs. 1. fol. 13.* etiam ante Ephoros constitutos, mirè commendat hunc statum, & ex tribus mixtum esse cēset: sed post Ephoros ad popularitatem declinâsse autumat. Quilibet enim Ephorus in vincula poterat conjicere regem, Æmil. Probus, *in Pausaniâ.*

IV. Talis Monarchiæ & Aristocratiæ mixtura fuit, in Israëlitico regno. Ubi publica rerum potestas erat penes 70. Seniores, quos & Re-

ges

ges ipsi metuerunt. (ac 1. *Samuel.* 14. *vers.* 38. dicuntur anguli populi) ab eorúmque potestate separatum fuit imperium, & jurisdictio regia, quã aliàs Rex in subditos exercebat, quod plenè & eruditè Joachimus Stephani explicat. 1. *de jurisdict. cap. 7. num.* 12. 17. 18. *& passim.* ac etiam de Sanhedrim, vide Otth. Gualtperium, *in syllog. vocum exoticar. novi Testament. part.* 1. *fol.* 31. adde 1. *Paralip. cap.* 11. *vers.* 3. Ita reges Philistæorũ, non planè fuerunt absoluti. Ita Achis coactus fuit dimittere Davidem, 1. *Samuel. cap.* 29. *ad fin.* Quin quoque antiquissimi Ægypti Reges, legibus adstricti fuêre certis, si credendum est Diodoro Siculo, *lib.* 1. *cap.* 70. ubi ita scribit: Primi Ægyptiorum reges non pro cæterorum instituto, monarcharum vitam agebant, ut omnia scilicet ad suum arbitrium, nullis obnoxii censuris, moderarentur: Sed universa non modo publice gerenda, sed & quotidianæ vitæ regimen, & victus ratio, ad legum normã conformata erant. Quippe ad ministeria ipsorum nullus adhibebatur servus, neque emptitius neque verna: sed nobilissimorum tantum Sacerdotum filii, XX. annos egressi, & præ ejusdem gentis hominibus cæteris optimè instituti; ut si curatores corporis, & familiares optimos nocte diéque secum Rex haberet, nihil pravum, aut vituperatione dignum committeret. Nullus enim Princeps ad nimium improbitatis procedit, nisi præstò sint, qui cupiditatibus ejus subserviant. Horæ tamen noctis, quàm diei præfinitæ erant, quibus regem non sibi placita, sed legibus statuta, omnimodè agere oportebat. Sub auroram experrecto, literæ undecunque scriptæ, omnium primò acceptandæ erant; ut omnia rectiùs moderari posset, si exactè singula regni negotia comperta haberet. Tum locus & regni insignibus splendidáque trabeâ ornatus, diis sacrificatum ibat. Adductis tùm ad aram victimis, mos erat Principem Sacerdotum regi adstantem, magnâ voce in confertâ Ægyptiorum coronâ preces enunciare: ut dii sanitatem, cum bonis cæteris omnibus regi, jus & æquũ, erga inferiores tuenti, largiantur. *Et quæ ibi sequuntur, dignissima lectu.* Talis etiam fuit olim status apud omnes septentrionales. Et hodiè adhuc in Davico regno: Lauterbeck. *lib.* 1. *cap. ult.* im Regentenbuch. quamvis dissentiat Dn. Cluten. *in Syllog. rer. quotidianar. th.* 10. *lit. e.* Et in Suecico item: quod probant formulæ juramenti, tam à rege novo, quàm legiferis & cõsiliariis præstandi, vide *lib.* 2. *legum Suecicar. capp.* 4. 5. *&* 8. Adde exegesin depositionis Sigismundi Poloniæ regis, *fol.* 79. *& seq.* ubi extat juramentum, quod rex præstare tenetur. Et plures leges limitantes potestatem regis, *ibid. fol.* 342. *& seq.* ut non catholicus sit, ut catholicam nõ ducat, nec acceptet aliud regnum. Junge oration. Skyte, Suecici legati, ad Angliæ regem. Fuerunt etiam Bohemi olim tales; vide Böhemische Landsordnung vnd Landrecht passim. Licet planè regio jure cũ

iis processerit Ferdinandus I. Hortleder / *tom. 2. lib. 3.* & nuper ipsorum etiam privilegia magnum passa sunt detrimentum. Est & in Hungariâ regnum mixtum. Bonfinius, *lib. 9. in fin. & lib. 10. in princ.* Idémque de Würtembergiâ scribit *in Politicis* Keckermannus. Islandi etiam, sub clausulâ derogatoriâ, Norvvegiæ regibus sunt subjecti. Angrinus Jonas. *de Islandia fol.* 108. De more Carinthiæ vetusto, in eligendo rege, ex Æneâ Sylvio, & Sabellico, multa habet Mexia. *lib. 3. cap. 26.*

V. Monarchia cum Democratiâ mixta fuit Romæ, posteaquàm Servius Tullius populo multum permisit: ut patet ex Dionysio Halicarnasseo. vide me, *de appellat. 2. num. 4.* adde Alberic. Gentil. *3. de bello, cap. 22. fol. 683* ut & in Germaniâ olim, quamplurimis in locis. Cluverius *1. cap. 38. & cap. 40. ad fin.* Lehman. 2. *cap.* 4. Sed tamen idem sui oblitus, *lib. 2. cap. 34.* ait tam potentes fuisse Francos, ut nec ob scelera aperta potuerint ab Episcopis notari banno. *ac eod. lib. cap. 42.* de potestate Imperatorum Francicorum in suos status agit. Itidem olim in Aragoniæ regno, triplici formâ rempublicam constitisse puto. Etenim in communi concilio regem creabant, hominémque inducebant, cui juris Arragonici nomen imponébant: quem rege majorem ac potentiorem esse, communi populi decreto sanciebant, tandémque regem certis legibus & conditionibus creatum, his affabantur verbis; *Nos qui valemos tanto como vos, y podemos mas que vos &c. vos eligimos Rey &c. con estas y estas conditiones.* Hotomann. in Franco-Galliâ. *cap. 12 fol. 98.* Sed hæc pleraque, Castellanorum ambitione pedetentim imminuta, (aut forsan nimia licentiâ Arragonensium in discrimen posita) non ita pridem, cũ omnibus ejus regni immunitatibus, penitùs abolevit Philippus II. Hispaniarum Rex. Pierre Matthieu. 1. *fol.* 114. Thuan. *lib.* 104. Antonius Perez. *in relation.* Ego *tractat. de appellat. cap. 1. ad fin.* Consimile ferè fuit Navarrenum. vide Histor. Gall. *de Regno Navarreno, à princ. tit. double de l' advenir item, mihi fol. 361. &c.* ubi agitur de Coronatione Caroli, Anno Christi 1387.

VI. Status reipublicæ temperatus & mixtus, ex Aristocratiâ & Democratiâ est: in quo optimates ita imperant, ut simul quoque imperii sit particeps populus. Et hodiè urbes pleræ que istâ reguntur formâ; proindéque Statt Regiment vocat Keckerman. 2. *polit. cap. 5.* Olim in Germanicis civitatibus liberis, oligarchia fuisse videtur: ubivis enim, ferè pauci quidam ex nobilitate rempublicam administrârunt. Sed cum respublicæ eorum impotenti dominatu pessúndarentur, nobiles alicubi pulsi, alibi sponte cesserunt, alibi quosdam ex plebeis pari numero rerum gerendarum participes reddiderunt, vide Lehman, in der Speyrischen Chronick, *lib. 6. cap. 1. & seqq.* adde etiam die Elsäßische Chronick/

ubi

ubi de motibus, hâc occasione concitatis Argentinæ: ac de tumultibus Erfordianis, vide Johann. Binhard, in der Thüringischen Chronick / de Anno 1509.

CAP. IV.

De Regno legitimo.

STatum quoque mixtum agnosco, liberior ubi potestas, personalísq; majestas, legibus præciditur, limitatúrque fundamentalibus: vel certæ imperãdi præscriptæ sunt leges. Quod *Regnum Legitimum*, (eo quòd potestas rempublicam administrandi legibus ibi sit restricta) post Aristotelem Politici (alii principatum) vocant. Inter hoc, & regnum Ephoristicũ (de quo proximis prædecentibus numeris fuit dictum) parùm interest, sæpèque concurrunt; nempè ut Ephori tantum custodes sint legum fundamentalium & privilegiorum, absolutam potestatem certis cancellis includentium. Inter regnum verò legitimum & plenũ, licèt in utroque leges esse, & legibus parere debeat Princeps, hoc tamen discrimen existit: quod hîc Rex imperium legibus præscriptum ac definitum, certis in rebus habet; & arbitrium temperandarum legum, non penes ipsum est, sed penes rempublicam totam. Rex autem plenus, ipse arbitrium habet, vicémque totius reipublicæ gerit: & cùm aliquid accidit, legis contra rationem, per decretum & interpretationem, quæ vulgò dispensatio dicitur, mitigat legem. Genes. Sepulveda, ad Aristot. *pol. 4. cap. 4. num. 49.* Non secus ac in Democratiâ, leges existere convenit, eæ verò in potestate sunt populi: quemadmodum Romæ, populus quos volebat, legibus solvebat &c.

II. Sic non infinita potestas, permissâ unquàm fuit principibus in *Belgas*: astringebantur enim certis privilegiorum ac rituum formulis, à quibus si recedebant, nec moniti meliora sequebantur; tunc ordinum fuit providere, ut respublica benè administretur. Hugo Grotius, *de antiquitat. reipublic. Batavicæ per totum.* Nobilis Belga Anonymus, *Oration. de jure belli belgici.* & passim Meteran. (præsertim *lib. 14. fol.* 574. cui hâc de re insertus est integer tractatus) ac Johann. Le Petit, *in historiâ belgicar. turbarum.* Isaacius Pontan. *in histor. urbis Amstelodamensis.*

III. Leges illæ quæ regnum legitimum constituunt, variæ sunt, apud varias gentes. Ita multorum regnorum & civitatum fundamentalibus legibus hoc insertum reperitur, & in connubiis ac electionibus extraneorum Principum diligentissimè cavetur; ne magistratus ac honores, peregrinis commendentur. Exempla sunt in Suecià, Poloniâ,

Hnnga-

Hungariâ, Bohemiâ, Belgio, & teste Guetta, *consil.13.* in Tirolensi Comitatu. Alia adhuc magis salubris lex est, ne bella suscipiantur, sine consensu civium, vel ii extra territorium (nisi pro patriâ) militare cogantur &c. Quid enim gravius, quàm animæ cum jacturâ, simúlque corporis & fortunarum damno, Principis sequi ambitionem.

IV. Leges & Privilegia hæcce, multiplici circumvallantur sepimento. Nempè vel jure urando, vel appositò custode libertatis, vel eo pacto, ut liceat in casu contraventionis, indignum pronunciare Imperio Regem. Quam legem commissoriam Antonius Pitsillius vocat, *In imagine de instruendo Principe, fol.17.* Hócque pacto freti, Belgæ regem abdicaverunt Hispanum Et procurante Botscaio, ante aliquot annos, regi suo idem facere Ungari in animo habuerunt. Juréne an injuriâ, nõ est, quod sine penitiori cognitione illius status aliquis decernat. Parili etiã conditione à Suecis Reges olim eligebantur; qui nempe inter alia ita spondebant: Si nos, quod Deus avertat, vel alius, his in contrarium facere auderemus, aut fieri permitteremus; tum Senatores trium regnorũ, Episcopi, Prælati, Equites, Nobiles, Cives, & promiscui indigenæ obligati erunt ad resistendum nobis, & illi, qui pro honore & jurejurando depositò, præmemorata servare noluerit, nihil hoc pacto contra regiam nostram authoritatem, rempublicam, vel alios ullo modo delinquentes. Retorsio adversus Petrum Parvum, *cap.13.fol.85.*

CAP. V.

De Principum Iuramentis.

NOn omnia autem Imperia, sub conditione aliquâ, aut certâ lege datâ, statim proindè mixta existunt: neq; omnia juramenta, quæ Principes ad leges reipublicæ obligant, jura quoque imminuunt majestatis, & vim, ut Tacitus loquitur, resolvunt Principatus. Quibusdam enim ad honestatem tantum, seu Dei & Naturæ leges observandas astringuntur: qualis mutua generalisque obligatio, juri naturali & divino consentanea, superioritatis nil derogat juri. Bodinus. *1. de republic. cap.8. num.83.* Arnisæus, *polit. cap.11. fol.263.* Cum (ut apud Jureconsultos tritum axioma habetur) juramentum non novam obligationem introducat, sed veterem saltem confirmet. Equidem Regum & Principum quia corda in manu Dei sunt, nescit quandoque humana imbecillitas, divinâ ope semper indigens, aliud remedium inquirere, & inquisitum agnoscere; nisi quod à Regentibus benè gubernaturis, verax juramentum de servandâ justitiâ exposcat. Ut cùm subditorum, ob injustum & crudele regimen, tumultum & rebellionem imminere non timeant, saltem Dei poten-

potentiam exp avescant. Olaus Magnus, *septentr. histor.* 14. *cap.* 10. pulchrè Cluten. *paradox.* 11. Ac horrendum exemplum pœnæ eorum, qui etiam dedititiis pacta ac privilegia à majoribus jurata non servant, præbent posteri Saulis; ob pactum à Saule etiam ex zelo infracto; extat 2. *Samuel* 21. Regulariter autem Dominum subditis suis jurare debere, *in Polycratia*; Sarisberiensis notat, *lib.* 5. *cap.* 11. & consentit Jacobus Angliæ Rex, *in tract.* 1. *de Monarch. fol.* 11. ac Ritter, *in tractat. de Homag. num.* 117. *&c.* qui idem, *num.* 121. *&c.* latè, de formulis agit, quibus in variis Regnis, sese Reges obstringunt: plures etiam *in tractat. de Homag.* Dn. Brunning. congessit. Nulla quidem unquam instituta fundatáque Respublica fuit, nisi ultrò citroque priùs inito contractu, pactísq; inter subditos & magistratum conventis. Danæ. 1. *polit. Christ. cap.* 4. *& lib.* 3. *cap.* 6. attamen Leges illæ ac conditiones, partim sunt in genere; de proprio magistratus & subditorum officio, tacitè vel expressè præscriptæ; partim in specie, de certâ cujusque reipublicæ administrationis ac subjectionis formâ, modóque, disertis verbis proponuntur. Hæ jura Regni, itémq; leges Regni fundamentales dicuntur: illæ in omni Regno locum habent; hæ singulorum quorundam populorum propriè sunt, & plerunque constituunt Rempublicam mixtam. Zacharias Fridenreich 1. *polit.* 10. *fol.* 91. De hisque Imperiis capio illud; quòd homagium dicitur fœdus, & ut ad subjectionem subditi, sic Reges vicissim, ac parili nexu obligari ad fidelitatem. Ritter *de Homag. cap.* 1. *n. ult.*

II. Et quod Juramentum, quo se Princeps simpliciter ad bonam, rectámque administrationem obstringit, in absolutissimâ etiam Monarchiâ locum tueri possit, vel ex eo apparet: quod Trajanus Imperator populo juravit, apud Dionem. *lib.* 68. *fol.* 773. Plinius, *in Panegyr. in edit. Levinei. fol.* 71. vide Bodin. 1. *de Republic. cap.* 9. *num.* 93. Sicque Lex illa fundamentalis in Galliâ, quòd de coronæ adunatis, nihil alienando disjungere potest Rex, haud quicquam Monarchico axiomati decerpit. Ego, *tractat. de appellat. cap.* 16. *num.* 16. *fol.* 62. Et quemadmodum liberum est nihilominus arbitrium ejus, qui Laudum suum, æquitati se conformaturum promittit: ita non minus legibus solutâ pollet potestate, justè qui se regnaturum, nec in Imperii detrimentum aliquid moliturum, juratò spondet.

III. Hìc quæritur, in casu, ubi Juramentum tàm subditi, quàm Princeps præstare habeant necesse: uter prius debeat jurare? Sanè si certa sint capitula, conditionésque, magis est ut priùs juret Princeps. Althus. *polit. cap.* 19. *num.* 7. Maulius, *de Homag. cap.* 1. *num.* 10. *&c.* Ritter. *de Homag. num.* 120. Reinkingk. *lib.* 1. *class.* 5. *cap.* 3. *num.* 8. *&c.* Quia ubi subditi conditionaliter sunt obligati; oportet ut prius conditioni satisfaciat

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 3, [235] - 233

faciat Princeps. Quemadmodum, teste Meterano, Albertus & Isabellæ Belgii Principes, civitatibus priores jurârunt. Aliud responderem, juramentum si sit generale, non limitatum. Videatur responsum Academiæ Friburgensis, *inter consil. Brunsuicensia relatum.* Attamen Trajanus primùs, pòst consules jurârunt. Plin. *Panegyr. dict. fol.* 71. Pertinet hûc quæstio; Ob ein hoch Thumbcapitul macht habe / bey erwöhlung eines Ertz: oder Bischoffen / die alte Capitulationes zu corrigiren / vnnd newe / die sonst Fürstlicher Reputation zuwider / vorzuschreiben: Als nemblichen / daß er keine Diener / auch in propriis servitiis annemmen / oder ohne ihren verlaubt / be vrlauben soll / junctis aliis similibus, jure divino, & moribus quasi contrariis. Vnd ob nicht der Episcopus, da er etlich Jahr in der Regierung gewesen / vnnd zu seinem Alter kommet / solche Capitulationes zu rescindiren / vnd sich nach der alten zu reguliren / gebürliche Mittel gegen den Capitularen vornemmen möge? Ego (1) præsuppono, Episcopatum sapere naturam Regni electivi, & ex iis regulis dijudicandum quibus Regnum electivum. (2) Et ita Episcopus non habet jus aliquod à suo antecessore, pariter ut ab eo gravari nequit; ob debita ab illo contracta, &c. (3) Episcopus habet jus omne ab electione. (4) In Regno electivo integrum est ordinibus vel electoribus præscribere capitulationes, quas lubet, & quas è re communi, utilitatéque publica esse putent, ut alicubi in meo tractatu, *de succeßion. & electione* dixi. (5) Exempla Imperiorum, ubi capitulationes duræ, & ex Regno absoluto tandem mixtum vel Aristocraticum fecerunt, passim in historiis extant. (6) Et inprimis exemplum præbet talis mutationis Imperium Romano-Germanicum, quod per capitulationes potestatem absolutam suorum Imperatorum mirè limitavit, nec ultimus Imperator ad capitulationem veterem priorum provocare potest. (7) Non obstat, quod rationi contrariæ censentur tales capitulationes, Ita sanè videtur Aulico-politicis, omnis libertatis inimicis; Non iis, qui sciunt, etiam aliis Regibus talia vel similia præscribi. Dictator Romanus non potuit equo insidere. (8) Ratio capitulationis consistit in eo, ne ministros Princeps habeat alienæ Religionis, adulatores, proditores, Tyrannidis ministros, &c. Conferunt huc omnes Auctores, qui de auctoritate capituli, sede vacante, de potestate Parlamentorum, & Senatorum Regni aliquid tradiderunt, addi etiam potest Arnisæus, *polit. lib. 2. c. 3. fol. 456. & seq.* Sed audio JC. eximium tractat singularem & operosum meditari, vber die Frag: Ob die Reichsstände Anno 1522. auff dem Reichstag zu Nürnberg versamblet / rechtmessige Vrsachen gehabt / sich wegen offternewerten / allzu hoch gespanneten vñ verknüpfften geschwornen Capitulationen / so die Thumbherren den Superioribus vorhalten / derge-

dergestalt/ wie die verba bey dem Hortledern/ teutsch/ vnd etwas anders bey dem Goldasto, latinisch/ befindlich/ zubeklagen. Cujus judicio, me lubens submitto. Pertinet tamen huc Discursus Arumæi 3. ubi contra Arnisæum & Florentinum à Venningen probat, Imperatorem, aliúmq; electum Principem juramento adstringi posse, eóque ipsius potestatem limitari, ac tale etiam Juramentum omninò servare debere.

CAP. VI.

De subditis, pactitiis, exemptitiis, ac privilegiatis.

POrrò initii ratione, leges, de quibus hîc ago, (quæ nempè absolutam restringunt potestatem) multiplices sunt. Et earum ratione, non impertinens est divisio subditorum, quà alii pactitii vocantur, exemptitii alii, alii privilegiarii, cum Johann Dauth. *in hypotipos.* Dissentiente Andr. Knichen. *in epopsi. num.* 130. vide omninò Joach. Cluten. *in fasciculo rer. quotidianar. thes. 27. lit. f. g. h.* Bruning. *disputat. de Vniversitat. specieb. th.* 15.

II. *Pactitii* sunt; qui liberi olim fuerunt, pactis tamen quibusdam sese submiserunt, subjectione pactitia. Qui enim in deditionem certis fœderibus pervenerunt; vel in electione sibi reservârunt certas conditiones, suas leges, & privilegia; tales, quantum ad plenitudinem potestatis, non subditi dicuntur. Alberic. Gentilis, *disput. reg. 1. fol.* 14. Hæcque pacta, utpotè cum nondum subditis facta; servanda sunt omni modo. Vincent. Cabotius. 2. *cap.* 11.

III. *Exemptitii* dicuntur; quòd aliquando fuerint municipales; at contractibus, aut præscriptione, quò ad certa jura sunt exempti. Non de totali hîc exemptione loquor; ea enim rempublicam constituit separatam. Hâcque ratione Veneti, Helvetij &c. haud sè membra Imperii esse fateri volunt. vid. Schönborner. *lib. 5. polit. cap.* 7. & jam dixi *in tract. de appellat. c ap.* 2. *num.* 6.

IV. *Privilegiarii* vocantur, propter privilegia, quæ obtinent. Privilegia autem quædam statum mixtum faciunt, quædam superioritati haud obsunt. Quo posteriori modo, omnes ferè subditi privilegiarii sunt: nullus enim vicus existit, privilegiis non præfulgens, eáque toties ingeminat, quoties visum. Privilegia generis posterioris secundum temporum diversitatem, rerumque varietatem mutantur. Nec enim minus Privilegia, seu privatæ, quàm Vniversales Leges, in manu Imperantis esse dicuntur. Et vulgata est traditio Jureconsultorum; Principes

gratia & privilegia, per se vel prædecessores concessa, prout ipsis videtur, revocare posse. Peregrin. *1. de Iure Fisci. c. habentes jura Fiscal. an possunt &c. num.* 19. Moditius. §. *Principum placita, dubitat.* 18. Rauchbar. *2. quæstion.* 11. vide Maulium, *de homagio. cap. 9. num.* 105. *&c. item* 123. *&c.* Undè passim invenias clausulas in legibus, rescriptis, pragmaticis sanctionibus, & novis etiam privilegiis, expresè veteribus privilegiis derogantes. Ex quo privilegia non confirmata à successore, nullius reputantur valoris. Sueton. *in Tito. cap. 8.* vide tamen Buxtorff. *ad Auream Bullam thes. 37.* Verùm obiter hîc addo, eos Principes, qui à majoribus suis, subditis vel aliis, ob bene merita concessa privilegia, minuere vel adimere conantur, Pharaoni similes esse, qui nõ agnoscebat Josephum. *Exod. 1. vers. 8.* Nec ideò sine magnâ causâ, ejusmodi privilegia revocari debent. Guetta. *consil.* 13. Lehman. *ult. cap.* 41. Et hoc magis mihi placet, quàm consilium Isabellæ, in Parnasso. 2. *ragguagl. 7.* Daß man sie vergreiffen laß, ut posteà in servitutem rapi queant. Nam & Saul fuit punitus, quòd Gabaonitis non servavit, quæ Josua ante multos annos promiserat per errorem. *Iosuæ 9. & 2. Reg. 21.* ac monui jam suprà. vide etiam Illustrem Enenckelium, *tractat. de privileg. lib. 3. per tot.* ubi de remissione & revocatione privilegiorum agit latè. & adde Rauchbar. 2. *quæst.* 12. ubi, an per non usum amittantur? Ac communis est interpretum sententia, à Principe concessum privilegium, ad suos transire successores, eósque obligat, nempè quod justitiæ ac rationis ordo suadet, ut qui à successoribus sua mandata servari desiderant, prædecessoris sui voluntatem custodiant, nisi tamen enormiter præjudicetur ipsi dignitati. Peckius. *ad c. decet concessum; de reg. jur. in* 6. 7. *&* 8. Adde Cravett. *consil.* 732. Qui idem, *consil.* 731. disquirit, an beneplacitum Principis morte finiatur. *ac consil.* 909. tractat, Princeps quando privilegio possit derogare. Certè si per privilegium alicui dominium sit datum, tunc sine causâ adimi nequit: putà si quis nobilitetur &c. Sícque quædam privilegia precaria sunt, quædam habent vim donationis. Imperator Ludovicus IV. confirmat etiam privilegia, ab Episcopis Urbi Spirensi data. Lehman. *lib. 7. cap. 21. fol. 758. & fol. eod. col.* 2. privilegia concedit æterna. Revocari itidem privilegia non possunt, si transiverunt in contractum: Arumæus, *ad Auream Bullam, discurs. 5. th.* 23. Georg. Everhard. *vol. 1. consil.* 18. (ubi quâ actione defendantur.) At vim contractus obtinere censentur; quando non subdito dantur; vel etiam subditis accepto pretio conceduntur. Peregrinus, *dict. cap. num.* 28. Moditius, *dict. §. Principum placita dubitat.* 37. *&* 43. Zecchius, 2. *cap. 1. sub nu. 6. vers. ulterius.* ac tunc sunt exempti, ut puto. Non etiam turpe est Principi, fœdus vel contractum cum subditis inire. Nam & ipse Deus, cum hominibus hoc

fecit.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 3, [238] - 236

fecit. *Geneſ. 6. v. 18. Gen. 9. v. 8. & ſeqq. Gen. 15. v. 18. Gen. 17. v. 2. 4. 7. Exod.* 34. v. 27. Molan. *de fide hæretic. ſervandâ lib. 4. cap.* 12. Nullo unquam verò modo, prioris generis privilegia, quæ ſtatum ſcilicet alterant imperii, & legibus fundamentalibus accenſentur; à Principe, alterius ſine partis conſenſu violari, vel revocari queunt: quia ſtipulatione & contractu mutuo, ferè ſemper abeunt in pacta conventa. Húcque pertinent verba Eberhardi à Weihe, *tractat. de ſucceſs. & election. D. ult. & E. 1.* cùm ait: in eâ ſe hæreſi eſſe, ut putet firmam obligationem inter Principes & ſubditos conſiſtere; nec ab eâ pro arbitrio Principi recedere licere &c. Indéque haud permittitur Regi, Regisve ſucceſſori, privilegium ejusmodi irrevocabile, vel propter benè merita conceſſum, ſi clarum ſit, (vel ex naturâ verborum, vel ratione in eo expreſsâ, aut tacite conjecturâ) ita interpretari; ut vel reſtringatur vel corrigatur. vide Schrader. *conſil. 21. num. 45. & c. num. 104. & c. vol. 2.* Roſenthal. *cap. 7. concluſ. 9. nu 18.* pulchrè Gomes. *tom. 2. cap. 1. num. 1.* Et quibusdam conſiliariis capitale fuit, privilegia Ordinum infregiſſe, vide Cominæum, *lib. 5. cap. 17. fol. m.* 457. Sed tamen ubivis reperiuntur (Aulicopolitici geſtiunt nominari) qui ea pernicioſa cenſent, Boccalini. *2. de Parnaß. cap. 6. fol. m. 26.* qui ea, tanquàm litis materiam aboleri, & ultra Garamantes relegari ſuadent: Cominæus, *5. cap. 16. fol. 447. & cap. 17. fol. 475.* aut quibus illa inſtar crepundiorum ſunt, apta infantibus in fletum adductos propitiare. Boccalini. *2. cap. 1.* Et certè jam olim frequens apud Magnates fuit, privilegia reſtringere, odiſſe, non ſervare. Sic enim etiam Athenienſes contra pacta dedititios oppreſſerunt. Ariſtot. *3. polit. cap. 9.*

V. Húc tandem pertinet tractatio, confuſarum potiùs, quàm ritè miſtarum imperii formarum: putà, ubi diſtractæ & ſeparatæ, ex privilegio vel conſuetudine ſunt jurisdictiones, ut ſcilicet alius hanc, alius aliam habeat ſpeciem: alius criminalem, alius civilem. Reinkingk. *fol. m.* 161. Leipold. *de concurr. jurisd. th.* 12. Killinger. *diſcurſ. 8. num. 9. & c.* Ubi cynoſura exiſtit, quòd cùm quis eſt in generali poſſeſſione jurisdictionis, alius non plùs præſcripſiſſe putetur, quàm quantum poſſedit. Weſembec. *in paratitl. ff. de jurisdict. num.* 12. Et ita in Civitatibus Imperio immediatè addictis; Epiſcopi, Vicinique Principes multa jura habét: quæ tamen ſubjectionem non importare cenſentur. vid. conſil. in causâ der Statt Friedberg / contra jhren Burggraffen. Sícque Colonia præſulat Epiſcopo juramentum: & ad eum à quibusdam judiciis provocatur. Cölniſche Statuta, *fol. 8. & 10.*

GLORIA DEO VNITRINO SOLI.

ELENCHUS OMNIUM CAPITUM, quæ in hisce Dissertationibus Politico-Juridicis pertractantur.

SECTIONIS I.

De Majestate in genere.

CAP. I. *De Etymo Majestatis: ac item, de Majestate reali.* fol. 3.

CAP. II. *De Majestate personali. Quatenus ea aliquam Divinitatem habere videatur: & quòd sit summa potestas.* 10

CAP. III. *De Pontificis Maximi potestate temporali.* 18

CAP. IV. *De Imperatore Romano, ac nùm habeat aliquam potestatem in alios Reges?* 28

CAP. V. *Cùm Majestas sit Imperium summum, quid indè consequatur?* 74

CAP. VI. *Quod Majestas sit perpetua potestas.* 53

CAP. VII. *De potestate Legibus solutâ.* 55

CAP. VIII. *De Iure Regio Samuelis Prophetæ: quod habetur* lib. 1. ejusdem. cap. 8. vers. 11. & seqq. multis. 76

CAP. IX. *Consectaria hactenùs dictorum: & variæ, de absolutâ potestate, quæstiones.* 90

SECTIONIS II.

De Ecclesiastico Majestatis Iure.

CAP. I. *Vitia primæ Tabulæ, etiam dijudicari, & puniri ab Imperio Politico.* 95

CAP. II. *De potestate seculari, in Personas, ac Bona Ecclesiastica.* 104

CAP. III. *An & quatenus ipsa Religio, cultusque Religiosus, in Principis, eorumq́, qui Majestatem habent, sit administratione.* 113

CAP. IV. *An & quatenus vocatio Ministrorum, spectet ad Magistratum secularem.* 120

CAP. V. *De Conciliis & Synodis Ecclesiasticis.* 124
CAP. VI. *An & quatenus secularis potestas Hæreses prohibeat, exstirpet.* 127
CAP. VII. *De usu bonorum Ecclesiasticorum transformando* 136
CAP. VIII. *De subditorum officio, si Princeps aliam, quàm ipsi probant, foveat religionem.* 140

SECTIONIS III.

De Iuribus Majestatis Politicis.

CAP. I. *Generalia præmittit.* 142
CAP. II. *De legum ferendarum potestate.* 145
CAP. III. *Constitutio Magistratuum.* 151
CAP. IV. *De gratiâ & dispensatione.* 154
CAP. V. *Ius pœnæ statuendæ, seu jus vitæ & necis; absolutaque judicandi potestas.* 161
CAP. VI. *De jure belli movendi.* 167
CAP. VII. *Regalia vulgò Fisci dicta.* 171
CAP. VIII. *De iis, quæ ob singularem dignitatem non nisi à Majestate distribuuntur.* 183
CAP. IX. *De jurium majestatis concessione & translatione.* 207.


DISSERTATIO SINGULARIS.

De Statu Reipublicæ mixto.

CAP. I. *An detur respublica mixta.* 210
CAP. II. *De Imperio Romano & Polonico* 213
CAP. III. *De aliis speciebus ac exemplis reip. mixtæ* 227
CAP. IV. *De Regno legitimo.* 231
CAP. V. *De Principum juramentis.* 232
CAP. VI. *De subditis, pactitiis, exemptitiis & privilegiatis.* 235


FINIS.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 3, [241] - -



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1;Leibn. Marg. 0,1, Stück 3, [242] - -




GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1;Leibn. Marg. 0,1, Stück 3, [243] - -




GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1;Leibn. Marg. 0,1, Stück 3, [244] - -




GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1;Leibn. Marg. 0,1, Stück 3, [245] - -




GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1;Leibn. Marg. 0,1, Stück 3, [246] - -




GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1;Leibn. Marg. 0,1, Stück 3, [247] - -



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1;Leibn. Marg. 0,1, Stück 3, [248] - -



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1;Leibn. Marg. 0,1, Stück 3, [249] - -
PUBLIC DOMAIN